AUGUSTI FERDINANDI NAEKII

OPUSCULA

PHILOLOGICA.

EDIDIT

FR. TH. WELCKER.

VOLUMEN II.

BONNAE
IMPENSIS ED. WEBERI.
MDCCCXLV.

CALLIMACHI

HECALE.

FRAGMENTA COLLEGIT ET DISPOSUIT

AUGUSTUS FERDINANDUS NAEKE.

BONNAE
IMPENSIS ED. WEBERI.
MDCCCXLV.

CALLIMACHI

H E C A L E.

PROLEGOMENA.

Quicquid sit in Fragmentis Callimachi, quod omni tempore viris doctis placuit, aliquid inesse, quo placuerint, maiorique digna cura visa sint, et debeant etiam nunc videri, necesse est. Ut alios ante Bentleium taceam, post magnum Bentleium in Callimachi Fragmentis elaboraverunt Valckenarius, Ruhnkenius, Toupius: quorum hi quos postremo loco nominavi, Ruhnkenius et Toupius, cum cupiditate quadam Hecales fragmenta, vel quae ad Hecalen referri posse fragmenta putant, tractavere. Et nonnulla obiter Valckenarius, cuius etiam verba sunt in Epistolis Virorum doctorum, Ruhnkenii, Valckenarii, aliorum, ad Io. Aug. Ernestium, a Tittmanno editis, p. 49. *Cydippen utique sine controversia Bentleius ad Elegos referre potuerat; ad* Hecalen *autem, nobile poema, multo etiam plura, si historiae sibi notae ductum Vir Summus sequi voluisset.* Tum mihi, qui ante multos annos operam in eo argumento, et maxime in Hecale, collocaveram, obviam factus Buttmannus et specimen, quod ei misissem, ex hoc genere a me editum in Annalibus Academiae Rhenanae, cum multa laetitia excepit, utque pergerem hortatus est, et ipse postea elegantem commentationem de Cydippe edidit, de Hecale autem obiter hic illic docte mentionem fecit. Senserat ille, quod etiam Ruhnkenio obversatum esse ac Toupio putaverim, fragmentorum Hecales, et testimoniorum de eo carmine, tantum superesse, quantum ad restituendam Hecalen, hoc est, ad effingendum aliquod carminis Callimachei simulacrum sufficiat. Atque utinam viveret Vir praestantissimus; utinam legere, quae in Hecalen commentatus sum, posset; utinam respondere litteris, ut facere consueverat, iudicio plenis, ex laude et docta dubitatione amabiliter mixtis.

Manebit hoc intactum, quod scripseram in memoriam viri optimi, quum primum partem horum edidi. Praeterea quod ibidem praefabar, excusatione mihi opus esse, sicubi me prolata ab aliis post Bentleium fragmenta Callimachi latuerint, ea excusatione nescio an etiam nunc opus sit. Quam enim maxime illa Bekkeri Anecdota spem exspectationemque fecissent, fore ut in dies augeretur haec materia eorum opera, quibus bibliothecas excutere atque inedita proferre datum est, quum rata facta sit, et vero fiat, Dindorfii, Boissonadii, Crameri, aliorum, opera: accidere potest, ut unum alterumve fragmentum testimoniumve lectorem etiam diligentem effugiat. Sic erutum ante multos annos ab Osanno testimonium Callimachi, et quidem in Hecale, de Salamine insula, nunc demum suo insertum loco est. Et hoc quidem prorsus novum erat. Quae nuperrime Cramerus in Anecdotis Graecis protulit fragmenta Callimachi multa numero, eorum maxima pars non nova est, sed hoc tantum probat, de quo etiam aliunde constat, multum sese exscripsisse grammaticos, et esse plerosque grammaticos nostros doctiorum et antiquiorum quorundam nimium inter se similes discipulos ac pedissequos. Cupidissime expeteres fragmenta nova cum indicio poematis, *Καλλίμαχος Ἑκάλῃ*: vel ante aliunde nota, sed aucta nomine poematis. Ut Callimachi Fragmentum CCLXXX. noveramus omnes; ex *Hecale* illud esse non ita pridem docuit codex Ravennas. Verum ea non multa sunt. Quod post conceptam ex Fragmentis antiquis, h. e. Bentleianis, imaginem Hecales inexspectata me docuerit, vel ut mutarem semel conceptam imaginem coegerit, ne unum quidem memini.

De carmine Callimachi, *Hecale*, praeter locum Etymologici: *Ἑκάλη, ἡρωΐς· εἰς ἣν καὶ ποίημα ἔγραψε Καλλίμαχος* etc. et Suidae: *Ἑκάλη· ὄνομα κύριον· ἡ ἡρωΐς, ἡ παρὰ Καλλιμάχῳ* etc. quos locos postea tractaturus sum, testes duo locupletissimi sunt interpres graecus Callimachi ad h. Apoll. 106. (Callim. Fragm. Bentl. LXV.) his verbis:

ἐγκαλεῖ διὰ τούτων τοὺς σκώπτοντας αὐτὸν μὴ δύνασθαι ποιῆσαι μέγα ποίημα, ὅθεν ἠναγκάσθη ποιῆσαι τὴν Ἑκάλην.

et Crinagoras epigrammate, quo Marcello mittit Hecalen Callimachi, Analect. Br. T. II. p. 144. Anthol. Palat. T. II. p. 193. Quod epigramma mature adhibuerunt, inter testimonia de Callimacho, editores Callimachi. Ut B. Vulcanius p. 263. Et Nicod. Frischlinus in Vita Callimachi.

Καλλιμάχου τὸ τορευτὸν ἔπος τόδε· δὴ γὰρ ἐπ' αὐτῷ
ἀνὴρ τοὺς Μουσέων πάντας ἔσεισε κάλως.
ἀείδει δ' Ἑκάλης τε φιλοξείνοιο καλιήν,
καὶ Θησεῖ Μαραθὼν οὓς ἐπέθηκε πόνους·
τοῦ σοὶ καὶ νεαρὸν χειρῶν σθένος εἴη ἀρέσθαι,
Μάρκελλε, κλεινοῦ τ' αἶνον ἴσον βιότου.

Atque his duobus testimoniis omnia contineri, quae sciri de natura, ambitu, argumento carminis Callimachei possunt, et in his exaedificandam esse carminis illius imaginem, diu est quum mihi persuasum fuit. At locupletissimum testem quum dico interpretem istum, hac conditione dico, ut ille recte accipiatur. Nec tam hoc ut teneatur, quod verba loquuntur scholii, et quod ipse scholiastes senserit, quam latens sub verbis interpretis nec boni nec valde antiqui vera doctioris atque antiquioris grammatici cuiusdam sententia. Scilicet viris doctis scholion istud magni caussa erroris fuit. Quum enim tenerent quod ibi scriptum est, *μέγα ποίημα*, Casaubonus Animadv. in Athen. lib. III. cap. 1. p. 147. Spanhemius ad Callim. h. Apoll. 106. de nescio qua longitudine lateque patente ambitu carminis huius cogitare coeperunt. Hinc est quod Actia Callimachum post Hecalen scripsisse coniicit Casaubonus: quod neque aliis rationibus probabitur, neque hac probatur, qua utitur Casaubonus. *Tandem*, inquit, *ut os obturaret malis hominibus, magnum poema Hecalen inscriptum coactus est edere. — Scripsit et opus aliud poeticum τῶν Αἰτίων*, caussarum, *quod sine dubio longius fuit poema quam ipsa Hecale: sed, ut videtur, posterius scriptum: ideo hic Scholiastes Hecalen potius nominat, quam caussas.* Fugiebat Casaubonum tam diversa genere ac natura Actia et Hecalen fuisse, plane ut inter se comparari nequeant: fugiebat, quod postmodo senserunt alii, et nuperrime Buttmannus Comment. de Cydippe p. 9. et 18. (Mytholog. II. p. 125. 141. sq.) demonstravit, Actia non unum atque continuum carmen, sed vario argumento fuisse, et diversis partibus

particulisque constitisse. Contra Hecale carmen fuit *epicum.* Et hoc quidem mature intellectum est. A Salmasio Exercit. Plin. p. 601. b. F. *Postremo Callimachus etiam ipse epico carmine inclaruit, quo* Hecalen *celebravit.* Et hoc fere voluit Dan. Heinsius, quum Animadv. in Horat. Carm. I. 7. p. 11. ita scribit: *Callimachus, ut notum est ex hymnis, male audiebat apud aemulos, quod sola epigrammata, elegias et hymnos, nullum autem carmen scriberet perpetuum. Quorum iudiciis commotus, Hecalen, ut notant interpretes, composuit. Quod perpetuum carmen fuit, licet non integram Thesei complecteretur historiam, sicut author Theseidis, cuius meminit philosophus* [Poet. c. 8.]: *qui ab eo inter τοὺς πολυμύθους, et qui in periodo peccarent, ut nonnulli alii, reponitur:* etc. Sapienter hoc: *licet non integram Thesei complecteretur historiam.* Vel sic tamen perduravit quodammodo error *Casauboni.* Qui enim epicum carmen Hecalen fuisse noverant, Valckenarium, Toupium, et fortasse Ruhnkenium quoque, etsi nusquam diserte monuerunt de ambitu Hecales, tamen iusto liberaliuš sensisse de longitudine atque ambitu carminis, ex eo suspicor, quod ad Hecalen prorsus aliena, meo quidem iudicio, ab hoc argumento fragmenta, aut eo sub certa tantum conditione referenda, referunt. Quam in rem, ut unum nunc exemplum proferam, illud a me alibi contra Valckenarium de Callimachi Fragmento CCXXVI. scriptum fuit: *Ac de Hecale quidem cogitari nullo modo potest. Hecale enim, quamvis inter Callimachi carmina longissimum, non tam ingenti ambitu fuit, neque tam diversa continebat, quam videatur alicui.*

Equidem ut Hecalen non ita magnum fuisse carmen puteni, vel per se una efficit eaque valde simplex observatio. Constitit Hecale uno libro; quum saepissime excitetur Callimachus *'Εκάλῃ*, nusquam laudatur *'Εκάλης α΄, β΄, γ΄.* Quod observatum etiam Weicherto de vita et carm. Apollonii Rhod. p. 38. not. Deinde argumentum carminis tam accurate describit atque circumscribit Crinagoras, ut ea de re nihil sit quod dubites. Fuit *hospita Thesei Hecale*, et *Thesei cum tauro Marathonio pugna.* Argumentum, ut apparet, breve ac simplex: cui quae admixta fuerunt alia, tamquam episodia inserta fuisse necesse est; quae episodia, nisi ipse obscurare rem primariam Callimachus incredibili atque

insolita imperitia voluerit, neque multa fuere, neque longa. Nunc patet, re vera non fuisse *μέγα ποίημα* Hecalen, vel ut *magnum* dici queat, magnum fuisse non prae aliis aliorum carminibus, neque aequiparandum aemuli, propter quem Hecalen scripsisse putatur Callimachus, longitudini, sed magnum prae aliis Callimachi poematis, inter quae nullum arctiore sensu poema, hoc est, nullum carmen continuum atque unius argumenti, sive, ut hic statim verbo postea illustrando ipsius Callimachi utar, nullum *διηνεκές*, ea longitudine fuit. Quam longum autem fuerit, quis dicat? *Iustum* poema Hecalen haud incpte dicit A. Politianus loco paullo post laudando: qui etiam argumentum poematis, quod divinaverat ex Plutarcho, non male comprehendit versu: *Battiades Hecalen sonat, et Marathonia gesta, Celsior assueto.* Ego pro imagine Hecales, quae meo animo obversatur, versus mille et ducentos, vel mille et quingentos fuisse statuo; vel si cui ita placeat, mille et octingentos, ad quem numerum proxime accedit Apollonii liber qui longissimus, quartus.

Pertractabo hac opportunitate quaestionem de *βραχυλογίᾳ* Callimachi, de qua post Spanhemii ad Callim. h. Apoll. 112. disputationem, qui diversa miscet, nemo accurate exposuit. Ac primo carminum brevitatem amavisse Callimachum, res est certissima. Testis ipse, loco elegantissimo, hymno in Apollinem 105. usque ad fin.

Ὁ Φθόνος Ἀπόλλωνος ἐπ' οὔατα λάθριος εἶπεν·
οὐκ ἄγαμαι τὸν ἀοιδόν, ὃς οὐδ' ὅσα πόντος ἀείδει.
τὸν Φθόνον ὡπόλλων ποδί τ' ἤλασεν, ὧδέ τ' ἔειπεν·
Ἀσσυρίου ποταμοῖο μέγας ῥόος, ἀλλὰ τὰ πολλὰ
λύματα γῆς καὶ πολλὸν ἐφ' ὕδατι συρφετὸν ἕλκει.
Δηοῖ δ' οὐκ ἀπὸ παντὸς ὕδωρ φορέουσι Μέλισσαι,
ἀλλ' ἥτις καθαρή τε καὶ ἀχράαντος ἀνέρπει
πίδακος ἐξ ἱερῆς ὀλιγὴ λιβάς, ἄκρον ἄωτον.
Χαῖρε ἄναξ· ὁ δὲ Μῶμος, ἵν' ὁ φθόρος, ἔνθα νέοιτο.

Et comprobavit eam sententiam re factoque, quum nullum longius Hecale carmen fecerit: Hecale vero ipsa, ut nos statuimus de ambitu carminis, non fuit longum poema. Sic quam *Ἠλακάτη* Erinnae poetriae, carmen brevissimum, sed elegantissimum, dulcissimum, admirationem meruit, eius admirationis participem

studiosissimum hunc nostrum poetam fuisse admodum probabile est: etsi quod coniicere me memini, esse admirationem illam, et esse magnificum illud Erinnae praeconium ad Callimachum tamquam auctorem referendum, nullo certo testimonio comprobatur. Utebar eam in rem Antiphanis epigrammate, in quo consueta Grammaticis admiratio Erinnae coniuncta est cum mentione Callimachi: *Γραμματικῶν περίεργα γένη, — τῶν μεγάλων κηλῖδες, ἐπ' Ἠρίννῃ δὲ κομῶντες, πικροὶ καὶ ξηροὶ Καλλιμάχου πρόκυνες.* Nunc ibi ne *Erinna* quidem tuta ab omni parte videtur, quum ad manum sit ingeniosissima et ad sensum aptissima emendatio, ni fallor, Hermanni: *ἐπὶ ῥίνῃ δὲ κομῶντες.* Indolem Callimachi et proprium ei brevitatis carminum amorem bene perspexerat C. Melissus, quum imitatorem Callimachi Proculum, qui tamen una in re, eaque primaria, ita recessisset ab exemplari suo, ut de Lyde opus scriberet centum et quadraginta elegorum libris, *latum* appellavit *Callimachum.* Tantum efficio ex Apuleii de Orthogr. §. 43. verbis his: — *sed et C. Proculus Callimachum secutus in opere quod de Lyde et ipse habet centum et quadraginta elegorum libris; unde latus Callimachus C. Melisso in libris iocorum dicitur sic . . .* Callimachi imitatorem fuisse Proculum, vel habitum esse pro imitatore Callimachi, ex Ovidio efficitur, Epist. ex P. IV. 16, 32. *Callimachi Proculus molle teneret iter.* Conciliari hoc nostrum cum coniectura sane non improbabili Osanni poterit, *Antimachum* reponentis ita: *sed et C. Proculus Antimachum secutus in opere quod de Lyde* etc. Proculus etiamsi in Lyde sua Antimachum maxime propositum sibi habuisset, tamen, quum in universum pro imitatore haberetur Callimachi, propter illud ipsum opus *latus* dici *Callimachus* potuit. Rursus notissimum est, et hei! quam verum, proverbium Callimachi, non de poesi, sed de omni libro: *magnus liber, magnum malum:* Fragm. CCCLIX. ex Athenaei lib. III. init. Non tamen dictum sine exceptione. Etsi quod longissimum opus ipsius Callimachi fuisse putes, *Πίνακα* vel *Πίνακας παντοδαπῶν συγγραμμάτων*, de quo Ruhnkenius ad Callim. p. 440. et 470. ed. Ernest. monet, ne ipsum quidem enormi fuisse longitudine existimaverim, quum libri, quibus illud Suida teste constitit, centum et viginti, quanto singuli ambitu fuerint, ignoretur, et quae

afferuntur ex eo opere, ita comparata sint, ut Catalogi brevitatem habuisse totum opus videatur. Porro laudata Callimacho Epigr. IX. *βραχυσυλλαβίη* aliena ab hoc loco est, si recte accipias epigrammatis sententiam, ut acceperunt olim Vulcanius, e recentioribus Iacobsius Comment. in Anth. Gr. Vol. I. P. II. p. 272. sq. Denique Ruhnkenii errorem, qui propter falsam, quam suo animo informaverat, *βραχυλογίας* Callimacheae speciem, multos bonos versus ex Hymnis Callimachi eiici voluit, et quae cernatur in Callimacho loquacitas, monstravi in Dissertatione critica, de Tzetzae ad Hesiodum loco et fragmentis aliquot Callimachi (Jahrbuch d. Preuss. Rhein-Universität T. I. Fasc. IV.) p. 401. seq. Quare neque in Luciani loco haereo: Quomodo historia sit conscr. cap. 57. p. 214. Vol. IV. Bip. *οἷον ὁρᾷς τι καὶ Ὅμηρος ὡς μεγαλόφρων ποιεῖ· καίτοι ποιητὴς ὢν παραθεῖ τὸν Τάνταλον, καὶ τὸν Ἰξίονα, καὶ Τιτυόν, καὶ τοὺς ἄλλους. εἰ δὲ Παρθένιος, ἢ Εὐφορίων, ἢ Καλλίμαχος ἔλεγε, πόσοις ἂν οἴει ἔπεσι τὸ ὕδωρ ἄχρι πρὸς τὸ χεῖλος τοῦ Ταντάλου ἤγαγεν; εἶτα πόσοις ἂν Ἰξίονα ἐκύλισε;* Haerebat Spanhemius l. l. ad Call. h. Ap. 112. Et Piersonus ad Ael. Herodian. p. 440. *Antimachum* reponi pro Callimacho iussit. Contra recte Schellenbergius ad Antimachi Fragm. p. 46. Antimachi nomen non bene postponi multo recentiorum scriptorum, Parthenii, Euphorionis, nominibus monuit; fallitur in eo, quod de Hecale scribit. Verum neque Heynius recte omnia, Opusc. Acad. Vol. I. p. 93. Eiusmodi locos in mente habet Lucianus, ubi late amplificandi et subtiliter exornandi occasione, quam rei atrocitas, ut in Tityo, vel omnino insolentia, ut in Tantalo, Ixione, vel quaevis alia caussa praebet, usque ad luxuriam abutuntur poetae scholae Alexandrinae. Cf. Weichert. de vita et carm. Ap. Rhod. p. 32. not. Meinekius Euphor. p. 51. sq. Illud de bonis Callimachi versibus tutandis contra Ruhnkenium et tum breviter scripsi, et nunc uno eam in rem exemplo utar. Utar autem non diligenter delecto, et in quo apertius quam in aliis appareat, quid propria Callimacho *ubertas* sive loquacitas ad removendam *νοθείας* suspicionem valeat. Sunt alia, in quibus id tirones maxime maiori cum utilitate doceas; neque prorsus desunt, in quibus aliquid tamen dandum atque concedendum est iis, qui suspicionem moverunt *νοθείας*:

ut h. in Del. 252. motae a Valckenario atque Ernestio suspicioni occurendum est leni interpunctione post *λοχείῃ* inserenda, ita: — *κύκνοι δὲ θεὸν μέλποντες ἀοιδῇ* (*θεὸν* — *ἀοιδαῖς*, vel potius *ἀοιδῇ*, emendatio Ruhnkenii),

Μηόνιον Πακτωλὸν ἐκυκλώσαντο λιπόντες
ἑβδομάκις περὶ Δῆλον, ἐπήεισαν δὲ λοχείῃ,
Μουσάων ὄρνιθες, ἀοιδότατοι πετεηνῶν.

Qui nunc mihi obversatur locus, alia re memorabilis est. Est autem hic, h. in Cer. 8. sqq. —

Ἕσπερος, ὅστε πιεῖν Δαμάτερα μῶνος ἔπεισεν,
ἁρπαγίμας ὅκ' ἄπυστα μετέστιχεν ἴχνια κώρας.
Πότνια, πῶς σε δύναντο πόδες φέρεν ἔστ' ἐπὶ δυθμάς,
ἔστ' ἐπὶ τὼς μέλανας, καὶ ὅπα τὰ χρύσεα μᾶλα;
οὐ πίες, οὔτ' ἄρ' ἔδες τῆνον χρόνον, οὐδ' ἐλοέσσω.
τρὶς μὲν δὴ διέβης Ἀχελώϊον ἀργυροδίναν,
τοσσάκι δ' ἀενάων ποταμῶν ἐπεράσας ἕκαστον,
[τρὶς δ' ἐπὶ καλλίστης νήσου δράμες ὀμφαλὸν Ἔνναν,]
τρὶς δ' ἐπὶ καλλι[χόρῳ χαμάδις ἐκαθίσσαο φρητί,]
αὐσταλέα, ἄποτός τε· καὶ οὐ φάγες, οὐδ' ἐλοέσσω.
μὴ μὴ ταῦτα λέγωμες, etc.

In his quod male habuit Ruhnkenium, non diu nos morabitur. Ille obelo confodiendum esse versum 12. *οὐ πίες οὔτ' ἄρ' ἔδες τῆνον χρόνον, οὐδ' ἐλοέσσω, si versus dicendus* sit *puerilis glossa, margini olim adscripta ad interpretandum vs. 17. αὐσταλέα, ἄποτός τε· καὶ οὐ φάγες, οὐδ' ἐλοέσσω*, pronunciat. Immo, bonus versus. Poeta postquam v. 10. 11. breviter descripsit errores Cereris: *οὐ πίες*, addit, *οὔτ' ἄρ' ἔδες τῆνον χρόνον, οὐδ' ἐλοέσσω*. Deinde accuratius definita itinerum Cereris longitudine illud iterum confirmat atque inculcat, ad augendam admirationem, verbis quae partim similia, ut solet, prioribus facit: *αὐσταλέα, ἄποτός τε· καὶ οὐ φάγες, οὐδ' ἐλοέσσω*. Brunckium miror, qui versus a Ruhnkenio in dubitationem adductos reliquos (h. Iov. 55. h. Apoll. 44. 64. h. Del. 147. h. Cer. 72.) recte conservavit, at duobus in locis, Lav. P. 73. 74. et hic h. Cer. 12. Ruhnkenio, et in h. Del. 252. Valckenario obtemperavit. Quod alterum memorabile dixi, nondum observatum, quod sciam, ab alio, id nuper publicatum a Klotzio in sua Clementis Alexandrini editione

Vol. IV. p. 101. Scholion praebuit. Scilicet in versibus, quos unciuis notatos, Ernestio praeeunte, apposui 15. et 16. hoc semper certum mihi et multis, ut puto, aliis fuerat, in tam simili versus utriusque initio, *τρὶς δ' ἐπὶ καλλι*, *τρὶς δ' ἐπὶ καλλι*, indicium esse perturbationis alicuius atque interpolationis positum. Praeterea in parte posteriore versus 16. *χαμάδις* neque per se valde placet, propter licentiam metricam, et quum librorum auctoritate non prorsus tutum esset, coniecturas procreavit, Bentleii: *τρὶς δ' ἐπὶ Καλλιχόροιο χαμαὶ ἐκαθίσσαο φρητί.* I. H. Vossii ad Hom. hymn. Cer. 99. sq. hanc: *τρὶς δ' ἐπὶ Καλλιχόρῳ ἀγαρεῖ ἐκαθίσσαο πέτρᾳ.* Sed, quod plus est, ad sententiam versus 16. qui est de nota sessione apud Callichorum puteum, *τρὶς δ'* illud fero ineptum videri debuerat. Hoc consentaneum, *primum* consedisse, atque consedisse semel, Cererem, postquam ter cursu non interrupto permensa orbem terrarum esset. Quam sessionem deinde excepit celebrata fabulis hospitalis *receptio*. Quod nunc dicit versus, ter consedisse deam: primum, postquam primum cursum absolvisset; secundum, postquam secundum, et sic porro, id fere ridiculum est. Mirum, ni huc pertineat Callimachi versus, qui continetur illo ad Clementis Protrept. p. 16, 32. Pott. scholio: *φρέατι· τὸ φρέαρ καλλίχορον οἱ παλαιοὶ ὀνομάζουσι· Καλλίμαχός φησιν·*

καλλιχόρῳ ἐπὶ φρητὶ καθέζεο παιδὸς ἄπυστος.

Quo versu recepto ita censeo repraesentandum esse *interea*, donec alius cuiusdam aeque boni testis ope restituatur integer, locum Callimachi:

τρὶς μὲν δὴ διέβης Ἀχελωΐον ἀργυροδίναν,
τοσσάκι δ' ἀενάων ποταμῶν ἐπέρασας ἕκαστον,
τρὶς δ' ἐπὶ καλλι . . . .
Καλλιχόρῳ δ' ἐπὶ φρητὶ καθέζεο παιδὸς ἄπυστος,
αὖσταλέα, etc.

Haec quum in codice antiquo ita scripta, ut de versu 15. ea tantum, quae apposui, in versu autem 16. haec tantum *Καλλιχόρῳ ἐπὶ φρητὶ καθέζεο* comparerent, invenisset librarius aliquis, ex his laceris duorum versuum membris versum unum, *τρὶς δ' ἐπὶ Καλλιχόρῳ χαμάδις* (vel *Καλλιχόροιο χαμαὶ*) *ἐκαθίσσαο φρητί*, conglutinavit adscripsitque in margine. Eum versum

postea nonnulli in ordinem receperunt: unus ita, ut contentus eo versu prioris versus reliquias, τρὶς δ' ἐπὶ καλλι, prorsus omitteret; alius ita, eas ut conservaret. Ut taceam alios, qui ex iis reliquiis novum procuderunt versum: τρὶς δ' ἐπὶ καλλίστην Σικελῶν (vel Σικανῶν) πόλιν ἤλυθες Ἔνναν, vel sic: τρὶς δ' ἐπὶ καλλίστης νήσου δράμες ὀμφαλὸν Ἔνναν. Novitium omnino supplementum, et recentius priori illo, sed cuius tamen in universum sententia non reprehendenda, ut videbatur Ernestio, sed laudanda est. Quum enim, ut supra declaravi, bis dicat de erroribus Cereres poeta: semel breviter et generaliter v. 10. 11. ἔς τ' ἐπὶ δυθμὰς, ἔς τ' ἐπὶ τὼς μέλανας, καὶ ὅπα τὰ χρ. μ. deinde accuratius inde a v. 13. τρὶς μὲν δὴ διέβης etc. in hac accuratiore descriptione praeter fluvios etiam terrarum mentio, vel unius cuiusdam terrae s. regionis, requirebatur. Addo obiter ad ea, quae de codicibus Ernestius, Ruhnkenius, Loesnerus, de Ambrosianis tradita in Epistolis ad Ernest. a Tittmanno editis p. 138. Scholion Codicis Regii p. 269. ed. Ernest. (Epistt. Tittmann. p. 95.): Καλλίχορον φρέαρ ἐκαλεῖτο ἐν Ἐλευσῖνι· ἔστι δὲ καὶ δῆμος Ἀττικῆς, utrum ad priscum atque genuinum versum a nobis restitutum, an ad suppositum versum spectet, dubium est. Putaverim, ad suppositum. ἄπυστος, in illo a nobis restituto παιδὸς ἄπυστος, ne quem offendat propterea, quod praecesserat paullo ante v. 9. ἄπυστα ἴχνια significatione alia, Homerum recordetur, qui et ipse variat eius vocabuli significationem eodem modo. Cf. si placet, Callim. h. in Del. 215. Oppian. H. II. 232. Marcell. Insc. Regill. v. 16.

Caeterum admiror sapientiam poetae huius, qui quum carmen scribendum epicum in se recepisset, prudenter ponderatis viribus suis, id argumentum elegerit, quod neque valde longum esset, nec supra modum grande, sed ea maxime in parte, quae in hospitio versabatur Hecales, tenuitati ac suavitati poesis bucolicae proximum. Scilicet norat ille se ipsum.

μηδ' ἀπ' ἐμεῦ διφᾶτε μέγα ψοφέουσαν ἀοιδήν.

Et Propertius:

Sed neque Phlegraeos Iovis Enceladique tumultus
Intonet angusto pectore Callimachus.

Quo etiam ex eodem Propertio *Callimachi* appellatio *non inflati*

pertinet. Callimachum hoc egisse, quum ad Hecalen se accingeret, ut calumniatores suos refutaret, et diserto tradit Scholiastes Callimachi l. l. et alia exstant simultatum, quas ea aetate scriptores secum invicem, et maximo Callimachus cum Apollonio, habuerunt, vestigia; et, si nihil traditum eiusmodi legeremus, sponte quisque ita coniiceret, non fuisse illam virorum doctorum societatem ab invidiae labe, calumniaeque atque odii perturbationibus liberam. Verumtamen ut in Hecalo operam poneret, primaria caussa Callimacho haud dubie amor argumenti fuit e gravitate et suavitate feliciter mixti. Addo, novi, non ante delibati ab alio. Ut Hecalo quoque illum novorum, reconditorum, sibi propriorum amorem attestetur atque comprobet, quem hic poeta alibi ostendit, maxime Aetiis, et quem declarat noto epigrammate:

Ἐχθαίρω τὸ ποίημα τὸ κυκλικόν, οὐδὲ κελεύθῳ
χαίρω, τίς πολλοὺς ὧδε καὶ ὧδε φέρει·
μισῶ καὶ περίφοιτον ἐρώμενον, οὔτ' ἀπὸ κρήνης
πίνω· σικχαίνω πάντα τὰ δημόσια.

Certe quicquid de eo aliquis statuat, unde habuerit argumentum Hecales Callimachus, quam quidem in rem quae coniici pauca licet, statim coniicientur: tantum manebit, quo illud modo tractatum a Callimacho est, proprium id argumentum ipsi fuisse. Ac prospere res processit Callimacho, nisi omnia fallunt. Fuit etiam Hecale, ut verbis utar, quibus ipse illo quid propositum sibi in carminibus suis habuerit, significat, *ὀλιγὴ λιβάς*, sed *ἄκρον ἄωτον*; fuit, quod facile credimus Crinagorae, opusculum suave, rotundum, elegantissimum. Deinde Hecalen multum fuisse hominum eruditorum grammaticorumque lectione celebratam, et Crinagoras exemplo est, et scriptores grammaticique probant, qui plurimi laudant Hecalen, locosque ex Hecale afferunt eo numero, ut cuius poetae in universum illi studiosissimi fuerunt, eius nullum poema cupidius lectitatum laudatumque esse quam Hecalen dicas.

Audivimus de ambitu argumentoque carminis Crinagoram et Scholiasten Callimachi.

Proximum his gravitate testimonium Plutarchi est, in Theseo, cap. 14. *Ὁ δὲ Θησεὺς ἐνεργὸς εἶναι βουλόμενος, ἅμα δὲ καὶ*

δημαγωγῶν, ἐξῆλθεν ἐπὶ τὸν Μαραθώνιον ταῦρον, οὐκ ὀλίγα πράγματα τοῖς οἰκοῦσι τὴν Τετράπολιν παρέχοντα· καὶ χειρωσάμενος ἐπεδείξατο ζῶντα διὰ τοῦ ἄστεος ἐλάσας, εἶτα τῷ Ἀπόλλωνι τῷ Δελφινίῳ κατέθυσεν. ἡ δὲ Ἑκάλη, καὶ τὸ περὶ αὐτὴν μυθολόγημα τοῦ ξενισμοῦ καὶ τῆς ὑποδοχῆς, ἔοικε μὴ πάσης ἀμοιρεῖν ἀληθείας. ἔθυον γὰρ Ἑκαλήσιον οἱ πέριξ δῆμοι συνιόντες Ἑκαλείῳ Διῒ, καὶ τὴν Ἑκάλην ἐτίμων, Ἑκαλίνην ὑποκοριζόμενοι, διὰ τὸ κἀκείνην νέον ὄντα κομιδῇ τὸν Θησέα ξενίζουσαν ἀσπάσασθαι πρεσβυτικῶς, καὶ φιλοφρονεῖσθαι τοιούτοις ὑποκορισμοῖς. ἐπεὶ δὲ ηὔξατο μὲν ὑπὲρ αὐτοῦ τῷ Διῒ βαδίζοντος ἐπὶ τὴν μάχην, εἰ σῶς παραγένοιτο, θύσειν, ἀπέθανε δὲ πρὶν ἐκεῖνον ἐπανελθεῖν, ἔσχε τὰς εἰρημένας ἀμοιβὰς τῆς φιλοξενίας, τοῦ Θησέως κελεύσαντος, ὡς Φιλόχορος ἱστόρηκεν. Hunc locum quoties legi, toties quasi quamdam ὑπόθεσιν carminis Callimachei legere mihi visus sum. Non quod, quae Toupii Emendd. in Suid. P. II. Vol. I. ed. Oxon. p. 359. sq. (T. I. ed. Lips. p. 237. sq.) videtur sententia esse, e Callimacho haec referre Plutarchum existimem: diserte se Philochorum sequi addit. Quamquam hoc largior, praesto fuisse Plutarcho librum Callimachi: et fortasse commemoraturus erat Callimachum, si quid apud eum a Philochori narratione diversum novisset. Sed omnino magnus videtur inter Callimachum et Philochorum consensus fuisse. Quod primum, conveniebat Philochoro cum Callimacho in re praecipua: apud utrumque descriptio hospitalitatis Hecales nexa atque coniuncta erat cum profectione ad debellandum taurum Marathonium Thesei. Tum quae alia ex Philochoro Plutarchus tradit, e. g. de cultu Iovis Ἑκαλείου, eiusmodi sunt, vix ut ea ignorare poeta, et si non ignoraverit, vix ut praeterire potuerit. Qua in re perinde est, utrum lectum poetae Philochorum, an non lectum arbitremur. Legere ille potuit Philochorum, si verum est, quod fere persuasit mihi Lenzius, iam floruisse Olymp. CXVIII. Philochorum. Sin minus, praeterea, quae habitans in locis istis Philochorus peculiaria habuisse potest: quae tamen qualia fuerint, nunc dignosci nequit: ex iisdem fontibus hausisse Callimachus, ex quibus hausit Philochorus, putandus erit. Quibus autem ex fontibus, an forte ex poeta vetusto, antiquitatum Atticarum vel rerum Thesei auctore, quis dicat? Si

tamen ex poeta vetusto, is haud dubie obiter tantum, breviter, et per episodium, attigerat Hecalen. Quod deinde episodium ingenioso amplificatum exornatumque carminis materia integri Battiadae fuit. Unum est, in quo differre inter Callimachum et Philochorum coniicias. Plutarchus 'Εκαλίνην: nam sic scribendum censui, non, ut vulgo, 'Εκαλήνην: dictam esse Hecalen iam mortuam significat, ὑποκοριστικῶς, ab eo, quod ipsa Theseum more senili salutavisset et blandita esset Theseo τοιούτοις ὑποκορισμοῖς. Haec enim est, quod obiter moneo, usitata Plutarcho significatio verbi φιλοφρονεῖσθαι: ut inf. c. 22. φιλοφρονεῖσθαι καὶ στεφανοῦν αὐτόν. Romul. c. 1. ἀσπάζεσθαι καὶ φιλοφρονεῖσθαι τοὺς ἄνδρας. et alibi φιλοφρόνως ἀσπάσασθαι, φιλοφρόνως δέχεσθαι. nec tamen opus in hoc nostro loco Reiskii emendatione φιλοφρονήσασθαι. Iam apud Callimachum eiusmodi ὑποκορισμῶν, quibus Hecale usa sit cum Theseo, nullum vestigium, et quod gravius est, si recte in Fragmentum CCCCXXIX *. 'Εκαλίνην, vel, quod ipsis placebat, 'Εκάλινναν intulerunt Ruhnkenius ad Callim. Fr. XL. p. 430. et maxime Toupius loco paullo ante laudato, sequi videtur, apud Callimachum Hecalen viventem, et multo antequam ad eam Theseus deverteret tempore, dictam 'Εκαλίνην esse ὑποκοριστικῶς. Verum nos rectius de Fragm. CCCCXXIX *. iudicabimus infra Cap. IV. et ita, ut nihil discrepare a Philochoro Callimachum appareat. 'Εκαλήσιον retinui. Coraës et Schaeferus 'Εκαλήσια, quod fortasse verum, certe magis usitate sonat. At 'Εκαλείῳ Διΐ, pro vulg. 'Εκάλῳ, necessario, ex emendatione dudum facta: praeeuntibus Hesychio v. 'Εκάλειος Ζεύς, et Stephano Byz. v. 'Εκάλη. Ad verba Plutarchi postrema admoveantur, quae idem Plutarchus infra c. 23. καὶ τῆς θυσίας ἐπεμελοῦντο Φυταλίδαι, Θησέως ἀποδόντος αὐτοῖς ἀμοιβὴν τῆς φιλοξενίας. Phytalidarum hospitalitatem Theseus expertus erat, quum primum Athenas proficiscebatur, κατὰ τὸν Κηφισόν, cap. 12.

At reddenda etiam caussa est, cur 'Εκαλίνην scripserim. Nempe quum 'Εκαλήνην sit in libris Plutarchi, recte Ruhnkenius l. l. ad Callim. Fr. XL. hanc legitimam esse deminuendi nominis formam negat, et 'Εκάλινναν tam apud Plutarchum quam in Etymologi loco statim proferendo scribendum coniicit; in quo adstipulantem Toupium l. l. habuit. Ego propius ad vulgatam apud

Plutarchum scripturam, 'Ἐκαλίνην. Et sic ante me Coraës et Schaeferus. Et rursus ante hos Xylander in Plutarch. Conviv. Septem Sap. p. 148. C. Sane nihil quicquam habeo, quo tuear 'Ἐκαλήνην, etsi lubenter velim, ne eadem opera scriptores duo, Plutarchum et Etymologum, emendare necesse sit. Sed quum multa sint nomina feminina in ηνη exeuntia, nullum equidem apud grammaticos, qui ea nomina recensent, ut Theognost. Crameri Anecd. Gr. II. p. 113, 11. et 19. coll. ibid. p. 321, 24. reperio, aut aliunde novi ὑποκοριστικόν, vel simile ὑποκοριστικοῦ, ex forma breviori in η factum: nisi quis Μεσσήνην dicat ὑποκοριστικόν esse ab ea, quae Homero est Μέσση. Neque Wyttenbachium quicquam proficere video, ubi 'Ἐκαλήνην et Κλεοβουλήνην (et hanc quidem etiam contra libros) defendendas suscepit, Animadv. in Plutarch. p. 922. Deinde quantilla emendatio, 'Ἐκαλίνη ex 'Ἐκαλήνη, etiamsi duobus facienda locis sit. Sic vulgo in libris Plutarchi semel recte, Κλεοβουλίνη; bis corrupte, uno loco Κλεοβουλήνη, altero Κλεοβούλη. Nomina in ινη dabo, quae collecta habeo: praeter patronymica, quae alibi proponentur. Hic autem quao daturus sum, minime contendo deminutiva esse omnia, sed insunt deminutiva. Igitur graeca sunt, et a grammaticis, Arcadio, in Regulis prosod. ap. Hermann. p. 427. 440. a Dracone, Theognosto et Choerobosco Crameri proferuntur, praeter patronymica, exempla huiusmodi: ἀξίνη, δωτίνη, ἡρωΐνη (nisi hoc inter patronymica? referendum), θριδακίνη (a θρίδαξ: Athenaeus II. p. 69. Callim. Fragm. CCCLXXI.), ἰατρίνη, πυτίνη, ῥητίνη, χοιρίνη a χοῖρος factum. Dubia, mihi quidem: ἀργίνη, ἐριγίνη, Theognost. Cram. A. Gr. II. p. 113. extr. μητίνη, Regul. prosod. Herm. p. 440. 90. quod corrigend. Αἰητίνη, ex Arcad. p. 195, 7. o Dracone p. 45, 3. locisque eiusdem duobus aliis. ἀρητίνη Etymol. Gud. p. 146, 36. Quae etiam ipsa nihil est nisi Αἰητίνη. Scilicet duo haec, ἀρητίνη (i. e. Αἰητίνη), θριδακίνη, habet Etymologus: quae eodem modo proxima sibi proferuntur ab Arcadio, et quos modo dixi aliis. Sed omnino Αἰητίνη hac in re exemplum ex tritissimis unum fuit. Ἀρίνη Choerobosci Cram. A. Gr. II. p. 216, 10. An ἀξίνη? Certo hoc, ἀξίνη, ipsi frequentatum Choerobosco exemplum est: p. 200. init. p. 255, 5. coll. ibid. p. 321. . . . . An, quod alterum in

mentem venit, huc facit ἀριγίνη Theognosti? Sed non multum laboro ea in re, in qua fortasse cras edendus grammaticus alius certum feret auxilium. Deinde nomina propria. Ut Μυρίνη apud Homerum Iliad. II. 814. (ubi Μυρήνης esse apud nonnullos, ex vitiosa pronunciatione, animadvertit Heynius) aut fuit, aut potuit esse: etsi scio Scholia ibi Eustathiumque nominativi formam statuere hanc, Μύριννα vel Μύρινα, quae ipsa apud Lycophronem v. 243. prostat. Eadem ambiguitate Μυρίνης, Μυρίνῃ, apud Dosiadam in Ara, alios, legitur. Formae huius, Φιλίνη, ne nunc quidem certum exemplum habeo: praepollet Φίλιννα. Χοιρίνη minime suspectum nomen: etsi de uxore Euripidis incertum est, utrum ea Χοιρίνη, quod in Suidae v. Εὐριπίδης libris certe plerisque et in Schol. Aristophanis p. 945, 15. ed. Dind. legitur, an Χοιρίλη fuerit, quod in Vita Euripidis tum Aldus tum codices, Ambrosianus Elmsleii, Havniensis (in quo Χοιρίλλην) a Blochio, Vindobonensis 119. (in quo Χοιρίλλαν) ab Ern. Zimmermanno collatus, exhibent. ego aliquando Χοιρίλην tenebam, atque inde Suidae glossas, Χοιρίλη· ἡ Ἑκάβη, et Χοιρίλη· ἡ Ἑκάβη, explicandas esse coniiciebam. Εὐκολίνη, deae Hecates nomen apud Callimachum Fragm. LXII. de quo alibi dicetur explicatius; mulieris, in inscriptionibus apud Boeckhium Corp. Inscr. Vol. I. 781. p. 515. 946. p. 536. 1021. p. 548. Cf. Theognost. Crameri Anecd. Gr. II. p. 114, 3. Μελτίνη Paralip. Iacobs. p. 660. Anth. Pal. II. p. 181. Cf. Boeckh. Inscr. II. 2951. p. 595. Μελιτίνης ibid. 2114. c. Ἀριστίνης (a nominativo Ἀριστίνη haud dubie) Welcker. Syll. Epigr. p. 111. Λογίνη (?) Theognost. Cramer. l. l. An Λογγίνη (Λονγίνα Inscr. Boeckh. II. 1964.)? vix crediderim. Μακρίναν Gregorius Theol. epigr. 163. quod debuerat, nisi fallor, Μακρίνην esse, et producere penultimam: cf. ibi Iacobs. Μικυλίνη Inscr. Boeckh. II. 2517. conferendum cum iis, quae ad Gregorium Cor. p. 282. congesserunt Interpretes. Κρητίνην ibid. p. 2120. b. Denique quum latina sive italica nomina hanc habeant secundum grammaticorum tum aliorum tum nuper editi a Cramero Theognosti praeceptum conformationem, Φαυστῖνα, Κωνσταντῖνα, Πλωτῖνας, Μαρῖνα: ut est Παυλῖνα in Sylloge Welckeri p. 78. Ῥουφῖνα ibid. p. 111. Δομνῖνα ibid. p. 118. Σαβῖνα (Σαβεῖναν Inscr. Boeckh. II. 2370. 2964.

coll. 2965. 2966.) alibi: memorabilia videbuntur haec: Ἀγριππίνη Leonid. Alex. XXI. 3. Anth. Pal. I. p. 293. Βαλεντίνη Welcker Syll. p. 78. Μεσσαλίνη in nummo, Letronn. Epigr. Memn. p. 165. Πλωτίνην Inscr. Boeckh. II. 2575. Quorum priora, Ἀγριππίνη et Βαλεντίνη, excusationem habent a necessitate metrica, nisi in Leonida vera sit, quam valde placere mihi fateor, coniectura Stephani Ἀγριππίνῃ. Latinis haud dubie Ἀκιλείνης nomen Boeckh. Inscr. I. 1180. annumerandum est. Ἀκιλείνης, *Aquilinae?* etsi tum magis exspectares Ἀκυλείνης, ut est Ἀκυλίνῳ sive Ἀκυλείνῳ Epigr. ἀδ. DCXCV. Anth. Pal. II. Append. p. 854. et Τιτίῳ Ἀκυλείνῳ Inscr. Boeckh. II. 2562.

De Hecale δήμῳ et Iove Ἑκαλείῳ testimonia Stephani Byzant. et Hesychii suis locis proferenda, Cap. IV. et X.

Etymol. M. (et ex eo Favorinus):

> Ἑκάλη, ἡρωῒς· εἰς ἣν καὶ ποίημα ἔγραψε Καλλίμαχος· ἡ πρὸς ἑαυτὴν καλοῦσα· ταύτην Ἑκάλην ἔλεγον οἱ παλαιοὶ ὑποκοριζόμενοι. ἔθυον δὲ αὐτῇ διὰ τὸ ξενίσαι Θησέα.

ubi ταύτην Ἑκαλήνην ἔλ. et Meursius correxit ex Plutarcho, et Ruhnkenius ad Callim. Fr. p. 430. ita esse in Etymologico Leidensi monuit. Adscribam verba Etymologi Leidensis, quae vix expetiveram, quum statim, quae est felix commercii cum Batavis nostri facilitas, et magna virorum doctorum, qui Lugdunum Batavorum ornant, erga me benevolentia atque amicitia, communicata habeo a dilectissimo meo Geelio: ἑκάλη· ἡ ἡρωῒς· ἡ πρὸς ἑαυτὴν πάντας καλοῦσα· ταύτην ἑκαλήνην ἔλεγον οἱ παλαιοὶ ὑποκοριζόμενοι· ἔθυον δὲ αὐτῇ διὰ τὸ ξενίσαι Θησέα. Ego vero Ἑκαλίνην malo. Caeterum falsum esse arbitror, quod tradunt Etymologi illi, ipsi sacrificatum esse Hecalae. Iovi sacrificabant Ἑκαλείῳ, in memoriam Hecales.

Suidas:

> Ἑκάλη. ὄνομα κύριον. ἡ ἡρωΐς, ἡ παρὰ Καλλιμάχῳ, ἡ πρὸς ἑαυτὴν καλοῦσα. ἔχε (o Mediol. et libb. Gaisf. Vulgo erat ἔχει) γὰρ τεῖχος ἀκλήϊστον.

Codex Suidae Leidensis, ut mihi scripsit Geelius, ita: ἑκάλη ὄνομα κύριον. ἡ ἡρωΐς, ἡ παρὰ Καλλιμάχῳ, πρὸς ἑαυτὴν καλοῦσα· ἔχε γὰρ τεῖχος ἀκλήϊστον. Quaesiverit aliquis hac

opportunitate, quid sit quod idem Suidas in v. *Καλλίμαχος*, ubi scripta recenset Callimachi, nullum *Hecalae* locum dederit; idque eodem iure quaesiverit, vel etiam maiori, quam quo B. Vulcanius in Callimacho suo p. 266. neglectos ab eodem Suida *Hymnos* et *Iambos* miratur. At profecto in Suida neque hoc mirum neque illud.

Etymologicum Gudianum ita breviter: Ἑκάλη, ἡ πρὸς ἑαυτὴν καλοῦσα· ἔχει γὰρ στέγος ἀκλήϊστον. Eclogae Crameri Anecd. Gr. II. p. 436, 10. Ἑκάλη: Ἡ πρὸς ἑαυτὴν καλοῦσα· ἔσχε γὰρ τέγος ἀκλήϊστον.

Iam ad reliqua testimonia pergenti cum laude commemorandus est Angelus Politianus, qui de Hecale et eleganter scripsit, et docte, maxime pro illorum temporum ratione, in Miscellaneorum libro, cap. XXIV. Sed quidni docte dicam sine exceptione, quum ille de Hecale Callimachi unum praeclarum testimonium primus protulerit, quod ego neque ab iis, qui post Politianum elaboraverunt in hoc argumento, adhibitum video, neque ipse unde petitum sit, usque ad hunc diem repperi. Itaque audiamus Politianum: *Ceterum de ea iustum poema Callimachus fecit, Hecalen nomine: sicuti innuit item versiculus ex notissimo epigrammate:*

μέλπω δὲ γραιὸς τῆς φιλοξένου τρόπους.

Sic etiam editio princeps Florent. 1489. per Antonium Miscominum. Quod notissimum dicit, mihi est ignotissimum. Aliorum fortasse promptior memoria erit. Laudat locum Dalecampius ad Plin. H. N. XXII. 22. sed ex Politiano. Et ex Politiano haud dubie I. Casp. Gevartius in Epistolis celeberrimor. viror. ab Iano Brantio editis p. 16. ita: *Citant autem veteres Grammatici hunc Callimachi versum: Μέλπω δὲ* etc. Veteres Grammaticos, et Callimachi versum esse, de suo addidit Gevartius: coniecturam, si tamen haec coniectura est, non error simpliciter ex male intellecto Politiano, per se haud ineptam. Apparet loquentem induci hoc versu Callimachum, sive, quod paene malim, librum Callimachi Hecalen. ut est ἀείδει sc. ἔπος, in epigrammate Crinagorae; Callim. Epigr. VI. Τοῦ Σαμίου πόνος εἰμί, — κλαίω δ' Εὔρυτον, ὅσσ' ἔπαθεν, etc. et similia multa. An, ut nihil intentatum reliquam, recentioris cuiusdam viri docti epigramma fuit? Ut

quemadmodum Lascaris epigramma scripsit in Hymnos Callimachi, ita alius ipsum sua scripta, etiam deperdita, recensentem fecerit Callimachum. Sed non expulo, qui ante Politianum, et ante editum ab Lascare Callimachum, ita studiosus Callimachi, et deperditorum adeo operum eius fuerit, ut ea de re epigrammate luderet. Versus quidem tam bonus, μέλπω δὲ γραὸς τῆς φιλοξένου τρόπους, cui excidere posset, non defuit ea aetate. Ut ipse Politianus. Et Ianus Lascaris ille: quamquam, si Lascaris auctor, eo fortasse non ita usurus fuisset Politianus. Et paullo post Marcus Musurus.

Ad Ang. Politianum qui adhibuerit Io. Baptistam Pium in Plaut. (Mediol. 1500.) Cistell. I. 1, 50. habebit fere quotquot exstant scriptorum veterum, praeter illos quos pertractavimus, et praeter multos qui fragmenta laudant poematis Callimachei, de Hecale testimonia. Is addidit Petronium, Ovidium, Plautum, in aliis fere ad verbum conspirans cum Politiano. Sed tamen *hecaleo ioui* recte habet, ubi Politianus *hecalo I.* Idem Baptista Pius, quod me Delbenus ad Petronium docet, antea ad Fulgentii Mythologica (Mediol. 1487.) de loco Petronii et nescio quantum de Hecale scripserat.

Reliquos promiscue ponam, qui usi iisdem testimoniis dixerunt de Hecale. Sunt autem hi. Phil. Beroaldus lib. Annot. p. 235. T. I. Thes. crit. Grut. et Comm. in Apul. Metam. in T. III. Appuleii Oudendorp. p. 50. sq. Caelius Rhodiginus Lection. antiq. XXX. 11. Brodaeus in Anthol. Gr. p. 134. (139. ed. Wechel.) hoc est, ad epigramma illud Crinagorae. Gyraldus Poet. hist. dial. III. p. 153. F. Turnebus Advers. I. 15. XXVI. 7. Erasmus in proverb. *Iro, Codro pauperior;* H. Iunius, qui primus, si recte memini, Iulianum adhibuit, in prov. *Hecales coena:* cf. prov. *Cynice vivere* et *Nunquam Hecale fies.* A. Schottus Obss. poet. II. 29. p. 71. I. Mell. Palmerius Spicileg. p. 666. T. IV. Thes. crit. Grut. Dalecampius ad Plin. l. l. Gevartius Epist. ad H. Grot. l. l. p. 15. 16. Meursius in Theseo cap. 10. p. 30. sqq. Ultrai. 1684. (Thes. Gronov. Vol. X. 508. sq.) et fortasse alii. Ut interpretes Apuleii, Petronii. Laudatum C. Barthio in Stat. Theb. XII. 582. p. 1526. *Salmasium ad Petronium* ne quis frustra quaerat, is non *Salmasius* est, sed *Salasius*, ut C. Barthio etiam alibi audit

interpres Petronii Gonsalius de Salas. Meursii quidem collectio etiam eo utilis, quod addidit de tauro Marathonio nonnulla; praeterea idem et hoc loco, quem dixi, et in Bibliotheca Graeca sua lib. II. (Thes. Gronov. Vol. X. 1285. D.) et ad Helladii Chrestomath. (eiusdem vol. Thes. Gronov. 957. B.) initium colligendi fragmenta Hecales, sane quam parvum, fecit. Aliud Spanhemius p. 277. seq. ed. Graev. p. 387. seq. ed. Ern. Illud facile quivis ipse animadvertet, quotquot appositurus sum veterum scriptorum de Hecale locos, omnes aut plerosque, sed non dubito quin omnes, ad Callimachum *respicere*, qui omnino notissimus cunctis auctor de rebus Hecales fuit, et multis haud dubie unicus auctor.

Priapei. carm. XII.

Quaedam iunior Hectoris parente,
Cumaeae soror, ut puto, Sibyllae,
Aequalis tibi, quam domum revertens
Theseus repperit in rogo iacentem,
Infirmo solet huc gradu venire:

et quae seq. Priores versus apposui, ut monerem de scriptura. Quum enim ex optimis libris annotatum sit *Quaedam iunior*, cuius scripturae correctiones sunt *senior*, et factum inde a Scaligero *serior*, et ab aliis *Quaedam haud iunior:* videat aliquis, an conservari librorum scriptura non mutata debeat. Ut sit *iunior Hectoris parente κατ' ἀντίφρασιν* dictum, pro eo quod exspectes, *senior.* Ut si quis hominem pauperrimum *ditiorem Iro*, vel contra ditissimum *pauperiorem Croeso* diceret. Nam Hecuba, etsi neque ipsa semper vetula fuit, tamen tamquam exemplum summae senectutis poni potest. Sic differet aliquid inter Hecubam et exempla, quae subiicit poeta, Sibyllam, Hecalen, et duobus modis declarabit vetulae istius suae senectutem: semel ita ut eum grandaeva illa Hecuba eam comparet; deinde, ut tempore Sibyllae vixisse et cum Hecale eandem significet. Quo posteriore modo iterum utitur sive idem sive alius poeta, Priap. LVIII. 3. sq. coll. LXXVIII. 4. et Martialis X. 67.

Statius Theb. XII. 581. ubi uxor Capanei Theseo:

Si patrium Marathona metu, si tecta levasti
Cressia, nec fudit vanos anus hospita fletus.

Quod *tecta Cressia* immiscet Statius, quibus interfectum a Theseo

Minotaurum significari apertum est, alienum est ab historia Hecales.

Petronius cap. 135. in descriptione humilis casae, supellectilis tenuissimae:

Qualis in Actaea quondam fuit hospita terra,
Digna sacris Hecale, quam Musa loquentibus annis.
Battiadae veteris vicendo tradidit aevo.

ut hos versus scribunt H. Stephanus in Virtutum Encomiis (1573.) p. 88. Scaliger Catalect. Vet. P. p. 195. et Castigg. p. 188. ad Priapeiorum locum paullo ante laudatum; Bentleius (qui *mirando*) in Callim. Fragm. XL. Et ante hos, ut alios taceam, Bapt. Pius ad Plautum, nisi quod huic *Battiadae vatis* placuit. Et illae quidem omnino certae emendationes sunt, *Hecale*, et *Battiadae. vivendo* si non ineptum, est tamen dubitationi obnoxium. Pro quo non displicet nuper in Anthologia Latina I. 161. ab H. Meyero editum *mirandam,* emendatio Gronovii, sed facta iam ante Gronovium, nisi fallor. Et placet *veteri*, quod etiam est in marg. Fragm. Poet. V. L. HSt. p. 404. et alibi. Auget autem rem Petronius, quum scribit: *Digna sacris Hecale.* quod non mirum in poeta. Re vera non Hecalae sacrificatum esse, sed Iovi *Ἑκαλείῳ*, monitum est, ubi de Etymologis.

Ovidius Remed. am. v. 747.

Cur nemo est, Hecalen, nulla est quae ceperit Iron?
Nempe quod alter egens, altera pauper erat.

Appuleius Metam. I. 17. (p. 112. Elmenh.) *Nam et maiorem domum dignatione tua feceris: et tibi specimen gloriosum arrogaris, si contentus Lare parvulo, Thesei illius cognominis patris tui virtutes aemulaveris, qui non est aspernatus Hecales anus hospitium tenue.* Olim fuerat, ante Ph. Beroaldum et Politianum, *aspernatus ales anus h. t.*

Iulianus Imp. Epist. (ad Iamblich.) XLI. p. 421. B. ed. Spanh. *Καὶ πρῶτόν σοι τῶν λόγων, οὓς βασιλεῖ κελεύσαντι πρὸς τὴν ἀοίδιμον τοῦ πορθμοῦ ζεῦξιν ἔναγχος ἐξειργασάμεθα, ἐπειδὴ τοῦτό ἐστι δοκοῦν, ἀπαρξώμεθα, μικρὰ μὲν ἀντὶ μεγάλων τῶν παρὰ σοῦ, καὶ τῷ ὄντι. χαλκᾶ χρυσῶν ἀντιδιδόντες· οἷς δὲ ἔχομεν ξενίοις τὸν Ἑρμῆν τὸν ἡμέτερον ἑστιῶντες. Πάντως οὐδὲ τῆς Ἑκάλης ὁ Θησεὺς τοῦ δείπνου τὸ λιτὸν ἀπηξίωσεν, ἀλλ'*

ᾔδει καὶ μικροῖς ἐς τὸ ἀναγκαῖον ἀρκεῖσθαι. ὁ Πὰν δὲ ὁ Νόμιος τοῦ παιδὸς τοῦ βουκόλου τὴν σύριγγα προσαρμόσαι τοῖς χείλεσιν οὐκ ἠτίμασεν.

Plinii H. N. XXII. 22. et XXVI. 8. de Hecale loci a me infra inter Fragmenta Callimachi apponendi, ubi ad hospitium Hecales perventum erit.

Chaeremon quis sit, quem mentionem facere de Hecale C. Rhodiginus l. l. scribit, id ego aeque ignoro atque illud, quod de epigrammate A. Politianus. Scribit autem Rhodiginus, postquam Plutarchum commemoravit, et Plinium, ita: *Meminit et Chaeremon.* Tum ad Suidam, alios, pergit. Quaesivi aliquando, an illud ipsum epigramma significet, ex quo versus est apud Politianum.

Et hi quidem, praeter versiculum istum, *μέλπω δὲ γραὸς τῆς φιλοξένου τρόπους*, et praeter Chaeremonem, certi sunt testes, et apud quos mentio Hecales minime ambigua, et dudum observati a viris doctis. Mirum vero, ni plura maxime illi Iuliani dicto similia dicta exstent apud scriptores aequales, vel etiam posteriores Iuliano, sophistas, epistolarum scriptores, et qui alii petitis ex historia fabulave antiqua exemplis proverbiisque delectantur. Proverbiis, inquam: nam sane, quos vidimus veterum auctorum locos, maxime Iuliani, et Appuleii, et Ovidii quoque, hoc sonant, ut tum in proverbium abiisse Hecalen dicas. Sed tamen a multis inde annis observator haud incuriosus, nihil eiusmodi, quod novum esset, neque ipse apud scriptores veteres legi, neque annotatum ab aliis deprehendi.

Superest Plautus, in quem male illatam *Hecalen* a Baptista Pio, et viris doctis post Pium multis contendo: Cistell. I, 1, 50.

Nam si quidem ità eris, ut volo, nunquam † Hecate fies:
Semperque istanc, quam nunc habes, aetatulam obtinebis.

Verba sunt lenae matris ad filiam. Ac primo illud non multum morarer, quod in libris multis aut plurimis aut cunctis *hecate* legitur, ut in editione principe, vel etiam *hecata*. Facile id mutari in *Hecale*, *Hecala*, paterer. Ut a graecis librariis *'Εκάλη* non raro in *'Εκάβην* conversa (Callim. Fragm. XLVII ap. Grammat. Bentl. Gaisf. et Crameri; LI. a. in Etymol. M. LIII. ap. Helladium Photii; LX. et alibi) reperitur, ita in codicibus latinis

usitata corruptio est *Hecate* ex *Hecale:* ut in Petronio, et monentibus Pio Beroaldoque in Ovidio; et in Plinii *novis codicibus*, ut Politianus scribit. rara eadem in libris graecis: unicum exemplum habeo in Iuliano, codicem Heyleri G. qui *e correctura repraesentat* *Ἑκάτης*. nam in Etymologorum locis v. *Εὐκολίνη* me non facere cum Bentleio Ruhnkenioque, iam significatum est. At in Plautum quo tandem consilio aut quem in finem *Hecalen* intulerunt viri docti? Unus et alter propter aetatem, ut sensus sit: nunquam fies anus. Quod Hecalen attinet, non male: cuius etiam senectutem celebrem fuisse et abiisse in proverbium credibile est. ut ab hac parte assentiar I. Mellero Palmerio contra Vallam. Sed contra sensum Plauti, et contra sensum omnino omnem, si quidem hoc non est in potestate lenae, sempiternam praestare iuventam. Alii, inter quos Pius, quibus Petronius imposuisse, et maxime Ovidius videtur, tamquam mendicitatis exemplum Hecalen proponi a Plauto censuere. Prorsus contra historiam sive fabulam. Fuit Hecale pauper, fuit rustica; hospitium eius tenue (*τοῦ δείπνου τὸ λιτόν* Iulian.): non fuisse egentem, non mendicam, ipse Ovidius, qui ei opponit Irum, significat, neque celebrata a Callimacho aliisque hospitalitas in mendicam cadit. Ac nescio an non ita tum nota Romae fuerit Hecale, ut Plautus nomen hoc non solum ponere in comoedia, sed ponere sic, proverbii loco, potuerit. Certe quod ad locum Plauti Salmasius annotavit: *Nota* Hecale *in comoedia palliata paupertate insignis anus:* ego e comoedia palliata nihil observatum de Hecale habeo. Neque Salmasium credo quicquam habuisse. Coniecit hoc, monstraturus probabili quodam modo, unde nota Plauto Hecale fuerit: scilicet in comoediam palliatam Romanorum venisse nomen e comoedia, quam illa imitatur, graeca. Ego mihi multo rectius illud supra scripsisse videor, Callimachum notissimum cunctis auctorem de rebus Hecales fuisse, et multis haud dubie unicum auctorem. Quod quidem de Romanis maxime dictum volui. Iam Plautum inter et Callimachum non tantum fuit spatium temporis, ut Comico proverbii instar esse Hecale posset. Igitur apud Plautum haud dubie *Hecate* legendum est: quam deam, et qui rapiebant apposita Hecatae pauperes, vili cibo parcaque coena contentos fuisse proverbio constat, *Ἑκάτης δεῖπνον*,

de quo post alios Spanhemius in Aristoph. Plut. 596. Hemsterhusius in Lucian. Dial. mort. I. p. 397. Vol. II. Bip. cf. Antiphanes Athen. VII. p. 313. B. C. VIII. p. 358. F. et qui fortasse eodem spectat, Sophron Athen. III. p. 110. C. ut nunc restitutus a Schweighaeusero est. Nicostrati fabula Ἑκάτη, itemque Diphili: in quibus fortasse fuit aliquid huc referendum. Optime autem inter se coeunt *nunquam Hecate fies, semperque istanc — aetatulam obtinebis,* modo teneas, quod iam observatum ab aliis, *aetatulam* non esse aetatem proprie, sed vitam vitaeque commoditatem. Lacuna autem est in versu *Nam si quidem ita eris ut volo, nunquam* etc. quam indicavi nota. Mihi aliquando in mentem venit excidisse *edepol*, sic: *nunquam edepol Hecate fies.* Quamquam fatendum est nihil me quod eam coniecturam commendet, habere, praeter hoc unum, quod saepe, et fere in singulis sermonibus suis, iurat haec Lena: v. 16. 24. 45. 49. 88. Ex eo nihil extrices; quod Pareo teste in V. C. fuit: *num et haec ate f.* praesertim quum, ut idem Pareus monet, illud *et* puncto infra supraque septum sit ab emendatore, ut appareat delendum esse.

Quum semel inter errores versemur, notabo etiam Beroaldi l. l. aliorumque ad Petronium errorem, *Hecalesia* scripsisse Callimachum. Sic Callimachus corrupte *ἐν τοῖς Αἰτησίοις* sive *Ἐτησίοις* (*Αἰτίοις*) citatur. Etsi differt aliquid inter utrumque, siquidem *Aetesia* iam vetus ipsorum scriptorum sane non magnorum, Chronici Paschal. Ioannis Malalae, et fortasse Fulgentii, error est, at *Hecalesia* nihil nisi Beroaldi aliorumque peccatum ex male lecto Plutarchi loco.

Fuit metaphrasis carminis Callimachei iambica, a Mariano facta, qui imperante Anastasio floruit. Suid. v. *Μαριανός*: — *Μετάφρασιν Καλλιμάχου Ἑκάλης, Ὕμνων, καὶ τῶν Αἰτίων, καὶ τῶν Ἐπιγραμμάτων, ἐν ἰάμβοις στωί.* Ex qua servatum versum, *μέλπω δὲ γραὸς τῆς φιλοξένου τρόπους*, coniicerem, nisi illum Politianus ex epigrammate esse diceret. Animadverto obiter hoc quoque novo argumento confirmari satis per se firmam superiorem demonstrationem de longitudine Hecales non nimia. Cui ad metaphrasin Theocriti iambis 3150, ad metaphrasin Argonauticorum Apollonii iambis 5608 opus fuisset, ei ut tot Callimachi poemata comprehenderet metaphrasi, vix satis

futuri erant iambi 6810, si tam *μέγα ποίημα* fuisset Hecale. Utinam, quum nulla spes sit, repertum iri unquam carmen Callimachi ipsum, metaphrasis saltem Mariani, quae spes esse non nimis immodesta videtur, ex pulvere bibliothecarum eruatur.

Scripserat de Hecale, docta, ut credere par est, et partim haud dubie e Callimacho, Ptolemaeus Hephaestionis lib. III. de quo Photium p. 148. a. 20. ed. Bekker. haec tantum annotavisse paucissima dolemus: *περὶ Ἑκάλης, καὶ πόσαις γέγονεν ἐπώνυμον τοὔνομα.*

Ut nunc est, experiemur quid effici ex fragmentis possit. Fragmenta autem dico non solum ea, quae addito carminis nomine laudantur a scriptoribus, grammaticis maxime, antiquis, quae quidem satis multa sunt, sed etiam illa Callimachi fragmenta, quae sumpta ex Hecale esse sententia argumentumque suadet, etiamsi laudantur sine nomine carminis: qua in re recordandum est, de quo supra breviter, valde caram notamque olim grammaticis fuisse Hecalen Callimachi. Quin etiam ulterius progredi, et fragmenta, quae sine poetae nomine afferuntur, ut a Suida, modo dictionem habeant Callimacheam, et apta argumento sint, ad Callimachum referre Hecalenque licebit. Quamquam ea res quantum dubitationis ac periculi habeat, neminem fugit; et periculi quidem dupliciter, quum et carmen periclitetur, cui aliena immiscueris, et ipse ignorantiae negligentiaeve crimen incurras, si ad Hecalen ea retuleris, quae fortasse alius ex alio desumpta poeta esse demonstraturus est. Sed tamen aliquid audendum est. Neque id primus audeo. Quum enim hoc satis appareat, vix ullum poetam, Homero excepto, diligentius versatum a grammaticis cupidiusque laudatum esse quam Callimachum, propter suam singularem doctrinam: contingere potest probe exercitato poetarum lectione, ut in verbis etiam paucissimis, vel in uno quodam exquisito vocabulo, statim agnoscat Battiaden, et recte illi maxime, quos dixi supra, Ruhnkenius, Toupius, hoc agere coeperunt, ut si quid aliunde non notum legissent illo Callimacheo *χαρακτῆρι* insignitum, in eo primum cogitarent de Callimacho, id ad Callimachum revocare coniectando quam ad alium mallent. Si autem ad Callimachum, quidni ad Hecalen, ubi opportunus

illis locus inventus fuerit? Atque unam ego, ne latius evagetur libido colligendi, non satis observatam aliis cautionem habeo: ea quae disputavi de argumento ambituque carminis. Non omnibus Thesei factis locus in Hecale fuit. Observabatur Callimacho facinorum Thesei is, quem Plutarchus sequitur in Theseo: quocum consentiunt Diodorus Siculus IV. 59. seq. alii. Ergo in Hecale, etsi Minois mentionem factam esse probabiliter monstrabimus, de Minotauro nihil. Nisi de eo aliquid praedixerit obiter poeta, ut solent poetae de eo, quod postmodo factum fuerit, nonnunquam obiter inserere indicium: cf. Callim. Fragm. CCXII. At fuisse in Hecale de Theseo sollemniter excepto post reditum e Creta, ut statuit Toupius, ubi de fragmento poetae, quod est apud Suidam in *Στόρνησι* disputat: is manifestus error est, et quaedam, ut puto, Minotauri cum tauro Marathonio confusio. Quamquam hac etiam in disputatione fortasse aliquid inest veri: de quo dicetur in Cap. IX. Pertinentia ad bellum Minois Megaricum Scyllamque Nisi fragmenta, unum Callimachi CLXXXIV. alterum sine nomine, apud Suidam in *Κρέκα*, quae ex Hecale desumpta esse idem putabat Toupius, si fuerint in Hecale, qua conditione fuerint, ostendam Cap. 11. Nullo modo ad Hecalen pertinet aper Calydonius, et Fragm. Callim. CCXXVI. *εἰμὶ τέρας Καλυδῶνος, ἄγω δ' Αἰτωλὸν Ἄρηα.* Scripsi hac de re contra Bentleium et Valckenarium in prooemio Indicis Scholarum Bonnens. aestiv. a. 1824. cui disputationi nunc habeo quae addam beneficio Niebuhrii V. Ill. Is quum primum legisset ista mea, multo leniorem scholii ad Eurip. Phoen. 136. (134.) emendationem monstravit: *ὡς ἔχοντος αὐτοῦ ἐπὶ τῆς ἀσπίδος* etc. Deinde ingeniosa Viri Illustris coniectura est, non de Tydei agere clypeo Callimachum, sed de clypeo Aetolico in universum: fortasse commune Aetolis insigne clypei aprum fuisse.

Divisi materiam omnem in capita decem, quibus inscriptiones non male convenient hae: ***Prooemium*, *Taurus*, *Theseus*, *Hecale*, *Hospitium*, *Episodium*, *Fletus*, *Pugna*, *Sacrum*, *Funus*.**

CALLIMACHI
HECALE.

I.

Prooemium quoddam Callimachum suae de Hecale narrationi praeposuisse facile quivis ex usu poetarum coniiciet. Id ego prooemium ex genere τῶν δικανικῶν προοιμίων, quae Aristoteles dicit, vel, quod vulgo dicitur, prologum *galeatum* fuisse indiciis quibusdam, non illis ab omni parte certis, sed tamen indiciis, credo. Primum quum Callimachus etiam hoc egisse Hecale scribenda videatur, ut adversarios suos, qui ipsum carmini maiori, continuo, uni, epico, scribendo imparem esse significassent, refelleret, qua de re in Prolegomenis ad Hecalen pag. 6. 7. 8. 9. expositum est, eam criminationem attingendi aptissima occasio erat in exordio eius carminis, quo Callimachus se criminationem illam refutaturum, praeclaro exemplo, sperabat. Deinde inter Fragmenta Hecales, ea dico quae addito carminis nomine afferuntur ab antiquis scriptoribus et grammaticis, nonnulla sunt, quibus nullum aptiorem locum quam in hoc, quem ego mente concepi, prologo, excogito. Qua in re non moror, si qui futuri sint, qui dicant fingi a me prologum, ut habeam, quo loco collocem, quibus alium locum invenire nequierim. Iniqui illi, si quid video, neque satis edocti, quas leges et quam libertatem critici munus habeat, cui colligere membra destructi ac deperditi operis dispersa, membrorumque fragmenta, atque iterum componere, et in unum quasi corpus, pristino, quod olim fuerit, quam simillimum, redigere propositum sit. Quod munus quum fere totum in veri similitudine constet, neque postulari hoc neque exspectari potest, ut quicquid superest fragmentorum,

certis locis assignetur. Sic illa poteram inter fragmenta incerti loci ponere. Nunc prologo assigno, quum et prologum fuisse probabile sit, et illa ei prologo sint accommodatissima. Neque mirum videbitur, quod ex prologo fragmenta non pauca numero servata sint. Prooemia enim operum quum magis exposita oculis magisque nota sint, quam partes operum mediae, nihil mirum, quod ex prooemiis facilius loci quam ex mediis operibus laudentur.

Igitur ponam quae mihi videntur Prologi fragmenta esse, ponamque ordine, non eo, quo posita fuerint in carmine, quis enim hoc praestet? sed quo posita probabilem sententiarum seriem, Callimachi indole, de qua prorsus meam facio Buttmanni in Diss. de Cydippe Mythol. II. p. 122. sententiam, haud indignam praebeant.

Semel moneo fragmenta Callimachi ea, quae *ex Hecale* diserte laudant antiqui scriptores et grammatici, asterisci signo * distincta a me apponi.

Fragm. CLXV.

μηδ' ἀπ' ἐμεῦ διφᾶτε μέγα ψοφέουσαν ἀοιδήν.

Fragm. XLII. *

ἀείδει καί πού τις ἀνὴρ ὑδατηγὸς ἱμαῖον.

Fragm. CCLXXXVII.

εἵνεκεν οὐχ ἓν ἄεισμα διηνεκὲς . . . . .
ἤνυσα.

Fragm. LII. *

αὐτοὶ μὲν φιλέουσ', αὐτοὶ δέ τε πεφρίκασιν·
ἑσπέριον φιλέουσιν, ἀτὰρ στυγέουσιν ἑῷον.

Fragm. XLVIII. *

οἵ νυ καὶ Ἀπόλλωνα παναρκέος Ἠελίοιο
χῶρι διατμήγουσι, καὶ εὔποδα Δηωΐνην
Ἀρτέμιδος.

— *neque a me carmen petite altisonum.* Alii moliantur grandia. *Canit etiam vir aquam hauriens ἱμαῖον cantilenam.* Invidos non moror, qui me calumniantur, *quod nullum continuum poema perfecerim* (vel sic, superbiori conversione: Sed tamen qui mihi obiiciunt, *quod nullum continuum poema perfecerim*, mox arguentur mendacii). invidi isti, inconstantes ac fragili fide, *qui*

iidem et amant et oderunt: mane amant, vesperi oderunt. ipsi non satis artis musicae periti, *qui Apollinem ab omnipotente Sole dirimant, et pernicem Proserpinam a Diana.* Non dico haec ita arcte inter se nexa fuisse, ut ego nexa dedi: potuerunt haec in prologo, fortasse satis longo, et alio modo nexa esse, et alia interiecta.

Iam singula pertractanda sunt.

Fragmentum CLXV. *μηδ' ἀπ' ἐμεῦ διφᾶτε* etc. quod Bentleius Ovidii Remed. 381. versu: *Callimachi numeris non est dicendus Achilles,* illustrabat, Ruhnkenius autem a Propertio IV. 1, 58. ita expressum: *Hei mihi, quod nostro est parvus in ore sonus,* putabat, Valckenarius primum verbo, in Epistolis a Tittmanno editis, p. 48. deinde disertius in Callim. Elegiar. Fragm. p. 281. et p. 285. Elegis vindicavit Callimachi. Cui accedebant Ernestius et Ruhnkenius. Mihi, qui illud in prooemio positum Hecales coniicio, meo iure, *ἀοιδὴ μέγα ψοφέουσα* tum omnino os magna, sonans tum maxime maiestas, vel etiam cum reprehensione aliqua, tumor est carminis heroici, cui Callimachus suam opponit tenuitatem, quam ne in Hecale quidem, carmine, formam si spectes, epico, sed argumento atque ambitu multum ab illis magnis carminibus heroicis diverso, deseruerit. Etiam sic aptus est, quem huic fragmento Valckenarius admovet, locus Propertii II. 1, 39. Noverat haud dubie Hecalen Propertius, et tamen illud scripsit verissime, et ex ipsius Callimachi sententia: *Sed neque Phlegraeos Iovis Enceladique tumultus Intonet angusto pectore Callimachus.* Scripsi cum Valckenario *ἀπ' ἐμεῦ*, ex ipso Etymologi p. 279, 47. loco; et sic iam in Callimachi Fragmentis a Vulcanio collectis, p. 174. ed. Vulc. p. 354. ed. Ern. Vulgo, in Fragmentis Bentleii, *ἀπ' ἐμοῦ* legitur, relictum, ut multa vitiosa, a Blomfieldio. *διφᾶν* vocabulum, semel apud Homerum lectum, semel apud Hesiodum, Callimachus et hic habet et Epigr. XXXII. (XXXIII.) 2. *διφέω* Crinagoras in Brunck. Anal. XXIV. 3. Placeret etiam in Callimachi Epigr. XLII. (XLIII.) 5. (Anthol. Palat. II. p. 471.) coniectura Iacobsii, *δίφησον*, nisi omnia suaderent, nomen ibi restituendum esse pueri.

Fragmentum XLII *. consulto ita posui in illa mea Callimachi sententiarum compositione, ut ambigua esset significatione.

Fuit enim aut in laudem dictum, ad declarandum late patentem amorem carminum canendique cupiditatem, hoc fere modo: ego mea mihi parva, sed suavia carmina fingo, poeta modestus: ut omnis homo canit; *ut etiam vir ὑδατηγὸς suam cantilenam canit.* Aut in reprehensionem contemptumque, contra alios. Quod multo magis probabile. Certe ἱμονιοστρόφου μέλη Dionysus Aristophanis in Ranis v. 1297. (1332. Kust.) ad quem locum vetus interpres graecus fragmentum profert Callimacheum, in contemptum dicit, diserte id significantibus et interprete illo et Suida in Ἱμονιοστρόφου μ. de cantico sive rudi, sive inconditο, sive alio quodam modo insuavi atque insolenti auribus. Venit in mentem, an forte ea comparatione Callimachus infinitam longitudinem non variantis sonum carminis notare voluerit: nam tales esse solent eorum, qui in longo ac difficiliore labore occupati sunt, cantilenae. Ut poeta illum suum *magnorum* poematum contemptum significet, de quo in hymno Apoll. extr. Atque sic haec sententia aut hic, ubi est a me inserta, aut inferius inserenda erit, inter Fragm. LII. et XLVIII. Ad particulas καί πού τις ex Apollonio IV. 1457. καί πού τις adscripsi, ut monerem de diversa καί particulae potestate, quam vel ordo monstrat particularum. Apollonio ibi καί copula, Callimacho est *etiam:* es singt auch wohl etc. Dedimus versum, ut apud Scholiastam Aristophanis ad Ran. 1297. (1332. Kust.) legitur: ἀείδει καί πού τις ἀνὴρ ὑδατηγὸς ἱμαῖον. Ruhnkenius vehementer errat, qui ita scribit: *Legendum potius ex Moschopulo περὶ Σχεδῶν* p. 16. — καί πού τις ἀνὴρ ὑδατηγὸς ἱμαῖον ἀείδει. Non est mihi Moschopulus iste ad manum, sed haud dubie quicquid habet, ab Suida habet, apud quem in v. Ἱμαῖον ᾆσμα sic: καί πού τις ἀνὴρ ὑδατηγὸς (-ὸν) ἱμαῖον ᾄδει legitur; in cod. E. Gaisfordii illud ipsum, quod ex Moschopulo profert Ruhnkenius. Eandem pravam caesuram in Callim. Fragm. CCLXI. inferebat Ruhnkenius: v. infra Cap. VI. Ut taceam, quae idem alibi similia erravit, e. g. in Theocriti Adoniaz. v. 79. infelici coniectura θεῶν γε πονάματα φασεῖς; atque taceam longe infelicissimum Ernesti conatum in Callim. h. Del. 147. Verum hoc sine inepta gloriatione in Ruhnkenium et in aetatem illam dictum esto, cui multa licebat ignorare, quae nunc, post Hermannum, nemini ignorare

impune licet. Perstringam hac opportunitate quae pauca in Callimacheis exstant huius pravae caesurae trochaicae exempla. Omitto ea quae speciem tantum pravitatis habent, qualia sunt h. Apoll. 35. h. Dian. 144. 201. h. Cer. 46. Fragm. CXX. 1. CXXXVI. CCXCI. CCCCXL. Deinde omitto haec, quae tantum per aliquantum temporis librarii negligentia aut ex virorum doctorum errore malave emendatione elegantiam deformarunt Callimachi: h. Cer. 138. *ἵν' ὅς ἄροσ', ἐκεῖνος ἀμάσσοι* in. Ms. Veneto apud Ruhnkenium Epist. crit. II. p. 173. Fragm. XXX. in collectione Annae F. p. 366. ed. Ern. *ὥσπερ ἐκεῖναι πρῶκας ἔρυζε πεσούσας*, quae verba, derivata ex scholiis Theocriti IV. 16. ubi male cum alio fragmento conflata leguntur, quum Casaubono, et Scaligero quoque Castig. in Append. Virgil. p. 234. fraudem fecissent, ad suum locum qui est in hymno Apollinis v. 40. 41. revocata atque inde emendata sunt a Dan. Heinsio et Toupio. H. Iov. 33. *Νέδῃ δέ σ' ἔδωκε κομίσσαι*, ex mala Brunckii emendatione, qui propter eandem augmenti cupiditatem, eandem caesuram in Apollonio propagavit aliquoties, I. 542. II. 237. H. Dian. 18. *πόλιν δὲ μίην* (sic) *τινὰ νεῖμον*, e coniectura H. Stephani, quae nostro tempore placere Blomfieldio potuit. Igitur his omissis tria omnino, si recte numeravi, restant caesurae trochaicae in quarto pede exempla: h. Iov. 21. h. Del. 215. Epigr. I. 15. Quorum illud quod est in h. Iov. etsi lenissima haec sit ac paene nulla emendatio, augmentum tollere, tamen iis annumerare malim, in quibus speciem tantum esse pravitatis dixi: illis maxime, h. Cer. 46. Fragm. CXXXVI. Dum *ὅτ'* arcte coniungimus pronunciando cum *ἐλύσατο*, id quod ipsa natura voculae cogit ut faciamus, obscuratur caesura. Nemo enim ita pronunciabit: *'Ρέη ὅτ' | ἐλύσατο μ.* sed: *'Ρέη | ὅτ' ἐλύσατο μ.* Alia res est, eaque satis memorabilis in h. Del. 215.

> *νύμφα Διὸς βαρύθυμε, σὺ δ' οὐκ ἄρ' ἔμελλες ἄπυστος*
> *δὴν ἔμεναι.*

ubi ego etiam minus de emendatione ea, quae facile fieri tollendo augmento posset, cogitaverim. Quippe reputo haec ipsa verba, *οὐκ ἄρ' ἔμελλον*, apud Homerum aliquoties plane eodem modo posita legi, ut caesuram faciant trochaicam in quarto pede: Iliad. V. 205. 686. XVIII. 98. Recte secusne, Homerum quod

attinet, nunc non quaero: Callimachum censeo quum ita scriptum in suo Homeri exemplo repperisset agnossetque, non dubitasse hac auctoritate eandem in verbis iisdem caesuram facere. Et sic, quod memorabile, recentiores post Homerum et post Callimachum: *ἐπεὶ οὐκ ἄρ' ἔμελλεν ἐκείνη* Aratus Phaen. 657. *σὲ δ' οὐκ ἄρ' ἔμελλεν ὀνήσειν* Quintus Smyrn. XIII. 368. At in Epigrammate Callimachi I. 15. sive illud ro vera Callimachi sit, sive alius sed non mali poetae, ubi vulgo ex Anthologia, etiam Palatina, *τὴν δ' ὀλίγην ὡς κεῖνος ἐς οἶκον ἐπήγετο νύμφην*, vel *ἀπήγετο*, vix dubium quin praeferenda Diogenis scriptura Laertii sit:

τὴν δ' ὀλίγην ὡς κεῖνος ἐς οἰκίον ἤγαγε νύμφην.

οἰκίον, non inusitatum Callimacho, h. Del. 282. et Fragm. CXCVIII. sed, significatione deminutivi propria, inprimis aptum huic loco. opponitur *μείζονος οἴκου* v. 13.

Fragmentum CCLXXXVII. documento est, quantis sit fragmentorum tractatio, etiam diligens et sollerter instituta, vicissitudinibus obnoxia. Quamdiu haec tantum ex Ammonio p. 106. nota erant verba Callimachi: *εἵνεκεν οὐχ ἓν ἄεισμα*, probabili Valckenarius Callim. Eleg. Fragm. p. 297. coniectura coniunxisse ea verba cum Fragmento CCLXXIX. hunc in modum: *εἵνεκεν οὐχ ἓν ἄεισμα, νόθοι δ' ἤνθησαν ἀοιδαί*, videri poterat, visusque est mihi in Dissertatione critica, Annal. Academiae Rhenanae p. 397. Fugiebat tum me erutum ex Apollonio *περὶ συνδέσμων* a Bastio ad Greg. Cor. p. 899. insigne auctarium *ἤνυσα*, quo illa coniectura penitus evertitur. Verba sunt Apollonii, ubi in *Ἕνεκεν* tam similia Ammonii p. 106. disputationi disserit, ut Ammonium sua si non ipsi Apollonio, certe alii cum Apollonio conspiranti grammatico debere pateat, in Bekkeri Anecdotis II. p. 505, 16. *ἐπίμεμπτοι οὖν οἱ τὰς συντάξεις παρασυγχέοντες, ὧν ἐστὶ Καλλίμαχος· οὐδ' ἕνεκ' Εὐρυνόμη Τιτηνιάς, εἵνεκεν οὐχ ἓν ἄεισμα. φέρεται γὰρ ὁ σύνδεσμος ἐπὶ τὸ ἤνυσα, καὶ δέον τῷ οὕνεκα καταχρήσασθαι.* Quo animadverso statim ad Hecalen hoc fragmentum, *εἵνεκεν οὐχ ἓν ἄεισμα . . . . . ἤνυσα*, retuleram, suppleveramque ad sententiam, quod supra in paraphrasi illa mea positum est, *continuum*, quum id ipsum, quod ego supplendum conieceram, codicem praebere Apollonii intellexi. Ita enim, quem sero inspexi, Bekkerus in Annot. critica, Anecd. III. p. 1117.

scribit: *Post ἄεισμα addit διηνεκὲς margo codicis.* Itaque hoc fragmentum certissimis indiciis et intelligendum de Hecale esse, et ponendum in exordio Hecales statuimus. *διηνεκές* vocabulum aliud, puto, eadem fere significatione, verbum excipiebat, vel duo verba; *ἤνυσα* versum exordiebatur alterum. *ἠνεκές* idem Callimachus Fr. CXXXVIII. de cantu perpetuo: *καὶ τὸν ἐπὶ ῥάβδῳ μῦθον ὑφαινόμενον ἠνεκὲς ἀείδω δειδεγμένος.* rursus *διηνεκές* Fr. CLVIII. *διηνεκές* de carmine Gregorius aliquoties, sed sensu latiore. *ἄεισμα* non valde frequentatam, si recte memini, formam vocabuli, Callimachus et hic et Epigr. XXVIII. (XXIX.) habet, et Gregorius Theol. Epigr. 9. 113. 236. Anth. Pal. I. p. 541. 569. 601. et Apollinaris. *οὐχ ἕν* non eo modo dictum, qui post Homeridam h. Merc. 284. et Tragicis, ut Aeschylo Sept. 103. Euripide Suppl. 94. praeeuntibus, Callimacho placuit h. Iov. 89. h. Dian. 33. et Nicaeneto IV. 3. Anal. Br. I. p. 417. et Nonno XXII. 379. XXVIII. 184. 185. XL. 54. ut significetur quod unitati oppositum, multi, vel plures; quem in modum olim Dioscoridis locum Epigr. XXIX. Anal. Br. I. p. 501. ita conformabam haud inepte: *πρὸς δ' αὐδὴν ἑλκόμενος μεγάλην εὔαδεν ἡρώων τύπος οὐχ ἕνί, καινοτομηθεὶς τῇ φιλοκινδύνῳ φροντίδι Σωσιθέου:* sed *nullum* est simpliciter, ut apud Apollonium Rhod. IV. 498. vel potius, quod aliquanto fortius, *non ullum*, ut *nicht ein* aliquanto gravius est quam *kein.* Cf. Bast. et Schaefer. ad Greg. C. p. 56. not. Proinde illud, *νόθοι δ' ἤνθησαν ἀοιδαί,* ad alium nescio quem locum relegandum, ubi Callimachus, teste Schol. Aristoph. Nub. 332. qui hoc fragmentum servavit, atque Suida v. *Κυκλίων*, dithyrambos notabat. *νόθοι* autem an *νόθαι* scribendum sit, fortasse decernet diligens Callimachi lector, Nonnus, qui dum fatigat multo usu hoc vocabulum significatione non propria, feminini forma ubique hac, *νόθη*, utitur; rarius plurali, sed tamen aliquoties, IV. 167. XLVI. 208. Contra apud Coluthum 302. (295.) *νόθοι-γυναῖκες.* Tum quod alterum fragmentum Callimachi Apollonius l. l. *περὶ συνδέσμων*, profert, Bastio ad Greg. C. p. 899. sic legendum videbatur: *οἱ δ', ἕνεκ' Εὐρυνόμη Τιτηνιάς, illi vero, quoniam Eurynome Titania.* Scilicet *οἰδ* invenerat, vel invenire sibi visus erat in codice Bastius, non *ουδ.* Alius *οὐδ'* hariolabitur.

Ad disputationem quae praecedit Apollonii, p. 504. de οὕνεκα coniunctione, infra accedemus Cap. III. in Fragm. LIII. *.

Caeterum hic in mentem revocanda est similis disputatio Callimachi h. in Apoll. 106. οὐκ ἄγαμαι τὸν ἀοιδόν, ὅς οὐδ' ὅσα πόντος ἀείδει; quem versum Φθόνος s. Μῶμος in aurem Apollini dicit; Apollo Φθόνον pede repellit atque increpat: magno flumine multas etiam sordes volvi, neque Cereri ab omni aqua sacra fieri, sed ab ea, quae pura atque intemerata profluat πίδακος ἐξ ἱερῆς ὀλίγη λιβάς, ἄκρον ἄωτον. Ubi Apollonium a Callimacho tangi Rhodium mature coniecerunt viri docti, quos Weichertus de vita et carm. Apollonii Rhod. p. 79. recenset, Is. Vossius, Salvagnius, Spanhemius, E. Gerhardus, quibus fortasse Valckenarius Callim. Eleg. Fr. p. 282. addendus est; disertissime autem Spanhemius et Weichertus l. l. p. 38. 81. vetus ad eum locum scholion in hanc sententiam interpretantur: Apollonium esse, qui hanc Callimacho criminationem obiecerit, quod nullum facere *magnum* poema posset. Scholion est ad Callimachi v. 106. (Callim. Fragm. LXV.) quod iam vidimus in Prolegomenis: ἐγκαλεῖ διὰ τούτων (Callimachus) τοὺς σκώπτοντας αὐτὸν μὴ δύνασθαι ποιῆσαι μέγα ποίημα, ὅθεν ἠναγκάσθη ποιῆσαι τὴν Ἑκάλην. Sane ut de Apollonio cogites, praeter alia inimicitiae, quae fuit inter Callimachum et Apollonium, indicia ac testimonia hoc maxime facit minime contemnendum argumentum, quod Apollonius magnum ipse poema scripsit. Callimacho hoc obiicere, quod nihil posset magni, id eum inprimis decebat, qui ipse magnum poema fecisset. Verumtamen hic rationes expendendae sunt temporis, in quibus esse, quod coniecturae per se satis commendabili obstet, video. Si enim sunt in carmine Apollonii loci expressi ex Hecale Callimachi, vel in quibus obversatam esse Apollonio Hecalen Callimachi iure dixeris, cuiusmodi esse locos infra Cap. II. et III. ad Fragm. Hec. XLVI. et XLIV. dicetur, ut nunc Fragmentum mea coniectura ad Hecalen referendum CCXII. taceam: fieri vix potest, ut Apollonius putetur is esse, cuius criminatione irritatus atque excitatus Callimachus primum ad Hecalen scribendam se accinxerit. Nisi ita statuas, Apollonium, quum primum moliretur magnum carmen suum, criminationem illam in Callimachum iactasse, tum progredientem in opere ex

Hecale nonnulla, quam interea provocatus criminatione Callimachus edidisset, sive nolentem sive volentem suos in usus convertisse. Cui coniecturae aliquam veri inesse speciem minime nego. Multum haud dubie temporis inter conceptum Argonauticorum opus et perfectum atque editum interfuit; multumque est ab Apollonio cum familiaribus suis, ab his cum aliis, de eo opere, antequam perficeretur atque ederetur, disputatum. Mihi primum, ut iam in Prolegomenis p. 4. seqq. significatum est, scholion illud, quod saepe accidit Grammaticis, etiam doctioribus hoc Callimachi interprete, quem non esse antiqua eruditione nutritum cum Valckenario Diatr. Eurip. p. 283. A. sentimus, aliquid videtur veri, sed non omne verum dicere. Docuimus ibi Hecalen non *μέγα ποίημα* fuisse. Unde sequitur non scriptam esse eo consilio Hecalen, ut se *magnum* poema facere posse poeta ostenderet. Hoc voluit Hecale scribenda probare Callimachus contra obtrectatores suos, et vero probavit, non imparem se carmini *continuo, διηνεκεῖ, epici generis*, scribendo esse. Deinde qui imparem obtrectatores dixerint, ignoratur. Habuit haud dubie Callimachus in illo *Μουσέων ταλάρῳ* obtrectatores praeter Apollonium alios, habuit ante Apollonium. At in hymno Apollinis, quem hymnum Ptolemaeo Evergete regnante scriptum esse diserte docenti interpreti graeco ad versum 26. credimus, Apollonium notari, id ego statuo ut qui confidentissime. Addo, e coniectura, sed ea admodum speciosa, quod ibi scriptum est, *ὀλίγη λιβάς, ἄκρον ἄωτον*, eo ipsam significari Hecalen. Certe sic elegantissime Callimachus Hecalen, parvum epos, opponit magno carmini epico, quo gloriabatur Apollonius. Itaque ut primariorum nonnullorum Callimachi operum tempora, quantum quidem fieri liceat coniiciendo, constituam, Hecale medium quendam locum obtinet. Fuit enim maturi ingenii opus politissimum. Ab viro scriptam, non ab iuvene fuisse, posterioribus magis operibus Callimachi quam prioribus annumerandam, ex illa ipsa criminatione colligo, quae occasionem scribendi dedit: imparem maiori carmini continuo scribendo esse, id ei tantum poetae recte et cum probabilitate obiicitur, qui iam multa carmina, sed parva omnia, scripserit. Igitur multa ante Hecalen scripserat Callimachus, scripserat haud dubie, ut unum commemorem,

celeberrimum nominis Callimachei monumentum, Aetia, satis magnum, si ambitum spectes, opus, sed non unum atque continuum poema. Denique post Hecalen alia, hymnus in Apollinem, et fortasse alii hymni. In Hymnis equidem non simplicitatem, sed mediocritatem quandam stili agnoscere mihi videor, hoc est, verba grandia, rara, audacter dicta non tam cumulata, quam fuisse in aliis operibus cumulata credibile est. Quo factum est, ut aliquanto, nisi fallor, rarius Hymni Callimachi ab antiquis grammaticis laudentur, quam alia poemata. Dico, ab antiquis: non moror enim Draconem, qui ubique Hymnis utitur. Est ubi incertus haereas, utrum qui laudat *Callimachum* grammaticus, ex Hymnis locum, an alium ex opere deperdito respiciat. Veluti quae nunc Callimachi Fragmentum CCCCIV. efficiunt, verba interpretis graeci in Apollon. Rhod. II. 4. *Μελίαν δέ φησιν αὐτὴν διὰ τὸ τινὰς τῶν νυμφῶν Μελίας καλεῖσθαι ἀπὸ Μελίας τῆς Ὠκεανοῦ, ὥς φησι Καλλίμαχος*: ea Spanhemius referebat ad hymnum in Iovem v. 47. Poterat eadem ad hymnum in Del. v. 80. ubi cf. schol. Fragmentum CCCLXXV. ex iisdem scholiis Apollonii ad lib. I. 117. petitum: *ἐκεραυνώθη δὲ* (Asopus) *ὑπὸ Διὸς διώκων αὐτόν, διὰ τὸ ἡρπακέναι τὴν θυγατέρα αὐτοῦ Αἴγιναν, ὡς καὶ Καλλίμαχος φησίν*: ego aliquando eximendum ex numero Fragmentorum, versumque obversari hymni in Del. 78. interpreti Apollonii opinabar; de occasione vulneris quod addit, *διώκων αὐτὸν διὰ τὸ ἡρπ. τ. θ. αὐ. Αἴγιναν*, aliunde didicisse poterat. Hygini Poet. Astron. II. 33. et ex Hygino Scholiastae Germanici ad v. 340. testimonio recte Bentleius nullum inter Fragmenta Callimachi locum dedit: pertinet enim ad h. in Dian. 2. ut animadvertit Munckerus. At eadem ratione quaeras, quo iure eiusdem Hygini II. 18. et 34. de Callimacho testimonia inter Fragmenta ferantur Callimachi, CCCLXXXVI. et CCCLXXXVII. Quid enim, si utrumque ad hymnum in Dianam, illud prius ad v. 266. 7. alterum ad versum 265. spectet? Restat ut explicem, cur in h. Apoll. 106. pro eo, quod certatim Dawesius, Ernestius, Brunckius, Blomfieldius scribi iusserunt, οὐχ, ego revocare vulgatum οὐδ' ausus sim. οὐδ' ita defendas, ut cum acumine et superlatione dictum sit: ne tantum quidem quantum mare, der nicht einmal so viel als ein meer singt, vel, der nicht wenigstens

so viel als ein meer singt. Simile apud Apollonium III. 932. est, sed ubi *οὐδ'* usitate dicitur: *ἀκλειὴς ὅδε μάντις, ὃς οὐδ' ὅσα παῖδες ἴσασιν οἶδε* etc. *οὐκ* in versu Callimachi, praeter eos quos dixi, exhibet, sed ex memoria haud dubie, laudatus Santenio in sua Hymni in Apollinem editione Scaliger ad Catull. p. 112. et 122.

In Fragmento LII *. mira cernitur inter eos, qui illud afferunt, discrepantia, dum Olympiodorus in Meteora Aristotelis p. 12. qui utrumque versum protulit: *αὐτοὶ μὲν φιλέουσ', αὐτοὶ δέ τε πεφρίκασιν, ἑσπέριον φιλέουσιν, ἀποστυγέουσιν ἑῷον*, et qui posteriorem, Eustathius in Iliad. XXII. 317. 8. p. 1271, 34. Rom. vel p. 1373, 27. Bas. de stella Veneris, Lucifero eodemque Hespero, verba accipere Callimachi videntur, at Tzetzes Chiliad. VIII. 837. itemque in Epistola, quam frustra quaero inter notas mihi Tzetzae epistolas, sed laudatur Bentleio, in eum dictum hoc, *ἑσπέριον φιλέουσιν, αὐτὰρ στυγέουσιν ἑῷον*, docet, qui fidem non servet in amicitia, sed vacillet ac mutet. Eam discrepantiam ita dirimit Bentleius, ut *errare bonum virum Tzetzen*, et cum eo Hadrianum Iunium, qui illud in Adagiis p. 352. Tzetzae insistens vestigiis, in heredipetas videri convenire monuerat, dicat: loqui enim Callimachum de novis maritis, *qui Hesperum festinare cupiunt, Auroram vero tarde venire.* Praeiverat hoc Bentleio Scaliger ad Catulli Carmen nupt. LXII. (LXIII.) cuius carminis pars magna in hac observatione ludit, Hesperum gratum sponso esse, ingratum nuptis. Ibi igitur Scaliger p. 65. et Callimacho usus erat, et Ciri v. 350. *Quem pavidae alternis fugitant optantque puellae, Hesperium vitant, optant ardescere solem.* ubi, quod obiter dictum esto, non puto emendatione opus esse, quam et Bentleius h. l. et ad Cirin Heinsius, itemque, Friesemanno teste, Schraderus, fecerunt: *optant ardescere* *E o u m.* Idem Scaliger cum Callimacho facere Senecam observaverat, Medea v. 71. sqq. Denique Ruhnkenius versus qui nunc sunt apud Weichertum Poetar. Lat. Reliq. p. 188. Cinnae, admovet: *Te matutinus flentem conspexit Eous, Et flentem* etc. Recte illi hoc quidem. Mihi tamen Callimachum quod attinet, media quaedam via probatur, quo suum Olympiodoro Eustathioque, qui ex Callimacho eundem esse Luciferum et Hesperum docent, et suum tribuatur Tzetzae,

qui eodem Callimachi loco nonnullorum in amicitia inconstantiam notari scribit. Digna acumine Callimachi sententia est: quod in stellis accidat, ut eandem iidem, scil. sponsi, et ament et perhorrescant, ament vespertinam, matutinam odio habeant, idem cerni in hominibus, ut eundem iidem ament et perhorrescant, vespertinum ament, oderint matutinum. Atque ita conformatam sententiam fuisse, satis aperte, ut mihi quidem videtur, verba loquuntur quae proxime praecedunt ante versus Callimachi, Olympiodori. Quibus verbis sententia continetur Callimachi, sed soluta oratione poetica, in breve contracta. *ὅτι γὰρ ὁ αὐτός ἐστι καὶ ἑῷος καὶ ἑσπέριος, δηλοῖ καὶ Καλλίμαχος λέγων ἐν Αἰκάλῃ, ἡνίκα μὲν γὰρ φαίνεται τοῖς ἀνθρώποις ταὐτά, αὐτοὶ μὲν φιλέουσ'* etc. Id ita videntur accepisse viri illi docti: *quum stella, quae eadem Lucifer et Hesperus est, apparet hominibus.* Verum si hoc volebat, quorsum *ταὐτά*? Dicendum fuerat *ὁ αὐτός*. Immo hic fuit expressus a Callimacho, indicatus ab Olympiodoro, sensus verborum ac series: Experior in me, inquit, quod observatur in *ἀστέρι Ἀφροδίτης*, id etiam aliis in rebus cerni: quum enim eadem apparent atque accidunt hominibus, illi iidem et amant et perhorrescunt: matutinum amant, etc. Itaque, quae mea sententia est, ambiguitas quaedam inerat in *ἑσπέριον* et *ἑῷον*, quae semel proprie ad *ἀστέρα*, sed etiam, non proprie, ad res quae mane accidunt, itemque vesperi, et ad homines, qui mane et vesperi obviam sunt, referuntur: eo modo, quo Callimachus, ut alios taceam, in hymno Iovis: *ἑσπέριος κεῖνός γε τελεῖ τά κεν ἦρι νοήσῃ· ἑσπέριος τὰ μέγιστα.* Senserat aliquid horum Ernestius, sed ille nescio quomodo eodem tempore aliquid contrariae sententiae tribuens Valckenarii. Quippe Valckenarius, cuius nunc ipsa verba in Epistolis a Tittmanno editis p. 51. prostant, sic versu locupletari posse, ex Olympiodoro, fragmentum Callimachi coniiciebat: *ἡνίκ' ἂν ἀνθρώποισι κατ' ἠέρα ταὐτὰ φανείη, αὐτοὶ μὲν φιλέουσ'*, etc. *κατ' ἠέρα* Callimacheum esse, de stellis positum: quam in rem laudat h. Del. 176. *τείρεσιν, ἡνίκα πλεῖστα κατ' ἠέρα βουκολέονται.* Mox sentiens, ut puto, molestum esse, ac vix intelligi posse in tali nexu *ταὐτά*, addit: nisi dedisset Olympiodorus *ταὐτά*, hic fortasse poni *posse λύχνα φανείη* ex Callim. Fr. CCLV. Quae omnia,

ut taceam de quo satis expositum est, aliam postulare illud ταὐτά sententiam, et propter insolitam structuram ἡνίκα ἂν φανείη suspecta, et supra modum audacter excogitata sunt. Sive enim librariorum culpa versum, qualem finxit Valckenarius, paullatim omni metro exutum esse, et in haec quae nunc apud Olympiodorum leguntur prorsus pedestria transformatum statuas, nemo credet, quum qui sequuntur versus Callimachi nihil labis passi sint, in istum unum tam crudeliter grassatos esse librarios; sive, quae haud dubie mens fuit Valckenarii, ipsum ex versu Callimachi ista fecisse pedestria Olympiodorum dicas, minime credibile est, Olympiodorum paraphrasi circumscribere versum Callimacheum, quam, quod aeque breve, vel etiam brevius erat, ipsum apponere versum maluisse. Mihi verba ἡνίκα — ταὐτά duorum vel trium versuum Callimacheorum videntur paraphrasis esse; verborum autem Callimachi si quid in his supersit, hoc fere fuerit:

ἡνίκα μὲν γὰρ ταὐτὰ μετ' ἀνθρώποισι . . .
φαίνεται —

ἡνίκα μὲν γάρ caesura magis quidem Homerica quam Callimachea, sed ad quam tamen proxime accedunt haec exempla: h. Apoll. 87. h. Del. 39. 59. Sunt et alia, in quibus aut interpunctio succurrit, aut ita sunt verba ordinata, ut, si coniungas pronuneiando, quae verba arctissime coniungi sensus iubet, quae autem disiungi iubet, disiungas, nemo animadvertat caesuram post pedem secundum: h. Apoll. 44. 109. h. Dian. 131. 132. 223. 249. h. Del. 113. 119. Epigr. XV. 1. Fragm. XLII. XLV. CXI. 3. CXXIII. 1. CXXXVI. CCXXXII. CCCVIII. Vel sic: ἡνίκ' ἐν ἀνθρώποισι .... ταὐτά . . . φαίνεται. potest enim γάρ particula, vel alia, in versu fuisse eo, qui praecedebat. ταὐτά etsi non spoponderim esse a Callimacho, putem tamen posse a Callimacho esse: v. alia craseos exempla ad Fragm. XLIV *. Cap. III.

Quae restat in versibus Callimachi scripturae varietas, eam, quum novorum subsidiorum nihil, ac ne Olympiodorum quidem ipsum praesto habeam, ex probabilitate ipsiusque bonitate scripturae diiudico. Ac primum haud cunctanter αὐτοὶ μὲν φιλέουσ', αὐτοὶ δέ τε π. praetuli alteri lectioni, quae venustior et Callimachi acumine dignior videbatur Ruhnkenio. Mihi haec venustior oppositio: *iidem eundem*, ἑσπέριον et ἑῷον, amant et

oderunt: scilicet αὐτοί μὲν φιλέουσ', αὐτοί δέ τε πεφρίκασιν, *ipsi* amant, *ipsi* perhorrescunt, idem est ac si scriptum esset, *iidem* et amant et perhorrescunt. In Olympiodoro edito αὐτοί — αὐτοί — esse, credo Bentleio. αὐτὸν — αὐτὸν laudat, utrum ex Olympiodoro manu scripto an e coniectura nescio, Is. Vossius ad Catullum p. 153. atque sic habetur in prima Fragmentorum Callimachi collectione p. 138. ed. Vulc. p. 347. ed. Ern. Sic hanc appello, primam Fragmentor. Callim. collectionem: quam si Annae Fabri tribuit Ruhnkenius, ut videtur tribuere hoc loco, erravit, quum ea collectio (quam ab H. Stephano in edit. 1577. inchoatam adauxit usque ad numerum 28. fragmentorum Vulcanius) iam in Callimacho exstet Vulcanii, unde repetitam, suis auctam notulis, exhibuit Anna Fabri. Scaliger ad Catull. l. l. αὐτὸν — αὐτοί laudat. In versu altero quod criticis recentioribus, Ernestio, Valckenario placuit, ὁ τ ἀρ στυγέουσιν, Tzetzes tuetur et Eustathii exemplar utrumque. Apud Olympiodorum ἀποστυγέουσιν esse, fidem faciunt, praeter Bentleium, Scaliger et Vossius ad Catull. l. l. et prima Fragmentor. Callim. collectio. Ut tamen illud reciperem, Eustathii maxime auctoritas apud me effecit. Ita enim coniicio: Eustathium, quem ab Olympiodoro accepisse versum Callimachi probabile est, codicem Olympiodori antiquiorem his, ex quibus nos editum habemus Olympiodorum, habuisse, in quo scriptum ἀτὰρ στυγέουσιν esset. Si liberum iudicium fuisset, ego asyndeton, ἑσπέριον φιλέουσιν, ἀποστυγέουσιν ἑῷον, praetulissem tamquam elegantius. Ad dictionem aeque bonum est στυγέουσιν et ἀποστυγέουσιν. Legitur ἀπέστυγον in hymno Deli v. 223. et apud alios eiusdem disciplinae: cf. Callim. Fr. CIX. ibique Bentl. sed etiam Ernestius ibidem, et Valckenarius Callim. Eleg. Fr. p. 249. ἀποστυγῶ praesens apud Tragicos; στυγέουσιν ex Homero Hesiodoque notum. Memorabilis etiam Gregorii Nazianzeni Carm. III. v. 575. versus, τὴν ἄλλοι φιλέουσιν, ἀπέστυγεν ἄλλος ἀϋτμήν: quem adhiberi posse ad defendendum illud ἀποστυγέουσιν significat Valckenarius: statuit enim hanc imitationem esse Callimachei loci. Cf. de Apollinare dicenda Cap. II. Similis dicendi brevitas, cum aliqua sententiae similitudine, in Demetrii apud Diogen. L. V. 85. et Suidam in Φθονῶ σοι, versu πρὸς τοὺς φθονεροὺς· ζῶον ἀτιμήσαντες ἀποφθίμενον ποθέουσι. De eo

autem, quis primus animadverterit Luciferum et Hesperum eundem esse, quum disceptetur a veteribus, ea inventio utrum Pythagorae, quae fortasse plerisque communis sententia fuit, an Parmenidi tribuenda esset, noti sunt Diogenis Laertii loci, in Pythagora, VIII. 14. in Parmenide, IX. 23. coll. Suid. v. Παρμενίδης. Ubi quae male habet Diogenis secum ipso dissensio, eam nunc sustulit iuvenis integerrimus, praematura morte his litteris, quas cum multa sollertia tractabat, ereptus, H. G. Hübnerus, recepta priori loco emendatione Casauboni: οἱ δέ φασι Παρμενίδην pro vulg. ὥς φησι Παρμενίδης. Fortasse recte. Sed quod idem in posteriore loco verba Καλλίμαχος δέ φησι μὴ εἶναι αὐτοῦ τὸ ποίημα de Pythagora, quae etiam Füllebornii in Fragmentis Parmenidis p. 26. opinio est, mihi rectius Bentleius in Fragmentis Callim. p. 471. ed. Ern. de carmine aliquo, quod genuinum esse Callimachus negaverit, Parmenidis cogitare videtur. Non negligendum hanc in quaestionem Parmenidis ex Stobaeo fragmentum, Fülleborn. p. 101.

In Fragmento XLVIII *. οἵ νυ καὶ Ἀπόλλωνα πανάρκέος Ἠελίοιο etc. ad excitatos a Bentleio testes, Scholiasten Pindari Nem. I. 3. et Suidam v. Πανάρκέος, Ruhnkenius Epist. Tittmann. p. 101. Suidam v. Ἀρίσταρχος Τεγεάτης, et felix recentioris aetatis in eruendis grammaticorum reliquiis industria praeclarum testem, Apollonium περὶ ἐπιῤῥημάτων ap. Bast. ad Greg. C. p. 332. in Bekkeri Anecdotis II. p. 549, 1. 573, 3. tum etiam Ioannem Alex. τον. παραγγ. p. 37, 7. addidit. Bentleius quidem quod vulgo ap. Schol. Pindari legitur, χωρίον διατμήγουσι, sola Etymologi p. 607, 23. (cf. Gudian. p. 446, 20.) et Eustathii, tribus locis, auctoritate, adverbii χωρίς etiam hanc formam, χῶρι, commemorantium, feliciter emendaverat χῶρι διατμήγουσι. Nunc plane hoc ipsum, χῶρι διατμήγουσιν, non addito nomine Callimachi, Apollonius et Ioannes praebent. Ut tacere possim irritum conatum Annae Fabri p. 360. ed. Ern. coll. Fragm. a Spanhemio collect. p. 388. ed. Ern. et conatum Scaligeri, de quo mentionem Valckenarius Epist. Tittmann. p. 50. facit; et rursus alium ipsius Valckenarii ibid. conatum, proponentis Ὧρον ἀποτμήγουσι, quam ille coniecturam docte exornat, ostendens exemplis eundem esse Apollinem, Horum, Solem. τμήγω praesens,

cum compositis, non infrequens huic poetarum scholae. τμῆγε Nicander apud Athenaeum IV. p. 133. D. ἀποτμήγων idem Theriac. 713. Et διατμήγει in Moschi Europa v. 81. libri optimi. ἀποτμήγει Dionysius Perieg. 1133. Sed tamen ἀποτμήγουσι iam praeiverat Homerus Iliad. XVI. 390. Rursus alia singularis forma est ἐτμήγη Callim. Fr. CCC. (Eclog. Crameri, AGr. II. p. 453, 28.) ἀποτμηγέντες Apollon. Rhod. IV. 1052. Sic Nonnus in Evang. Io. ἀποτμήγουσι, διατμήγει; Paullus Sil. ἀποτμηγέντος, διατμηγεῖσα, (διέτμαγεν,) περιτμηγέντι, τμηγέντας. In forma Δηϊώνην iam Anna Fabri haeserat. certe illa p. 252. ad εὔποδα δηϊώνην scribit: *Hoc etiam mihi suspectum est.* Disertius Valckenarius tum in Epistolis Tittmann. l. l. p. 49. sq. tum ad Herodot. VIII. 65. p. 648, 42. Δηϊώνην dici potuisse negat, et Δηωΐνην corrigit. Recte omnino. Quotquot ante oculos habeo patronymicorum, vel similiter formatorum, in ωνη vel ιωνη exempla, Αἰνειώνη, Καδμειώνη, Οὐρανιῶναι, Ἠλεκτρυώνη, Ἀκρισιώνη, quod cum Homero commune Nonno XXX. 270. est: Ῥειώνη Euphorionis fragm. CXXXVIII. apud Meinekium, cui qui laudatur, Salmasius ad Inscr. Herod. p. 91. an alia ignota mihi exempla habeat nescio; Ἰναχιώνη Callimachi hymno in Dianam; Ἠετιώνη apud Quintum Smyrn. I. 115. XIII. 268. et Christodorum; Τυνδαρεώνη ap. Tryphiodorum, Coluthum, Christodorum; Ἰκαριώνη ap. Maximum, ter; Διώνη, quod nomen Eustathius in Iliad. V. 370. p. 558. IX. 553. (557.) p. 776. cum patronymico Ἀκρισιώνη comparat; Θυώνη, Οἰνώνη, Ἀμυμώνη, Σιμώνη apud Callimachum in Epigrammate; Ταυριώνη apud Suidam, quam vocem ne nunc quidem, post Gaisfordium, extrudi ex Suida iusserim; Ἀτρυτώνη, quod apud Homerum in hac tantum phrasi, — Διὸς τέκος, Ἀτρυτώνη, apud posteriores, ut Quintum I. 514. XIV. 326. 530. Coluthum, aliter, et rursus aliter apud Hesiodum legitur; Χιτώνη apud Callimachum in hymnis Iovis et Dianae; Εἰρεσιώνη: inter omnia nullum, quod cum hoc exemplo, Δηϊώνη, recte ab omni parte compares. Et omnino ferri nequit sic producta ι littera. Aliud est Δηϊονίδαο producta secunda syllaba, Callim. h. Dian. 209. Patronymicorum in ινη exempla quae annotaveram, pleraque occupata ab Valckenario locis laud. video, ut hoc tantum reliquum sit, testimonia addere, ubi nulla habet

Valckenarius, auctorum: Ὠκεανίνη (Hesiod. Callim. bis al. et *Oceanina* Intp. Virgil. ap. A. Maium, Ecl. VII. 37.), Ἀδρηστίνη, Εὐηνίνη (*Eveninae* Ovid.), Θειαντίνη (apud Maximum ter), Κλεοβουλίνη (unde fabularum Cratini et Alexidis tituli; Diogen. L. in Cleobulo, et praeter alios Plutarch. Praecept. coniug. p. 145. E. Conviv. Septem Sap. p. 148. C. ubi Κλεοβουλήνην recte expulit Xylander, de Pythiae orac. p. 401. B. ubi vulgo male Κλεοβούλην), Νηρηΐνη (Oppian. Halieut. I. 386. Quint. Smyrn. III. 125. 596. 768. 786. IV. 128. VII. 353. IX. 29. et Suidas; *Nerine* Virgil.), *Neptunine*. De Φωκοσοΐνη Valckenarii v. nunc Boeckh. C. I. Vol. II. 1869. p. 29. Add. Αἰητίνη (Regulae prosod. Hermann. p. 440. 90. corrigend. ex Dracone p. 45. et 105.) Dionys. Perieg. 490. *Aeëtine* Ovid. Her. Epist. VI. 103. laudatusque ibi ab Heinsio Avienus Descript. Orb. v. 657. 1221. Quae addit Heinsius, *Nonacrine*, et locorum nomina, *Elephantine*, *Daphnine*, nimis aliena ab hac quaestione sunt: quippe *Nonacrina*, nam *Nonacrine* non memini me legere usquam, notum Callistus, Atalantae, cognomen, nomen adiectivum gentile est; *Elephantine*, *Daphnine*, ut quae iuxta Daphninen commemoratur, *Acanthine*, vix dubium quin fuerint Ἐλεφαντίνη, Δαφνίνη, Ἀκανθίνη penultima correpta, quorum tantum gentilia adiectiva longitudinem adsciscebant, ut est Ἐλεφαντίνη, Ἐλεφαντῖνος apud Stephanum Byzantium. Alia in ινη non patronymica v. supra in Prolegomenis. E quibus Δηωΐνη simillimum ἡρωΐνης est, in extremo versu, apud Callimachum h. Del. 161. in Theocriteis XIII. 20. XXVI. 36. Ipsum Δηωΐνη graecum non magis, puto, exstat, quam Δηωΐς, quod tamen latine scriptum, *Deoïda* (cum adiectivo *Deoïa*), notum ex Ovidio Ausonioque, recte comparat, ad tuendam Δηωΐνην, Valckenarius. Sic Δητωΐς est, et Δητωϊάς, ac posset inde esse Δητωΐνη. Δητιώνη non potest. Ego, si quid in hac scriptura, Δηϊώνην, probi esset, duos de quibus aliquis cogitet modos video: aut, quam in rem Etymologi testimonio p. 263. extr. ι litteram in nomine Δηώ agnoscentis utaris, Δηϊοώνην; aut, quod magis placeret, Δηοϊώνην, ω transeunte in ο litteram, metri caussa, ut fit Δητώ, Δητόος, Δητοΐδης. Ab Heynio et Boeckhio in Schol. Pind. Δηϊωΐνην editum. *Pedum* pulchritudinem, εὔποδα, Proserpinae iam Homerus praedicat h. Cer. 2. αὐτήν, ἠδὲ θύγατρα τανύσφυρον.

Qui sint, quibus hoc vitio vertit Callimachus, quod Apollinem a Sole, Proserpinam a Diana diriinant, non habeo compertum. Hoc, vitio id verti illis a Callimacho, et contrarium sensisse Callimachum, etiam scholiastes Pindari viderat, qui hoc consilio profert versus Callimachi, ut eandem esse Proserpinam et Dianam probet: ὅτι δ' ἡ αὐτή ἐστι τῇ Ἀρτέμιδι, Καλλίμαχος ἐν Ἑκάλῃ· οἵ τε καὶ Ἀπόλλωνα etc. Sed quomodo contrarium sensisse Callimachum docebitur, qui ipse in hymnis, qui exstant, in Apollinem et Dianam, Apollinem a Sole, Dianam a Proserpina, Hecate, Luna, *dirimat?* Ita res se habet. Hymnus in Apollinem medicae quidem artis peritiam ac praesidium tribuit v. 45. 6. Apollini, non ut agnoscere Callimachus Paeanem Homericum videatur; at doctrinae de Apolline Sole nullum vestigium. Hymnus in Dianam dum cum Ilithyia miscet atque confundit Dianam v. 21. sq. (cf. 126.) unde credibile est alibi Callimacho, quum *Eileithyian* dicit, h. Iov. 12. Epigr. LVI. simul Dianae obversari imaginem, excepto tamen tertio h. Del. 132. 257. loco, ubi de Diana cogitari nequit, neque in *Εἰναίῃ* Fragm. CLXVIII. notio expressa Dianae est: igitur hymnus in Dianam nullam neque Proserpinae proprietatem neque Hecates neque Lunae in Dianam confert. Ambiguum est, et hoc fortasse ambiguum esse voluit poeta, v. 204. φαέσφορε, sed suam in se idoneam, dominanti per totum hymnum imagini Deae venatricis accommodatam explicationem habet ex loco superiore v. 11. ubi φαεσφορίην non illud, quod somniat interpres graecus, sed, ut verbis utar Sophoclis, πυρφόρους Ἀρτέμιδος αἴγλας significare, ξὺν αἷς Λύκι' ὄρεα διάσσει Dea venatrix, satis evincit sententiarum nexus. Sic in Trachiniis v. 214. ἀμφίπυρος epitheton, quod per se ambigua est significatione, in illa verborum coniunctione, propter alterius viciniam epitheti, manifesto ad venatum pertinentis, sine ambiguitate unam, ut decet poetam, deae noctu vagantis cum facibus, ut excutiat e latebris feras, imaginem praebet: Ἄρτεμιν Ὀρτυγίαν, ἐλαφηβόλον, ἀμφίπυρον. Neque Οὖπις cognomen h. Dian. 204. 240. eius significationis, quam indicat apud Spanhemium Servius, quicquam prodit apud Callimachum, sed simpliciter est Dianae cognomen, quod illa, ut alii viderunt, ab Opide nympha, cuius in hymno Deli v. 292. mentio, assumpserit: ut

idem Callimachus Dictynnae nomen a nympha translatum esse in Deam, Dianam, diserte significat. Neque Χησιάς, Ἰμβρασίη, Dianae eodem in hymno v. 228. cognomina, per se tantum valent, ut Callimachum his comprobare voluisse Stoicorum Servii ad Virg. Georg. I. 5. doctrinam, *Lunam eandem Dianam, eandem Cererem, eandem Iunonem, eandem Proserpinam* esse, ostendant. Scilicet distinguendum est in hac quaestione, quid poetae receptae inde ab Homero consuetudini consentaneum luserint, quid ipsi secum senserint. Veluti Callimachus potuit in hymnis ita agere, *tacendo,* ut ex usitato poetarum more distinguere Apollinem a Sole, Dianam ab Hecate, Luna, Proserpina, videretur, et tamen contrariam secum ipse, poeta philosophus, fovere sententiam, eosque reprehendere, qui *diserte* dirimendum esse a Sole Apollinem, a Diana Proserpinam, docuissent. Itaque hoc faciebat ille, quisquis fuit, quem carpit Callimachus. ille in declaranda natura Apollinis, Dianae, non solum, quod etiam Callimachus facit, ut vidimus, separandis fabulis, et seponendis atque omittendis iis narrationibus nominibusque, in quibus significatio inerat, aut videri inesse poterat, Solis, Proserpinae, dubium reliquerat, utrum ipse primitus coniunctam Apollinis et Solis, Dianae et Proserpinae, naturam notionemque fuisse, an diversos esse deos sentiret, liberumque cuivis hac de re iudicium permiserat: sed diserte, sive in poemate aliquo, sive alio modo, negaverat, unquam quicquam Apollini cum Sole, Dianae cum Proserpina, commune fuisse. Quis ille fuerit, ignoro. Poetam fuisse credibile est; Apollonium fuisse nullo probabili argumento evincas: et omnino, ut aliquid contra Apollonium fuisse in exordio Hecales scriptum concedas, etsi nos id cur affirmare non audeamus, paullo ante declaratum est, non sequitur totum contra Apollonium scriptum exordium fuisse. Potuit Callimachus semel multorum invidorum adversariorumque diversas aggressiones calumniasve una defensione ac responsione comprehendere, ulcisci. De re ipsa, utrum differat an non differat ab Sole Apollo, Diana ab Luna, Hecate, Proserpina, multa et dicta esse et posse dici constat. Ego nunc hac in re uno defungar memorabili Plutarchi loco, qui quam opinionum differentiam Callimachi aetate fuisse vidimus, eam etiam postea cerni, multumque agitatam in scholis

posterioris aevi hanc quaestionem esse docet: de Pythiae oraculis c. 12. p. 400. C. *ὥσπερ οὖν ὁ τὸν ἀλεκτρυόνα ποιήσας ἐπὶ τῆς χειρὸς τοῦ Ἀπόλλωνος ἑωθινὴν ὑπεδήλωσεν ὥραν, καὶ καιρὸν ἐπιούσης ἀνατολῆς, οὕτως ἐνταῦθα τοὺς βατράχους ἐαρινῆς ὥρας φαίη τις ἂν γεγονέναι σύμβολον, ἐν ᾗ κρατεῖν ἄρχεται τοῦ ἀέρος ὁ ἥλιος, καὶ τὸν χειμῶνα διαλύειν· εἴγε δεῖ καθ᾽ ὑμᾶς τὸν Ἀπόλλω καὶ τὸν ἥλιον μὴ δύο θεοὺς, ἀλλ᾽ ἕνα νομίζειν· καὶ ὁ Σεραπίων· σὺ γάρ, εἶπεν, οὐχ οὕτω νομίζεις; ἀλλὰ οἴει τὸν ἥλιον διαφέρειν τοῦ Ἀπόλλωνος; Ἔγωγε, εἶπεν(ον), ὡς τοῦ ἡλίου τὴν σελήνην. ἀλλ᾽ αὐτὴ μὲν οὐ πολλάκις οὐδὲ πᾶσιν ἀποκρύπτει τὸν ἥλιον, ὁ δὲ ἥλιος ὁμοῦ τι πάντας ἀγνοεῖν τὸν Ἀπόλλωνα πεποίηκεν, ἀποστρέφων τῇ αἰσθήσει τὴν διάνοιαν ἀπὸ τοῦ ὄντος ἐπὶ τὸ φαινόμενον.* Serapion ille Plutarchi, ut p. 396. D. E. p. 402. F. traditur, Atheniensis, poeta philosophus est, et quidem, ut in disputatione his, quae descripsimus, proxima significatur, stoica sapientia imbutus. Praeterea quum in Callimacho versemur, duo sunt considerandi loci Callimachi, quibus ille, contra morem usitatum, suam veram sententiam, de Apolline Sole et Diana Luna, palam facit vel facere videatur. Fragm. CLXXXVII. ex Clementis Alex. Protrept. p. 25. (18.) *Φοῖβος Ὑπερβορέοισιν ὄνων ἐπιτέλλεται ἱροῖς.* quod quum sic accipi posse, sacra illa fieri solita esse sub solis ortum, animadverterint Bentleius et Hemsterhusius, mihi semper placuit, ut nec Bentleio displicet, *ἐπιτέρπεται*, quae est Tan. Fabri, testante Anna filia p. 342. ed. Ern. coniectura, nata ex altero eiusdem Callimachi loco, Fragm. CLXXXVIII. *τέρπουσιν λιπαραὶ Φοῖβον ὀνοσφαγίαι.* Si tamen retinendum sit *ἐπιτέλλεται* ea, quam volunt Bentleius et Hemsterhusius significatione, fortasse non de nihilo est, quod *Φοῖβον* hac in re quam *Ἀπόλλωνα* dicere maluit Callimachus. Quid enim si latinorum poetarum consuetudinem acute observatam ab I. H. Vossio, ut *Phoebum* quidem commune Soli cum Apolline nomen faciant, at *Apollinem* nunquam appellent Solem, iam praeiverint Graeci? Aliquanto certior res est in altero loco, Fragm. CCCCXVII. ex Stephano Byzantio. Ita enim Stephanus: *Αἰθόπιον* (sic MSS. vulgo *Αἰθιόπιον*), *χωρίον Λυδίας παρὰ Ὕλλῳ, πλησίον τοῦ Εὐρίπου. ἀφ᾽ οὗ ἡ Ἄρτεμις Αἰθοπία* (vulg. *Αἰθιοπία*). *οἱ δὲ, ὅτι παρὰ τοῖς Αἰθίοψι*

διάγουσαν '*Απόλλων ἤγαγεν αὐτήν. οἱ δὲ, τὴν αὐτὴν τῇ Σελήνῃ, παρὰ τὸ αἴθειν, ὡς Καλλίμαχος. οἱ δὲ, ὅτι ἡ αὐτὴ ἐστι τῇ Ἑκάτῃ, ἥτις ἀεὶ δᾷδας κατέχει, ὡς Ἐρατοσθένης.* Quamquam hic quoque incertum est, quam aperte Callimachus aut quam tecte sententiam suam dixerit. Aliud confusae a Callimacho Dianae cum Hecate exemplum habeo, quod totum in coniectura positum. Quam nunc disputationem differo alium in locum, Cap. X. [Composui alibi versum, quem primus integrum Bastius ad Greg. C. p. 241. ex Etymol. Ms. Paris. (v. nunc Etymol. Gud. p. 539, 59.) protulit, quum particula tantum versus apud Suidam in v. Ὕδω exstaret, cum Fragmento Callimachi LXXVI. Nunc vide, an his ita compositis subiungendum sit Callim. Fragmentum LXII. quod p. 44. attigi et ab Hecale alienum esse infra Cap. X. doceo. Quo et initium praeclarum carminis iambici et conclusionem, h. e. versum conclusioni proximum, vel ipsum, qui conclusionem faciebat, versum repraesentabimus:

Ὕδειν ἔοικε τὴν φερέζωον κούρην,
τὴν ὠγαμέμνων, ὡς ὁ μῦθος, εἵσατο,
τῇ καὶ λίπουρα καὶ μόνωπα θύεται.

— — —

χαῖρ' Εὐκολίνη . . . .

φερέζωος, rarum vocabulum, quod ego ex Nonno XII. 6. Evang. Ioann. cap. V. 25. XVI. 27. ex Ioanno Gaz. et Apollinaris Psalmis annotavi, aut Dianae Lucinae epitheton, aut Dianae Hecates erit, respondens Hesiodeo *κουροτρόφος*.]

Haec sunt partim Hecales fragmenta, partim mea coniectura ad Hecalen relata, quae in prooemio pono non sine multa probabilitate, quinque. Quibus alia subiungam, de quibus hoc tantum praesto, posse ex Hecale, et quidem ex prooemio esse Hecales: ita tamen ut concedam non minori probabilitate eadem ad locos alios, et ad carmina alia, referri posse.

Fragmentum Callim. CCXCII.

ἔλλετε, βασκανίης ὀλοὸν γένος,

Valckenarius Callim. Eleg. Fragm. p. 281. sq. cum eo, quod supra tractavimus, CLXV. et cum illo, quod est CXXI. in una

fuisse eademque Elegia coniicit; E. Gerhardus Lect. Apollonian. p. 6. fortasse Ibidi esse vindicandum scribit. Quidni Hecalae vindicetur? ubi adversarios tranquilla argumentatione confutatos poeta fortasse hac vehementiori compellatione dimisit: ἔλλετε βασκανίης ὀλοὸν γένος. ἔλλετε iure miratur Valckenarius p. 282. sed placuit ita Callimacho. Alterum ἔλλετε in Fragm. CXXI. fertur ex emendatione Bentleii, approbata illa, sed alia significatione, ut in bonam partem dictum sit, Hemsterhusio. Ibi vulgo in Schol. Pindari Nem. IV. 10. ἐλλᾶτε habetur. Pro quo Valckenarius εἶδ' ἄγε dabat; Wakefieldius et Porsonus, quod Boissonadio in nitido suo Callimacho Paris. 1824. p. 200. et mihi probatur, ἵλατέ νυν.

De eorundem adversariorum maledicentia accipere licet Fragmentum CCLIII.

κηκάδι σὺν γλώσσῃ.

Sed hoc ubi, et de quo dictum, tam multos excogitare locos occasionesque possis, ut periculosum sit unum velle monstrare locum, in quo sit dictum. Est illud etiam in Etymol. Gudiano p. 319. ita scriptum: κηκάδος ἐν γλώσσῃ.

Dicam hac opportunitate de Fragmento CCCVI.

τὸν ἐν Δωδῶνι λελεγμένον οὕνεκα χαλκὸν ἤγειρον:

sententiam meam. De eo praclare meruit Bentleius tum feliciter restituto λελεγμένον pro ἀμέτρῳ isto λεγόμενον, quod in Stephano Ms. fuit, tum maxime interpretatione addita hac: *Dictum in garrulum quendam, qui ad dicendum provocatus nunquam finem facere potuit.* Addo equidem: in garrulum quendam, *adversarium Callimachi.* In proverbio versari locum Callimachi Bentleius senserat, fortasse Erasmi in adagio *Dodonaeum aes,* sed maxime Stephani memor, qui in hoc ipso capite de Dodona bis meminit proverbii: Ἔστι δὲ καὶ Δωδωναῖον χαλκίον παροιμία ἐπὶ τῶν πολλὰ λαλούντων, ὥς μὲν ὁ Δήμων φησίν· — et paullo post: — εἰκότως εἰς παροιμίαν παρεγένετο. μέμνηται αὐτῆς Μένανδρος ἐν Ἀῤῥηφόρῳ (p. 27. ed. Meinek.)· Ἐὰν δὲ κινήσῃ etc. Ne quis autem miretur, quod Menandri uti auctoritate ad confirmandum proverbium Stephanus maluerit quam Callimachi, cuius ipse verba haec, τὸν ἐν Δωδῶνι — ἤγειρον, loco superiore

apposuerat, reputet, ea verba ibi tantum ad comprobandam dativi formam, *Δωδῶνι*, apposita esse a Stephano. Ergo quum de proverbio dicere coepisset, maluit scriptoris alius, eiusque antiquioris, testimonio uti, quam ad laudatum ante alio consilio Callimachum relegare lectores. Callimachi ipsius fragmenta sunt apud Stephanum eo loco duo, probe a se invicem discernenda, ut sunt a Bentleio discreta. Unum, de quo coepi disputare, Fragm. CCCVI. Alterum ex Aetiorum secundo, ubi de origine Dodonae fabulam poeta tractaverat, quod Bentleio est Fragm. XXIV. ad quem locum non dubito quin pertineant duo neglecta adhuc insignia frustula Callimachi, quae ex Scholiis Victorianis Heynius ad Iliad. XVI. 234. et 235. Suppl. T. VII. p. 785. protulerat:

χρηνέων τ' Εὐρώπῃ μισγομένων ἑκατόν:

ut nunc Bekkerus exhibuit, quum Heynius *χρηναίων τ' Εὐρώπῃ μισγομένων*, omisso *ἑκατόν*, dedisset: *Εὐρώπη* intelligenda ea, de qua eadem Schol. Vict. ad versum Homeri praecedentem, Oceani filia: cf. Hesiod. Theog. 357. deinde ad v. 235. hoc:

οἷσιν ἄθικτον

σάμβαλον αὐλείου:

ut Callimachum scripsisse, aut potuisse scribere coniicio: *quibus intacta vestibulo solea*, vel *quibus nunquam solea attigit vestibulum.* cf. Callimachus h. Dian. 201. *μύρτοιο δὲ χεῖρες ἄθικτοι. σάμβαλα* dixit Diotimus Epigr. II, 6. (Anth. Palat. I. p. 274.) *ἀσάμβαλος* Nonnus aliquoties, locis ab Intpp. Hesych. v. *Σάμβαλα* et ab Iacobsio laudatis; denique locupletior his testis, ipse ille, ut puto, cui debet exquisitum vocabulum Callimachus, Eumelus apud Pausan. IV. 33, 2. Heynius ex Schol. Vict. dederat: *ἦσεν ἐκδους συμβάλον αυλειου;* Bekkerus: *ἧσεν ἐκδοὺς σάμβαλον αὐλείου.* Sed ut illuc revertar, ante omnia redintegrandum ac bona sui parte, quae deerat apud Stephanum, augendum est Fragm. CCCVI. Id quod ex Constantino Lascare fecit Blomfieldius; nos nunc ex illo ipso, ex quo sua hausit Lascaris, nisi fallor, Choerobosco Bekkeri Anecd. III. p. 1228. Apponam, ut comparentur cum Choerobosco, verba Constantini Lascaris, qui non est in omnium manibus, ex libro Grammaticae tertio: *εὑρήσεις δὲ καὶ παρὰ ποιηταῖς τοιαύτας δοτικὰς πεπονθυίας μετα-*

πλασμὸν διὰ τὸ μέτρον. καὶ παρὰ τῷ ποιητῇ ἐν Θ ἰλιάδος, Παυρότεροι μέμασαν δὲ καὶ ὥς ὑσμῖνι μάχεσθαι, ἀντὶ ὑσμίνῃ. καὶ ἀλκὶ πεποιθὼς, αντὶ ἀλκῇ. καὶ παρὰ Καλλιμάχῳ, Μή με τὸν ἐν Δωδῶνι λέγοι μόνον εἵνεκα χαλκοῦ. ἀντὶ δωδώνῃ. Apud Choeroboscum Bekkeri *οὕνεκα χαλκὸν* legitur. Quibus coniunctis cum Stephani, qui *ἤγειρον* verbum conservavit, testimonio, sententiam Callimachi, hoc est, ipsius de se loquentis Callimachi sententiam efficimus hanc:

μή με, τὸν ἐν Δωδῶνι λελεγμένον οὕνεκα χαλκὸν
ἤγειρον . . . .

ne me, quod aes illud Dodonaeum excitaverim, culpent periti rerum iudices. vel, cum maiori acerbitate: *ne me, quod aes illud Dodonaeum excitaverim, severe puniant dii.* Excitaverat Callimachus aliquem ad dicendum: qui quum multa garrulitate molestum se fecisset, Callimachus excitatae ab se garrulitatis culpam avertit ac deprecatur. Unum in his ambiguum, quid restitutum a Bentleio *λελεγμένον* significet. An ut sit, *quod dicitur esse Dodonae?* Vereor ut recte. Atque unicum hoc bene observasse Iac. Gronovius, ubi *λεγόμενον* inepte defendit contra Bentleium, videtur, *λελεγμένον* non esse *quod dicitur.* Quare *λελεγμένον* inusitate dictum ab Callimacho, sed ex analogia Homericorum *λέξομαι, ἐλέξατο, ἔλεκτο, καταλέγμενος* (Odyss. XI. 62. XXII. 196.), *καταλέχθαι* (Odyss. XV. 394.), existimo: quod *iacet*, *κείμενοι*, vel, ut propius ad usitatam Homero significationem verbi accedatur, quod *cubat Dodonae, das gelagerte, das ruhende.* Quadrat ad rem illustratus a Tollio ad Longin. p. 37. verbi *ἐγείρειν* usus, quod de iis rebus dicitur, quae ante *iacuerant* oblivione, situ, obrutae sepultaeque. Bentleius quomodo acceperit suum *λελεγμένον*, dubitare licet. Sane exstat apud Bentleium interpretatio latina: — *quia aes quod dicitur Dodonaeum Excitavisse* (sic in edit. Graevii) —: verum admodum probabilis dubitatio est Hemsterhusii, de qua Ruhnkenius ad Ernest. Epistt. Tittm. p. 27. *De Epigrammatum et Fragmentorum versione Latina quid Tibi videtur? Negat Hemsterhusius illam Bentleio deberi.* et p. 28. Epistola quae sequitur: *De Epigr. et Fragm. versione non aliam habet Hemsterh. dubitandi caussam, quam quod multis locis indigna est Bentleio, nec accommodata ad certissimas, quas*

in textum recepit, emendationes. Deinde non repugnabo vehementer, si cui *εἵνεκα* inferre placeat propter Constantinum Lascarin, sic: *μή με τὸν ἐν Δωδῶνι λελεγμένον εἵνεκα χαλκὸν ἤγειρον.* *εἵνεκεν* rariori et Callimacheo usu eo, quem vidimus in *εἵνεκεν οὐχ ἓν ἄεισμα*, et *οὐδ' ἕνεκ' Εὐρυνόμη Τιτηνιάς.* Mihi tamen Choerobosco Bekkeri et maxime Stephano obtemperare satius fuit. Sedem quaerenti ita constituto atque explicato Fragmento CCCVI. prooemium Hecales non aptum visum est, quod illud reciperet; magis apta *Ibis* videbitur, ubi in Apollonium, et in fastidiosam Argonauticorum carminis longitudinem, sive garrulitatem, dictum, illam propriam Ibidi *ἀσάφειαν*, et *αἰνιγματῶδες* illud habebit, de quo in sua Ibide Ovidius v. 51. sqq. his maxime verbis: *historiis involvam carmina caecis, ambages, aliquantum noctis*, tum Suidas v. *Καλλίμαχος*, denique Clemens noto loco, ubi cum Alexandra Lycophronis Ibin fortasse recte, Aetia non recte comparat, testantur. Quae obscuritas statim in eo cernebatur, quod nusquam nomen expressum adversarii erat: v. Ovid. l. l. et 93. sqq. et carmine extremo. Et sic peculiarem elegantiam habebit *ἤγειρον*: *excitaverat* Callimachus Apollonium, magister discipulum.

Non alienum ab illa modica quidem gravitate, sed tamen gravitate epica Hecales, quam in Prolegomenis circumscripsimus, Fragmentum CCCCXLII. quod qui profert, vetus interpres graecus Dionysii Periegetae ad exordium Dionysii, ita profert, ut in gravi quodam loco atque argumento, ad conciliandam fidem iis, quae narraturus erat poeta, dictum fuisse videatur. Quare non male in fine exordii Hecales haec verba, quae fortasse cum invocatione Musae coniuncta fuere, qualem itidem in fine exordii Apollonius I. 22. inserit, vel, quod malim, simpliciter comprobatam antiquitatis testimonio fabulam promittebant, colloces, ubi transitum Callimachus ad narrationem faciebat:

ἀμάρτυρον οὐδὲν ἀείδω.

II.

In capita divisi narrationem, quae versatur ante meum animum, Callimachi, non quod sic divisum in capita a poeta Hecale

poema fuerit: sed quum carmen etiam continuum, epicum, suas quasdam partes et facta ordine quodam disposita, ut unum excipiat alterum, habeat, nos sic distinguendis his partibus factisque commode sequemur progredientem paullatim poetam, et periculosum opus per sua quasi tabulata exaedificabimus. Quae autem faciunt, ut tentare hoc, et redintegrare carminis deperditi per suas partes, ordinemque partium, imaginem liceat, haec sunt quatuor. Primo illud, de quo in Prolegomenis p. 5. dictum, quod de argumento ambituque Hecales certis testimoniis constat. Deinde quae de factis Thesei, factorumque ordine, mythographi vel historici narrant alii: de quo significatum Proleg. p. 14. 26. Tum accurata fragmentorum, quae ex Hecale afferuntur a grammaticis, vel quae apta videantur ad hoc argumentum, observatio. Denique coniectura. Et hac quidem tum ad tria illa priora tum eo opus est, ut dispositionem rerum efficias haud indignam poetae minime contemnendi ingenio.

Primam partem sive primum caput, vel, si exordium annumeres, secundum, *tauri* descriptionem fuisse *Marathonii* puto. Ita decebat poetam. Primo taurum ponere, occasionem carminis. Deinde ut prodiret Theseus, debellaturus taurum. Theseo ut obviam fieret Hecale.

De tauri illius origine, furore, et quomodo ex Creta ad Marathonios pervenerit, narrationem apponam sive ex Callimacho ductam, sive ex aliis, quibus in iis, quae sunt praecipua, conveniebat cum Callimacho, Pausaniae I. 27, 9. 10. *Ἀνέθεσαν δὲ καὶ ἄλλο Θησέως ἔργον, καὶ ὁ λόγος οὕτως ἐς αὐτὸ ἔχει. Κρησὶ τήν τε ἄλλην γῆν καὶ τὴν ἐπὶ ποταμῷ Τεθρίνι ταῦρος ἐλυμαίνετο. πάλαι δὲ ἄρα τὰ θηρία φοβερώτερα ἦν τοῖς ἀνθρώποις, ὡς ὅ τ' ἐν Νεμέᾳ λέων καὶ ὁ Παρνάσιος, καὶ δράκοντες τῆς Ἑλλάδος πολλαχοῦ, καὶ ὗς περί τε Καλυδῶνα καὶ Ἐρύμανθον καὶ τῆς Κορινθίας ἐν Κρομμυῶνι, ὥστε καὶ ἐλέγετο τὰ μὲν ἀνιέναι τὴν γῆν, τὰ δὲ ὡς ἱερὰ εἴη θεῶν, τὰ δὲ καὶ ἐς τιμωρίαν ἀνθρώπων ἀφεῖσθαι. καὶ τοῦτον οἱ Κρῆτες τὸν ταῦρον ἐς τὴν γῆν πέμψαι σφίσι Ποσειδῶνά φασιν, ὅτι θαλάσσης ἄρχων Μίνως τῆς Ἑλληνικῆς οὐδενὸς Ποσειδῶνα ἦγεν ἄλλου θεοῦ μᾶλλον ἐν τιμῇ. κομισθῆναι μὲν δὴ τὸν ταῦρον τοῦτόν φασιν ἐς Πελοπόννησον ἐκ Κρήτης, καὶ*

Ἡρακλεῖ τῶν δώδεκα καλουμένων ἕνα καὶ τοῦτον γενέσθαι τὸν ἆθλον· ὡς δὲ ἐς τὸ πεδίον ἀφείθη τὸ Ἀργείων, φεύγει διὰ τοῦ Κορινθίου ἰσθμοῦ, φεύγει δὲ ἐς γῆν τὴν Ἀττικὴν καὶ τῆς Ἀττικῆς ἐς δῆμον τὸν Μαραθωνίων, καὶ ἄλλους τε, ὁπόσοις ἐπέτυχε, καὶ Μίνω παῖδα Ἀνδρόγεων ἀπέκτεινε. Μίνως δὲ ναυσὶν ἐπ᾽ Ἀθήνας πλεύσας (οὐ γὰρ ἐπείθετο ἀναιτίους εἶναι σφᾶς τῆς Ἀνδρόγεω τελευτῆς) ἐς τοσοῦτον ἐκάκωσεν, ἐς ὃ συνεχωρήθη οἱ παρθένους ἐς Κρήτην ἑπτὰ καὶ παῖδας ἴσους ἄγειν τῷ λεγομένῳ Μινωταύρῳ τὸν ἐν Κνωσσῷ Λαβύρινθον οἰκῆσαι. τὸν δὲ ἐν τῷ Μαραθῶνι ταῦρον ὕστερον Θησεὺς ἐς τὴν ἀκρόπολιν ἐλάσαι καὶ θῦσαι λέγεται τῇ θεῷ, καὶ τὸ ἀνάθημά ἐστι τοῦ δήμου τοῦ Μαραθωνίων. Quae litteris diductis exscribenda curavi, ipsis Callimachi fragmentis admotis illustrari possunt, et fragmenta illustrant invicem. Addam alios. Apollodorus II. 5, 7. Ἕβδομον ἐπέταξεν (Eurystheus Herculi) ἆθλον τὸν Κρῆτα ἀγαγεῖν ταῦρον. τοῦτον Ἀκουσίλαος μὲν εἶναί φησι τὸν διαπορθμεύσαντα Εὐρώπην Διΐ· τινὲς δὲ τὸν ὑπὸ Ποσειδῶνος ἀναδοθέντα ἐκ θαλάσσης, ὅτι καταθύσειν Ποσειδῶνι Μίνως εἶπε τὸ φανὲν ἐκ τῆς θαλάσσης. καί φασι θεασάμενον αὐτὸν τοῦ ταύρου τὸ κάλλος, τοῦτον μὲν εἰς τὰ βουκόλια ἀποπέμψαι, θῦσαι δὲ ἄλλον Ποσειδῶνι· ἐφ᾽ οἷς ὀργισθέντα τὸν θεὸν ἀγριῶσαι τὸν ταῦρον. ἐπὶ τοῦτον παραγενόμενος εἰς Κρήτην Ἡρακλῆς, ἐπειδὴ λαβεῖν ἠξίου, Μίνως εἶπεν αὐτῷ λαμβάνειν διαγωνισαμένῳ. καὶ λαβὼν πρὸς Εὐρυσθέα διακομίσας ἔδειξε, καὶ τὸ λοιπὸν εἴασεν ἄνετον· ὁ δὲ πλανηθεὶς Σπάρτην τε καὶ Ἀρκαδίαν ἅπασαν, καὶ διαβὰς τὸν Ἰσθμὸν εἰς Μαραθῶνα τῆς Ἀττικῆς ἀφικόμενος, τοὺς ἐγχωρίους διελυμαίνετο. Idem Apollodorus III, 1, 3. Ἀστερίωνος δὲ ἄπαιδος ἀποθανόντος, Μίνως βασιλεύειν θέλων Κρήτης ἐκωλύετο. φήσας δὲ παρὰ θεῶν τὴν βασιλείαν εἰληφέναι, χάριν τοῦ πιστευθῆναι, ἔφη, εἴ τι ἂν εὔξηται, γενέσθαι. καὶ Ποσειδῶνι θύων, ηὔξατο ταῦρον ἀναφανῆναι ἐκ τῶν βυθῶν, ὑποσχόμενος καταθύσειν τὸν φανέντα. τοῦ δὲ Ποσειδῶνος ταῦρον ἀνέντος αὐτῷ διαπρεπῆ, τὴν βασιλείαν παρέλαβε. τὸν δὲ ταῦρον εἰς τὰ βουκόλια πέμψας, ἔθυσεν ἕτερον. Θαλασσοκρατήσας δὲ πρῶτος πασῶν τῶν νήσων σχεδὸν ὑπῆρξεν. Ὀργισθεὶς δὲ αὐτῷ Ποσειδῶν ὅτι μὴ κατέθυσε τὸν

ταῦρον, τοῦτον μὲν ἐξηγρίωσε· Πασιφάην δὲ ἐλθεῖν εἰς ἐπιθυμίαν αὐτοῦ παρεσκεύασεν. etc. Continuat hoc argumentum, de Androgeo, quem Aegeus, ut occideretur, ἐπὶ τὸν Μαραθώνιον ἔπεμψε ταῦρον, de bello, quod Minos, θαλασσοκρατῶν, Athenis intulit, ac Megaris, deque pacis acerba conditione illa, Apollodorus III. 15, 7. 8. 9. Quae idem de postremis tauri Marathonii fatis habebat, qua in occasione haud dubie etiam Hecales mentionem fecerat, ea interciderunt. Diodori locum IV. 59. extr. posui Cap. IX. p. 20. Cf. idem IV. 13. extr. Isocrates Encom. Hel. p. 236, 25. ed Bekker. καί τόν τε ταῦρον τὸν ἀνεθέντα μὲν ὑπὸ Ποσειδῶνος, τὴν δὲ χώραν λυμαινόμενον, ὃν πάντες οὐκ ἐτόλμων ὑπομένειν, μόνος (Theseus) χειρωσάμενος etc. Denique Tzetzes Chil. II, 36. v. 293. sqq. coll. Chil. 1. hist. 19.

In his una tenenda est, ne cui fraudi sit iterata Minois mentio, observatio chronologica, iam praeparata illa atque inchoata a nobis, nunc paullo explicanda uberius. Illud dico, quod Proleg. p. 22. iterumque p. 27. significavi, alienum ab Hecale poemate Minotaurum esse. Sane equidem non hoc in me recipio, ut chronologiam scribam Thesei, et cuivis facinori Thesei ut suum tempus assignem. Sed tamen nonnulla ita videntur poetarum mythographorumque consensu stabilita indicioque circumscripta temporis fuisse, ut Callimachum recessisse a narratione omnibus communi, et quae iam historicam haberet fidem, incredibile sit. Sunt autem haec, quae iam recensuit ordine Meursius in Theseo cap. 5. sqq. . Primo una facinorum Thesei, quae iuvenilia, vel adeo puerilia, appelles, series, communi quodam vinculo inter se cohaerentium. A quibus separatus proximum locum obtinet coniunctus cum fabula Hecales taurus Marathonius. Denique hunc excipit expeditio in Cretam Thesei victusque ab Theseo Minotaurus. Sic haec uno ore Plutarchus in Theseo, Diodorus Siculus IV. 59. et 60. init. itemque, ut credere par est, Apollodorus. Iuvenilia, vel prima virtutis specimina, haec sunt, quae Theseus primum adolescens, primo itinere suo, quo, inventis calceis patris gladioque, Troezene proficiscens Athenas, per viae occasionem, dum ex Argolide per Isthmum in Atticam iter intenditur, perpetravit, Herculis instar terram a monstris sceleri-

busque purgans: Periphetes *Κορυνήτης* in Epidauria; Sinis *Πιτυοκάμπτης* in Isthmo, cuius metu Aegeus, ut Schol. Eurip. Med. 661. ed. Matth. tradit, mari Troezena iverat; sus Cromyonia; Sciron in Megaride, vel, ut Plutarchus, *πρὸ τῆς Μεγαρικῆς*; Cercyon in agro Eleusinio; Damastes (vel Polypemon, secundum Pausaniam I. 38, 5.) *Προκρούστης* in Erineo, vel *ἐν Κορυδάλλῳ*, ut Diodorus. Hunc ordinem et totius ratio itineris situsque locorum commendant ac postulant, de quo nota est Palmerii Exercit. in A. Gr. p. 184. admonitio, et observant Plutarchus, Diodorus, eundemque haud dubie Apollodorus observaverat eo loco, ubi nunc primi tantum et secundi facinoris, Periphetae et Sinidis, mentio exstat, reliqua desunt, lib. III. extr. Unum dubium relinquit Plutarchus, de Scirone, quem Megarenses scriptores latronem fuisse negabant, interfectumque a Theseo non primo itinere suo, sed postea, *οὐχ ὅτε τὸ πρῶτον ἐβάδιζεν εἰς Ἀθήνας, ἀλλὰ ὕστερον*, dictitabant. Facinora sunt, si Scironem numeres, sex; si taurum Marathonium annumeres, septem. Paene oblitus eram, idem rerum filum legere Pausaniam. II. 1, 4. Periphetes; Sinis. cf. de Sinide I. 37, 4. II. 1, 3. sus Cromyonia. I. 44, 6. 8. Sciron, de quo cf. I. 3, 1. I. 39, 3. Cercyon. I. 38, 5. Polypemon *Προκρούστης*. Post haec, ab hospitio Phytalidarum, a quibus etiam lustratus est, de quo iidem Plutarchus c. 12 et 23. extr. Pausanias I. 37, 4. testantur, Athenas ingressus, agnitus est a patre, et quae reliqua narrantur. Tum Athenis perrexit contra taurum Marathonium. Denique, *ὀλίγῳ ὕστερον*, ut ait Plutarchus, in Cretam. Hyginus etsi factorum Thesei, quae prima specimina iuvenilia dico, ordinem alium facit, in eo tamen, quod nobis praecipuum, consentit cum illis, *post* illa ponendum esse taurum Marathonium, et ultimo loco Minotaurum. Ita enim Hyginus Fab. XXXVII. et VIII. *Qui* (Theseus) *cum ad puberem aetatem pervenisset, mater praecepta Aegei indicat ei, lapidemque ostendit, ut ensem tolleret, et iubet eum Athenas ad Aegeum proficisci, — eosque, qui illic tum itinera infestabantur, occidit. Corynetem — Pityocampten — Procrusten — Scironem — Cercyonem — aprum qui fuit Cromyone — taurum qui fuit Marathone — Minotaurum.* Qui obiter commemorant facta Thesei, non mirum si tempora confundant, ut Statius Theb. XII. 576. sq.

581. 2. Ovidius Ibide 409. sqq. At ubi ordinem tenet fabularum Ovidius, in opere quasi historico, VII. 433. sqq. illa quidem priora suo ordinat arbitrio, at in re primaria facit cum mythographis. Nam quod ibi in recensendis Thesei factis primum locum tauro dedit Marathonio, non negligentia factum aut errore puto, sed consulto, quoniam hoc tum recentissimum, eoque gravissimum civibus, Thesei non ita pridem patri Athenisque donati facinus. de Minotauro victoriam Thesei prudenter loco inferiori VIII. 169. ss. 262. s. reservavit. Idem ubi facta Thesei, non omnia, sed nonnulla potiora, imaginibus inscriptionibusque celebrata recenset, Heroid. Epist. II. 69. sic procedit ordine: Sciron, Procrustes, Sinis, Minotaurus; tum bellum Thebanum, Centauri, descensus ad inferos.

Apparet ex his, quid in Hecale de Minoe ac Minotauro potuerit scriptum esse, quid non potuerit. Non potuit in Hecale Cretensis expeditio Thesei et devictus Minotaurus esse. Nisi ea de re aliquid quasi vaticinando occupaverit Callimachus. At potuerunt esse, ac fuerunt, ut puto, quae ad historiam tauri Marathonii necessaria de Minoe Pausanias loco paullo ante adscripto habet. Igitur vestigia legens Pausaniae sic fere coepisse coniicio poetam: Immissum Cretae taurum a Neptuno esse, quum multum polleret Minos, ac maris insularumque imperium classe teneret. Huc refero insigne Callimachi fragmentum, omissum a Bentleio, Fragm. a Spanhemio collect. p. 392. XVI. ed. Ern. nunc Fragm. DI. Blomf.

καὶ νήσων ἐπέτεινε βαρὺν ζυγὸν αὐχένι Μίνως.

ex Cyrillo Alex. contra Iulian. lib. VI. p. 191. T. I. Spanh. De Minois quae tum fuit *θαλασσοκρατίᾳ* perque insulas dominatione praeter Pausaniam l. l. et praeter Apollodori l. l. verba inprimis illa ad Callimachum apta, *θαλασσοκρατήσας δὲ πρῶτος πασῶν τῶν νήσων σχεδὸν ὑπῆρξεν*, cf. Thucyd. I. 4. Isocrat. Panathen. p. 269, 43. ed. Bekker. Diodor. IV. 60. Strabo I. p. 48. (p. 83. A.) Cyrillus testimonio Callimachi utitur ad comprobandam Minois iniustitiam atque intemperantiam: de quo aliquid Spanhemius ad Callim. h. Dian. 194. ubi idem rursus profert fragmentum Callimachi. Videbar etiam mihi ita scriptum legisse: *νησάων ἐπέτεινε* etc. quae si non proba genitivi forma, certe Callimachea

foret: cf. Callim. h. Del. 66. 275. Suidas (cf. infra tractandum Callim. Fr. CCCCXXVIII.): Κολωνάων, καὶ νηπάων. παραλόγως ἐχρήσατο Καλλίμαχος. οὐ γὰρ παράγεται ἀπὸ τῆς κολώνης, ἀλλ' ἀπὸ τοῦ κολωνοῦ. add. fragmenta, fortasse Callimachi, "Ἄρτεμι Κρητάων πότνια τοξοφόρων, et καλοὶ νηπάων ἀστέρες, quae cum alio Epicharmi primum publicavit Heynius ad Iliad. XIX. 1. mirum ibi Κρητάων, quod Hermannus aliquando Κρηταέων fuisse putabat: nam sane aliud est Κρητάων-εὐρειάων apud Homerum. Nunc video constanter sic legi: καὶ νήσων ἐπέτεινε etc. Modum si quis quaerat, quo haec nexa fuerint, ut de multis proponam unum, Callimachus ita potuit: Ἦν χρόνος, ἡνίκ' — — — καὶ νήσων ἐπέτεινε β. ζ. α. M. ad exemplum similium initiorum apud Lobeckium Aglaoph. I. p. 246. add. Theocrit. VII. 1. Vel Ἦν ὅτε — ut in Cypriis. V. docta Schaeferi disputatio in L. Bos. p. 543. seq. ubi accurate collectis ex Anthologia exemplis nunc addendum est novum Paralip. p. 775. n. 27. Append. Anth. Palat. II. p. 822. n. 207. Et quae e carminibus Gregorii Theologi congessi in prooemio quodam. ubi Cypriorum initium restituo hoc probabili modo: Ἦν ὅτε μυρία φῦλα κατὰ χθόνα [πουλυβότειραν] πλαζόμενα [στείβεσκε] βαθυστέρνου πλάτος αἴης. Callimachus ipse in Choliambis Fragm. LXXXVII. quod pro exordio fabulae alicuius habeas: Ἦν κεῖνος οὑνιαυτός, ᾧ τό τε πτηνὸν etc.

Ad dictionem similia annotavi haec ex Apollinare: Psalm. LXXI. οἴσατε νῆσοι δῶρ', — γαίης μεν βασιλῆες ὅλης ἅμα γουνάσσαιντο. ἔθνεά οἱ παντοῖα ποτὶ ζυγῷ αὐχένα θείη. Ps. XCIX. ἀθανάτου χαίροντες ὑπὸ ζυγὸν αὐχένα θέσθε. Ps. CI. αὐτὰρ κοιρανίοισιν (?) ἐὸν ζυγὸν αὐχένα (αὐχένι?) θήσει. At futilis auctor, audio; neque ea similitudo, ut quicquam ad illustrandum Callimachum couferat. Neque ego annotassem ista, nisi semel monendum esset, Apollinarem ita Homeri, Callimachi, usu ac lectione nutritum exercitatumque videri, ut similitudo etiam levior facile imitationis sive voluntariae sive non voluntariae suspicionem moveat. Et Homericam imitationem taceo, quum et manifesta multis locis, et Homerus is sit, quem norunt omnes. Ut unum proferam de levioribus, et quae facile praetereant legentem, Homericum est θαῦμά μ' ἔχει Psalm. CV. et CXXXVIII. unde in lacunoso Paulli Silentiarii loco Ἐκφρ. τ.

μ. ἑ. II. 96. quo Graefius iure *θαῦμα δ' ἔχω* supplet, eodem iure aliquis *θαῦμά μ' ἔχει* restituat. Callimachi autem non solum vocabula multa, h. e. primum divulgata a Callimacho ac frequentata versu heroica, et adamata Callimacho vocabula, sive ex ipso Callimacho doctus, sive ex aliis Callimachea elegantia imbutis poetis, frequentat Apollinaris: *εἵνεκα* (pro *οὕνεκα*, semel, si verum est, Ps. XXXVIII. *εἵνεκ' ἐγὼ ξεῖνος*), *ἄεισμα* (Ps. CXLIII. et saepe in titulis Psalmorum), *ἠνεκέως*, *φερέζωος*, (*σελήνης* Ps. LXXI. epitheton, alibi aliter), *ἄβαλε*, *ἀερτάζειν*, *ἀριήκοος*, *ἀοίδιμος*, *ἔμπα*, *ἔμπα γε μήν*, *ἐσσήν*, *εὐαγής*, *νήχυτος*, *ὁμέστιος*, *περιηγής*, *πολύθεστος συνέμπορος*, *ψύθος* (Ps. CVIII. et CXXVII.): sed etiam complexus verborum habet ad similitudinem locorum, qui sonabant ante aures, Callimachi conformatos. Ps. LXVI. *θεῖον ὄρος, πολυανθὲς ὄρος μάλα πῖον ἐτύχθη, πῖον ὄρος.* — ad Lav. Pall. 40. *Κρεῖον δ' εἰς ὄρος ᾠκίσατο, Κρεῖον ὄρος.* cf. Ps. LXXVII. *ὄρος — κλεινὸν ὄρος.* Ps. LXXVI. *ἠρνεόμην πραπίδεσσι παρηγορέοντος ἀκοῦσαι*, ex Callim. Fragm. CXLIV. (infra Cap. VII.) *ἠρνεόμην θανάτοιο πάλαι καλέοντος ἀκοῦσαι.* cf. Ps. C. *οὔας ἐμὸν πέφρακτο κακηγορέοντος ἀκοῦσαι.* Ps. CV. *οὔασιν ἠρνήσαντο θεοῦ λαλέοντος ἀκοῦσαι.* Ps. CXVIII. *Θεσμὸν σὸν φιλέεσκον, ἀτὰρ στυγέεσκον ἀθέσμους*: ad similitudinem dicti illius: *ἑσπέριον φιλέουσιν, ἀτὰρ στυγέουσιν ἑῷον.* quamquam neque *ἀποστυγέουσιν* inauditum Apollinari: Ps. LXXXVII. *ἀποστυγέουσιν ὁμοῖον.* Omnino praeter Homerum vix invenias alterum, cuius sermo tantum et grammaticos exercuerit, et tanto numero amatores imitatoresque usque ad recentissima tempora excitaverit, quanto Callimachus.

De ortu tauri utrum ea brevitate, qua Pausanias utitur, an quod facile crediderim, uberius, ea fere quae binis locis tradit Apollodorus, poeta retulerit, ambiguum est. Quam, praebente occasionem tauro, Pausanias in universum disputationem de monstris eiusmodi instituit, et quod scribit: *ὥστε καὶ ἐλέγετο τὰ μὲν ἀνιέναι τὴν γῆν*, horum similia eadem occasione a Callimacho dicta fuisse coniiciebam. Certe haec inveniuntur in scholiis Apollonii Rh. I. 761. de Callimacho scripta: *ἀλλ' ἐροῦμεν, ὅτι οἱ ποιηταὶ τοὺς τερατώδεις κατὰ τὸ σῶμα γῆς εἶναι φασίν. οὕτω γὰρ καὶ Καλλίμαχος*

τὰ δεινὰ τῶν Θηρίων γῆς εἶναι ἔφη.
v. Callim. Fr. CCCLXXVI.

A Neptuno immissum Cretensibus taurum, et ab eodem exasperatum, etiam apud Callimachum fuisse, non ab Iove, ut vetus interpres Statii ad Theb. V. 441. neque ex luna delapsum, ut alius tradit, consentientibus Pausaniae et Apollodoro credo, et Isocrati. Atque Apollodori verbis: ἐφ' οἷς ὀργισθέντα τὸν Θεὸν ἀγριῶσαι τὸν ταῦρον, et ὀργισθεὶς δὲ αὐτῷ Ποσειδῶν — τοῦτον μὲν (taurum) ἐξηγρίωσε, feliciter annectimus Fragmentum Hecales XLVI *. Immisit Neptunus tauro oestrum,

βουσσόον, ὅντε μύωπα βοῶν καλέουσιν ἀμορβοί,

eoque in rabiem cgit. Anna Fabri versum ad Ἰοῦς ἄφιξιν pertinere suspicabatur, p. 369. ed. Ern. Emendato a se in sua Fragment. Callim. collectione p. 385. ed. Ern versu utitur Spanhemius ad h. Dian. 45. ubi vocem ἀμορβός explicat, cui disputationi addendum Fragm. Blomf. CCCCLXXV. infra Cap. VI. De oestro sive μύωπι: non puto enim accurate observatum poetis discrimen esse, quod scholia Apollonii locis statim indicandis inter utrumque faciunt: bobus infesto, praeter βοηλάτην μύωπα Aeschyli, cf. Apollonius Rhod. I. 1265. ὡς δ' ὅτε τίς τε μύωπι τετυμμένος ἔσσυτο ταῦρος, — et qui magis memorabilis locus, III. 276. 7. τετρηχώς, οἷόν τε νέαις ἐπὶ φορβάσιν οἶστρος τέλλεται, ὅ ν τ ε μ ύ ω π α β ο ῶ ν κ λ ε ί ο υ σ ι ν ο μ ῆ ε ς. quod scribenti ipsum hunc versum nostrum ex Hecale obversatum esse haud dubie recte statuit Gerhardus Lect. Apollonian. p. 9. Cf. Tryphiodor. 361. Coluth. 43.

Deinde immanem beluam, quum Cretam vastasset, translatam ab Hercule in Peloponnesum esse, atque hinc invasisse Atticam, et in campum excucurrisse Marathonium,

ἐννότιον Μαραθῶνα,

cum mythographis narrabat poeta. Sed quod hac opportunitate inserui, Fragm. CCCL. etiam infra collocatum esse potuit, in eo quod nobis Caput VIII. est, vel poemate alio. Ex Hecale esse iam coniecit Brodaeus in Anthol. Gr. p. 134. Qui tauro primum ab Iove furorem subiectum, ut Cretensium agros ac moenia vastaret, scribit, interpres Statii, idem hoc habet, ipsi, nisi fallor, atque inde Mythographis Maii p. 18. et 115. ed. Bod. proprium,

taurum Argos perductum ab Hercule, ab Iunone in Atticam regionem expulsum esse.

Hinc dubitandi campus ac materia aperitur. Scilicet interfectum a tauro Androgeum Minois filium, et bellum, quod ea de causa Atheniensibus Minos pater intulit, finivitque conditione hac, ut per novem annos in Cretam quotannis *funera Cecropiae*, *nec funera*, *portarentur*, in dapem Minotauro: haec omnia attigisse Callimachum, facile credo propter Pausaniam, qui ea in suum narrationis ordinem recepit; estque hoc chronologiae illi nostrae consentaneum, si quidem dum haec geruntur omnia, Theseus aut commorabatur apud Troezenios, aut longo itinere, quod longius propter exstirpanda nunc dextra nunc sinistra parte portenta ac latrocinia, Troezene Athenas pergebat. Qui ad annos has res exegerunt, Plutarchus Theseo c. 15 init. et c. 17. init. Diodorus IV. 61. Ovidius VIII. 170. 1. (cf. Meurs. de Regib. Atheniens. III. 2.) etsi de eo, quam diu illud inhumanum Minois pactum perduraverit, dissentiunt, in eo tamen concinunt, ut bellum et finem belli, initiumque pacti ante Thesei in urbem Athenarum adventum ponant, et tres annos, vel etiam plures, ab initio pacti usque ad dissolutum Thesei de Minotauro victoria numerent. Illud dubium est, quam Callimachus aut longe aut breviter bellum Minois tractaverit. Et maxime, an coniunctum cum hoc bello Megaricum Minois bellum, Nisum Scyllamque, nobilem fabulam, attigerit. Pausanias quidem illi suae narrationi eam non inseruit, fortasse brevitatis caussa: agnoscit enim alibi I. 19. 4. et habet Apollodorus I. I. III. 15, 8. Neque quod Pausanias I. 39. extr. 41, 5. scribit, Megarenses ipsos bellum hoc Creticum, suaeque urbis sub Niso expugnationem dissimulare, Callimacho caussa esse omittendi potuit. Itaque nunc fere persuasi mihi, non omisisse Callimachum, sed attigisse fabulam nobilissimam. Et pertinere eo Fragmenta a me in Prolegomenis p. 12. indicata duo haec: Callimachi CLXXXIV.

Σκύλλα γυνὴ κατακᾶσα καὶ οὐ ψύθος οὔνομ' ἔχουσα.

et Fragmentum anonym. sed quod et per se ipsum Callimachum spirat, et cognatum priori argumentum tractat, apud Suidam v. *Κρέκα*:

πορφυρέην ἤμησε κρέκα.

Quae nunc, ut Toupius Emendat. in Suid. P. V. Vol. III, p. 106. et 116. (T. II. ed. Lips. p. 230. et 237. sq.) voluit, ad Hecalen retulerim. hac tamen conditione, non ut ex longa atque accurata expositione eius fabulae, quali expositioni nullus locus in Hecale fuit, sed ut sint poetae obiter ac summatim eam fabulam commemorantis, et properantis ad alia. Atque hanc ipsa fragmenta speciem habent, ut nunc mihi videor sentire: licetque ea in unum coniungere: *Quum* (vel *Tum*) *Scylla, ipsa regis filia,*

Σκύλλα γυνὴ κατακᾶσα καὶ οὐ ψύθος οὔνομ' ἔχουσα,
πορφυρέην ἤμησεν ἄπο κρέκα.

Ut fortasse tota haec de bello Megarico narratio quatuor vel quinque versibus absoluta fuerit. Non opus erat nomine Nisi. Quod supplendum lectoribus ex recordatione fabulae relinquebatur, ut faciunt docti poetae. At *Scyllae* nomen, ut significavi, eleganter potuit bis poni: *Scylla*, quae vero nomine *Scylla*, h. e. canis, quippe impudens atque inverecunda. ἁ κυνόφρων eadem audit Aeschylo Choeph. 621. quem tamen non contendo ad originem significationemque nominis respexisse, quum hoc scriberet. Testibus Bentleii praeter Suidam v. Κατακάσα, et Philemonem Lex. Technol. v. Ψίθυρ p. 210. ed. Osann. cum Favorino in ead. v. addatur Etymol. Gud. ubi semel κατακᾶσα, quod verum videtur, semel κατακῶσα, p. 304. et 574, 20. ψύθος testes omnes, Etymol. Gud. semel ψίθος; mihi semper arrisit correctio Hemsterhusii, ψυθές. Quod ἀπό cum tmesi e coniectura restitui, nam vulgo apud Suidam π. ἤμησε κρέκα legitur, ἀπό in tmesi aliquoties habetur apud Callimachum, h. Iov. 44. h. Cer. 76. Fragm. CL. Fragm. LXXI. 6. CXXVIII. 1. ἤμησε similiter Hesiodus Theog. 180. 1. φίλου δ' ἀπὸ μήδεα πατρὸς ἐσσυμένως ἤμησε. *Purpuream* comam etiam Propertius dicit. Non recte, si vera sunt quae disputavi, Fragmentum CLXXXIV. de altera Scylla accipiunt Hemsterhusius, (qui tamen apud Gaisfordium ad Suid. alterum, πορφυρέην ἤμησε κρέκα, de Scylla Nisi interpretatur), Blomfieldius gloss. in Aesch. Agam. 1204. Boissonadius in Callim. p. 204. Neque in se ea opinio, si quid video, multum probabilitatis habet. Non putem Callimachum poetam, si hanc cecinerit alteram Scyllam, eam sequutum fuisse historiam, quam pro antiqua fabula supposuerunt Heraclitus,

Fulgentius, ieiuni fabularum interpretes, et ex poetis is qui varietatem huius fabulae omnem cum explicationibus fabulae excutit, Ciri v. 77. Sin autem illud tantum notum tradiderit Callimachus, rem habuisse Scyllam cum Neptuno, non erat cur *καταχᾶσα* diceretur propterea. At bene dicitur *καταχᾶσα* Scylla Nisi, quae sua libidine patrem perdidit ac prodidit.

Fortasse etiam longius progressus Callimachus, aliquid eorum, quae extra ambitum Hecales, praedixit, hoc modo: interfecti Androgei poenas repetentem Minoem primum Megara cepisse, deinde vexatis diuturno bello Atheniensibus crudele tributum imperasse, quotannis deflendum civi, *donec Labyrinthum reclusit, et χαλεπὸν μύκημα καὶ ἄγριον υἷα Πασιφάης*, ut mea faciam verba ex hymno in Delum v. 310. Callimachi, *exstinxit ac sustulit novus heros vindex*. Sive, ut ab alio colorem mutuemur orationis poeticae: donec *lamentabile Athenae pendere desierunt Thesea laude tributum.* Aptum huic praedictioni concludendae erat Fragm. CCXII.

καὶ τὰ μὲν ὡς ἤμελλε μετὰ χρόνον ἐκτελέεσθαι.

Etsi fatendum est eum versum etiam aliis Hecales locis aptari, vel ad carmen referri posse aliud. Sed tamen quaecumque epicae speciem gravitatis prae se ferunt fragmenta Callimachi, facilius ac melius ad Hecalen poema, quam ad aliud, referentur. Quantum Callimachus temporis interfuisse inter Hecalen et expeditionem Cretensem putaverit, nullo mihi quidem indicio constat. Ex hymno in Del. l. l. id tantum efficitur probabili modo, fuisse tum Theseum pueris, *παίδεσσιν*, quos reducebat, maiorem. *ἤμελλε*, quod Homericum non est, si discesseris a Zenodoti Iliad. XII. 34. scriptura, Callimachus hic et in h. Del. 58. auctoritate dixit Hesiodi, suo aliorumque eiusdem scholae more, sermonem poeticum, cuius in universum Homerica dictio fundamentum est, undecumque verbis formisque verborum non Homericis locupletandi: de quo more non opus est ut ad omnia singula moneam. Statuo autem cum aliis, Ruhnkenio, Spanhemio ad h. Apoll. 105. Gerhardo Lect. Apollon. p. 8. Weicherto de vita et carm. Apollonii Rhod. p. 55. haec plane ipsa verba fuisse Callimachi: *καὶ τὰ μὲν ὡς ἤμελλε μετὰ χρόνον ἐκτελέεσθαι.* etsi qui conservavit hoc fragmentum, vetus interpres Apollonii

Rhodii, eius testimonium ita comparatum est, ut aliquid admittere dubitationis videri queat. Haec enim est ad Apollonium, ubi hic versus exstat I. 1309. καὶ τὰ μὲν ὣς ἤμελλε μετὰ χρόνον ἐκτελέεσθαι, interpretis graeci annotatio: Καλλιμάχου ὁ στίχος. vel, quod idem est, in Schol. Parisinis: — στίχον εἶναί φασι Καλλιμάχου. Id aliquis ita acceperit, apud Callimachum non eundem versum, sed tam similem fuisse, ut idem esse videri posset. Verum hoc si voluisset interpres Apollonii, sic, puto, scripsisset: ἀπὸ Καλλιμάχου ὁ στίχος, et addidisset ipsum versum Callimachi. Certe sic accuratius: ut in re simili interpres loquitur Aristophanis Acharn. 891. (883). Versum plane eundem fuisse apud utrumque etiam H. Stephanus statuit in Callimacho suo a. 1577. ubi nonnulla Callimachi fragmenta, sed pauca tantum, et tumultuaria, ut ipse fatetur, opera colligere coepit: p. 72. *Apud eundem* (Scholiastem Apollonii Rhod.) — *versus, qui et apud ipsum Apollonium extat, sed ab eo usurpatus, quum sit Callimachi, ut ille ait: Καὶ τὰ μὲν ὣς ἤμελλε μετὰ χρόνον ἐκτελέεσθαι.* In Fragmenta Vulcanii p. 134. Annae F. p. 149. atque hinc in edit. Graevii p. 234. Ernest. p. 340. unde versus Callimachi sic male scriptus: καὶ τὰ μὲν ὣς ἤμελλε κατὰ χρόνον ἐκτελέεσθε, pervenerit, non exputo. Sic congruentem cum Callimacho Apollonium supra p. 546. vidimus, et videbimus tertium in Fragm. XLIV *. Haec olim furta (cf. Bentl. ad Fragm. CXXIV.) appellabant, nos imitationes solemus, vel, mitissimo omnium vocabulo, *reminiscentias*. Et in Apollonio, bono poeta, omnino non tulerim furti appellationem, facilius in Nonno: quamquam ne in Nonno quidem, si furta dicas ea, quae quis sua coactus inopia, et quae clam abstulerit. Necessitas spoliandi Callimachum nulla ei erat, apud quem ipsum et copiam verborum, et magnam facilitatem versus faciendi fuisse manifestum est; neque clam esse Nonnus, quod imitaretur Callimachum, sed magis suam doctrinam ostentare scite intexendis vocabulis, membris, hemistichiis Callimachi, doctissimi poetae, voluit. Ut eo loco, propter quem haec disputata sunt, quem locum debemus Ruhnkenii Epist. crit. II. p. 186. diligentiae: V. 211. καὶ τὰ μὲν ὣς ἤμελλε γέρων χρόνος ὀψὲ τελέσσαι. Addo XXI. 160. καὶ τὰ μὲν ὣς ἤμελλε γέρων χρόνος ὀψὲ τελέσσαι, et

alterum, in quo aeque aperta, vel magis, imitatio Callimachi: XX. 142. *καὶ τὰ μὲν ὣς ἤμελλε μετὰ χρόνον ὀψὲ τελέσσειν Βάκχος ἄναξ.* et a longinquo similia: IV. 421. *ἀλλὰ τὰ μὲν πέπρωτο μετὰ χρόνον.* XIII. 493. *ἀλλὰ τὰ μὲν προτέροισιν ἐν ἀνδράσιν ἤγαγεν αἰών.* XXXIV. 193. *καὶ τὰ μὲν ἐν προτέροισιν.* Evang. Ioann. XVI. 3. *καὶ τὰ μὲν — — τελέσουσιν.* Similia iam apud Homerum, ut Iliad. XII. 34. *ὣς ἄρ' ἔμελλον ὄπισθε Ποσειδάων καὶ Ἀπόλλων θησέμεναι.* Apollonii haec observavi ad versum Callimachi partim idem sonante versus initio, partim sententia accedentia: II. 528. *καὶ τὰ μὲν ὣς ὑδέονται.* IV. 618. *καὶ τὰ μὲν ὣς κείνοισι μετ' ἀνδράσι κεκλήϊσται.* IV. 1216. *ἀλλὰ τὰ μὲν στείχοντος ἄδην αἰῶνος ἐτύχθη.* IV. 1764. *ἀλλὰ τὰ μὲν μέτοπιν γένετ' Εὐφήμοιο.*

Praeter haec nullum, quod Capiti II. attribuam, fragmentum praesto est. Nisi de tauro per Atticam, aut ante per Cretam, grassante accipere placeat Fragm. CCCCXXXIV. *ἴν' ἔλλερα πολλὰ τέλεσκεν.* Quod nos ad Caput VI. differimus.

Ceterum ut mea ipse vix ante scripta elevem, antequam alius id facere aggrediatur, versum maxime illum, *καὶ νήσων ἐπέτεινε βαρὺν ζυγὸν αὐχένι Μίνως*, alii cuidam narrationi locoque aptari posse fatendum est. Eum quod aliquando cum versu: *Σκύλλα γυνὴ καταπῦσα καὶ οὐ ψ. οὔ. ἔ.* et cum isto: *πορφυρέην ἤμησε κρέκα*, coniunctum, subiectis iis, quae ex Aetiis in Callim. Fragm. V. narrantur, in Aetiis collocabam, quam in rem Ovidium, sequentem, ut tum videbatur, Callimacheae narrationis vestigia, Metam. VIII. 6—262. comparabam: id nunc mitto tamquam parum probabile. Apparet, quum amantissimus fabularum antiquarum fuerit, et tamen non scripserit longa carmina, raro magnas, h. e. magno ambitu et vario argumento fabulas, cuiusmodi est fabula Minois, uno Callimachum loco pertexuisse atque absolvisse. Plerumque partes fabularum, per se constantes aliquo modo, quas deinde inter se nectere in unum diligens lector, cogitandoque efficere, quid de toto fabulae complexu sensisset Callimachus, poterat, in diversis carminibus, vel in diversis locis eiusdem operis ferebantur. Vel eandem fabulam, partemve fabulae, uno loco data opera explicatius

tractaverat, altero perstringebat obiter. Ut Molorchi historia fortasse *Αἴτιον* fuit hac quaestione: *quando et qua occasione instituta Nemea fuerint*, vel *cur in Nemeis victores tali quadam corona coronentur*. Nullamne igitur Callimachus alterius narrationis, magis celebratae antiquitus, de institutis propter Archemorum Nemeis, mentionem fecit? Nullam, puto. Certe fecisse Callimachum non constat testimoniis. Nisi peracta Molorchi historia, renovata illa altera occasione Nemea esse obiter adiecerit, quemadmodum adiicit Probus, vel aliquid ea occasione in Nemeis novatum esse. Quo testimonio Scaliger ad Propert. II. 34. (25. ed. Scal.) probabat, Callimachum *Nemea ad Archemori exequias* tractasse in Aetiis, ipsius Propertii, id testimonium nullum est, si quidem Propertius, ut apertum est, v. 37. sqq. non *Αἰτίων* argumenta, sed Thebaidos alicuius argumentum atque imaginem describit. Rursus Molorchi in Hecale mentio si non facta est, certe potuit fieri obiter. Etsi pro certo hoc tantum dabimus, obversatum Molorchum Callimacho esse Hecalen scribenti. De Aetiis quaestionem nunc ea de caussa attigi, ut monstrem, fabulas inserendi ad Minoem spectantes occasionem non unam fuisse in Aetiis. Eius operis argumentum ambitumque quum supra modum auxisset atque extendisset Salmasius Exercit. Plin. p. 601. b. G. qui *fabularum* omnium *origines et causas* exposuisse Aetiorum opere Callimachum scribit, et rursus idem opus quum finibus iusto arctioribus circumscripsisset Salvagnius ad Ovidii Ibin v. 57. qui dicit eo poematio, nam poemation vocat, Callimachum complexum esse *sacrorum ritus et causas*, sapientissime Hemsterhusius ad Propert. p. 950. 951. ubi etiam de ingenio operis aliquid in universum monet, recte ille negans morosum atque obscurum opus Aetia fuisse, ita breviter: *in illo Poëmate, ubi Veterum fabularum morumque rationes exponebantur*. cui definitioni qui cum Buttmanno de Cydippe p. 142. Mythol. II. *rerum quarundam naturalium caussas* addiderit, habebit fere capita sive genera, sub quae revocet Callimachi Aetiorum fragmenta tum ea, quae in Aetiis fuisse diserte testantur grammatici, tum alia non pauca, quae in opus illud indicio salis certo recipias. Sic, ut unum statim proferam, quod totum est in coniectura positum, quae narrat Apollodorus III. 15, 7. extr.

egregium constituunt *Αἴτιον: cur in Paro insula Gratiis sine tibiis et coronis sacrificent.* Iam huic narrationi, quae subiectam Minoi insulam Paron, inde Minoam dictam, spectabat, aptus versus: *καὶ νήσων ἐπέτεινε βαρὺν ζυγὸν αὐχένι Μίνως*, neque ineptum ad eandem est Callim. Fragm. CCCLXVIII. Deinde aliud *Αἴτιον* fuerit *maris appellatio Icarii:* Callim. Fragm. V. Nam *cognomina prisca locorum*, ut verbis Romani Callimachi IV. 1, 69. utar, cecinisse hic illic in Aetiis Callimachum, et sponte quisque coniiciat, et sunt fragmenta quae persuadeant. ut quum nomen explicabat *Zancle:* Fragm. XXII. et CLXXII. coll. Steph. Byz. v. *Ζάγκλη.* Scyllam Nisi cum versibus *Σκύλλα γυνὴ κατακᾶσα* etc. et *πορφυρέην ἤμησε κρέκα* et fortasse cum illo quoque, *καὶ νήσων ἐ. β. ζ. αὐ. Μίνως*, ubi inserere posset, plures loci occasionesque erant, quas indicabo, non ut de pluribus unam lector eligat, nulla enim ex omnibus sua quadam probabilitate commendatur: sed ut exemplis doceam, qualia cogitare *Αἰτίων* argumenta liceat. Igitur licet *Αἴτιον* cogitare, auctore Ciris et Ovidio Metam. VIII. 151. praeeuntibus, hoc argumento: *unde κεῖρις dicta:* vel hoc: *cur haliaeetus inimicus ciri.* Vel occasione ab nomine loci desumpta: *unde Scyllaeum dictum.* Quod si quis obiiciat, *Scyllaei* appellationem promontorii ita fuisse tritam omnibus, ut eam vix dignam explicatione habuisse doctus poeta Callimachus videatur, reputandum est, si cupidissime Callimachus obscuras fabulas, reconditas, ex situ antiquitatis eruerit, non sequi necessario, ut notas celebratasque ab aliis fabulas studiose evitaverit. Duo quum proposita sibi haberet, doctrinae ostentationem et narrandi dicendique elegantiam, aliae fabulae ipsa obscuritate sua alliciebant poetam, atque harum magnum fuisse in Aetiis numerum puto; aliae, notae, vel tractatae aliis, pulchritudine sua ad scribendum invitabant, et quod aliquid ab aliorum narratione diversum inserere vellet, vel nova tractatione suoque dicendi genere delectaturum se esse confideret. Qua in re perinde erat, utrum huic an illi quaestioni narrationem suam anneeteret. Immutare paullulum quaestionem Callimachi licebit, si quid veri insit in Tzetzae ad Lycoph. 650. observatione, quam non statim expedio, a tracta Scylla nomen inditum parti cuidam, *τόπῳ*, maris esse. Haec quo consilio a

me disputata sint velim lector meminerit. Mihi quod versum: *καὶ νήσων ἐπέτεινε β. ζ. αὐχ. Μίνως*, et illos: *Σκύλλα γυνὴ κατακᾶσα* etc. *πορφυρέην* etc. attinet, mea nunc supra enarrata sententia, qua illa Hecalae assignavi, probatur.

III.

Si vera sint, quae de Fragmento CCXII. disputavi, digna poesi epica conversio, aptusque ad heroem carminis Theseum transitus erat: *καὶ τὰ μὲν ὥς ἤμελλε μετὰ χρόνον ἐκτελέεσθαι. Tunc autem aliud ante manus erat, quo iuveniles vires experiretur, Theseo: taurus Marathonius.* Cui illa non approbaverim, is alium excogitabit modum, quo ad Theseum conversa fuerit narratio.

De Thesei pueritia, primaque adolescentia, aliquid insertum fuisse, ubi primum poeta producebat Theseum, tum quivis per se ipse coniecerit, tum fragmenta nonnulla suadent, quae sponte quasi cum in finem inter se coeunt. Primum ponimus, Plutarchi Thes. c. 3. indicio: *Θησέως τὸ μὲν πατρῷον γένος εἰς Ἐρεχθέα καὶ τοὺς πρώτους αὐτόχθονας ἀνήκει· τῷ δὲ μητρῴῳ Πελοπίδης ἦν*: quo etiam cap. 19. narrata de *ἀνεψιῷ* Thesei Daedalo adhibenda sunt, Fragmentum Hec. LXI *. Narrant Scholia Homerica ad Iliad. II. 547. de ortu Erechthei, regis Atheniensium, *τοῦ καὶ Ἐριχθονίου καλουμένου*, genitum esse a Vulcano, notam fabulam obscoenam, eiusque rei in fidem testimonium addunt Callimachi:

ἱστορεῖ Καλλίμαχος ἐν Ἑκάλῃ.

ἐν Ἑκάλῃ scholia tantum minora, s. Didymi, adiectum habent, et quod ego addo, Spanhemio ad Callim. Fragmenta a se collecta p. 388. VII. ed. Ern. testante, Schol. MSS. olim Is. Vossii: ut nihil dubites quin recte sit adiectum. Igitur Callimachus, dum prosapiam laudat Thesei, consistens paullisper in auctore generis, de Erechtheo sive Erichthonio, vero Autochthone, miram attigit fabulam. Ut exspectari poterat a docto poeta. Etsi nec diu moratum esse in hoc argumento poetam, et modeste, per ambages quasdam, verbis exquisitis, obscoenam rem adumbrasse puto. Ut in rebus naturalibus enunciandis Callimachus, ubi ve-

terum simplicitas fabularum reddenda erat, non fuit anxius et supra modum verecundus, quod ostendit hymno in Iovem v. 15. sqq. 44. ita nec libidinosus poeta fuit. Quem libidinosum merito dixeris, Nonnum, ex eius hac de re locis erui posse, detracta ea, quae propria Nonno, luxuria, verba putaveram, quibus fere rem declarasset Callimachus. Sed nihil certi efficio. Interea comparetur Nonnus XIII. 171. sqq. XXVII. 110. sqq. XXIX. 335. sqq. XXXIII. 124. XLI. 63. sq. XLVIII. 956. Veluti quod de posteriore Erechtheo apud Nonnum, id apud Callimachum similiter de Theseo dictum fuerit: *καὶ γὰρ ἐκείνου αἷμα φέρεν περίπυστον Ἐρεχθέος, ὅν ποτε* — et quae alia ludas similia. Quam nominis Erichthonii etymologiam, *ὡς ἀπὸ τοῦ ἐρίου καὶ τῆς χθονὸς*, scholia Homeri, cum aliis communem testibus, habent, quaeritur an ex Callimacho habeant. Quod ego affirmare non audeo. Alibi quidem sic solet *ἐτυμολογεῖν* Callimachus, ut, quae statim in manum exempla veniunt, h. Iov. 44. 5. h. Apoll. 97—103. h. Dian. 197. sq. h. Del. 37. 8. 52. 3. Fragm. ap. Etymol. p. 372, 4. quod Callimacho Hemsterhusius ad Callim. p. 423. ed. Ern. vindicat, et haud dubie saepius in Aetiis; ut ipsius nomen interpretatus est *Hecales*. Caeterum Pallantidae Theseum genuinam esse Erechthidarum progeniem negabant: Plutarch. c. 13. Quo pertinet quodammodo scita Pausaniae VII. 17, 7. observatio, quod ad Erechtheum genus referatur Thesei, id non proprie accipiendum esse: *τὰ γὰρ ἀρχαιότερα ὀνόματα ἐς ποίησιν ἐπάγεσθαι τῶν ὑστέρων καθεστηκὸς ἐστιν Ἕλλησιν, καὶ Ἀμφιάραόν τε καὶ Ἄδραστον Φορωνείδας, καὶ Ἐρεχθείδην ἐπονομάζουσι τὸν Θησέα.*

Deinde apud Pittheum avum educatum fuisse Theseum Callimachus tradiderat. Fragm. a Spanhemio collect. p. 406. XXXVI. ed. Ern. Fragm. Blomf. DIV. ex Schol. Euripidis in Hippol. 11.

> — *παρ' αὐτῷ* (Pittheo) *δὲ, φασὶν, ὁ Θησεὺς ἐπαιδεύετο, ὡς καὶ Καλλίμαχος μαρτυρεῖ.*

In Hecale, ut coniicit Blomfieldius. Quod et res suadet, si quidem nusquam id potuit aptius Callimachus quam in Hecale, et omnino veteri Euripidis interpreti, non huic, a quo nunc concinnata scholia habemus, sed antiquiori, ad manum Hecalen fuisse, quum commentaretur in Hippolytum, duo, praeter hunc, in scho-

liis ad eam fabulam prostantes loci Callimachi ostendunt, quorum unus diserto testimonio, alter a nobis indicio ex re satis certo ad Hecalen refertur. v. inf. Cap. VI. *παρ' αὐτῷ* scripsit A. Matthiae, cuius etiam coniectura est *φασίν*. vulgo: *παρ' αὐτῇ δὲ, φησίν* — unde Barnesius fecerat *παρ' αὐτῇ* (Aethra) *δὲ, φησὶν Πλούταρχος* (Thes. c. 4. et 6.), *ὁ Θ. ἐπαιδ.*

Sequitur Troezeniis maxime propria, ut refert Pausanias, sed late inde divulgata historia. Aegeus Troezene abiens, compressa Aethra, Pitthei filia, gladium sub saxo abdiderat et calceos, *πέδιλα, κρηπῖδας, γνωρίσματα εἶναι τῷ παιδί*, quae sunt Pausaniae I. 27, 8. verba: hoc mandato, Plutarcho aliisque testantibus, ut Aethra quem peperisset puerum, si posset adultus attollere saxum et auferre ista, ipsi hisce cum signis mitteret. Fragm. LXVI.

ἐν γάρ μιν Τροιζῆνι κολουραίῃ ὑπὸ πέτρῃ
θῆκε σὺν ἀρπίδεσσιν.

μιν, gladium; et sermo est de Aegeo. Quae verba suam ipsa sibi sedem in Hecale poscunt, ut recte a Bentleio inter fragmenta Hecales relata sint, etsi qui conservaverunt hoc fragmentum, Tzetzes, alii, omnes tantum *Callimachum* laudant, non *Callimachum in Hecale.* Tzetzae duo loci huc pertinent, confusi casu aliquo apud Bentleium, p. 79. et p. 167. ed. Bas. ad Lycophr. v. 494. et 1322. Utrobique vulgo *ἔργα δέ μιν τρ.* legitur, vel, posteriore quidem loco, si fides Müllero, *ἔργα μιν τρ. ἐν γάρ μιν* Bentleius ex Etymolog. M. v. *Ἀρπίς*, ubi haec tantum: *ἐν γάρ μιν Τροιζῆνι θῆκε σὺν ἀρπίδεσσιν.* Vulcanius in Fragmentis Callimachi ex Etymologio collectis p. 170. vel p. 350. ed. Ern. sic laudat ex Etymologico: *Ἐν μὲν γὰρ τροιζῆνι θῆκε σὺν ἀρπίδεσσι*: unde pentametrum excudebat T. Faber: *ἦν μὲν Τροιζῆνι θῆκε σὺν ἀρπίδεσι.* Sylburgius ad Etymol. hexametrum faciebat: *ἐν γάρ μιν Τροιζῆνι σὺν ἀρπίδεσσιν ἔθηκε,* vel pentametrum: *ἐν γὰρ Τροιζῆνι θῆκε σὺν ἀρπίδεσι.* Scilicet ignorabant plenius haec apud Tzetzen legi. Hemsterhusium quid commoverit, ut, postquam inventa a Bentleio veritas esset, aliud tentaret: *ἄορα μὲν Τροιζῆνι κ. τ. π.* etc. non exputo. Non crediderim in tmesi, *ἐν γάρ μιν Τροιζῆνι*, haesisse Hemsterhusium. non latebant enim, puto, virum summum Callimachea haec: h. in Iov. 10.

ἐν δέ σε Παῤῥασίῃ(ῃ) h. Apoll. 74. *ἐκ μέν σε Σπάρτης* ibid. 75. *ἐκ δέ σε Θήρης* h. Del. 189. *τὸν εἰν ἔτι γαστέρι μάντιν* — quod pronunciare coniuncte licet, *εἰνέτι γ.* ut dictum ad similitudinem dictionis non inauditae Homeridis, sed magis Alexandrinae, *ἐξέτι* cum genitivo: *ἐξέτι κείνου* h. Apoll. 47. (coll. 104.) h. Del. 275. et Apollonii locorum tum aliorum, tum huius qui totus est Callimacheo h. Apoll. 47. 48. par atque geminus: *ἐξέτι κείνου, ἐξ οὗ ἅπαξ* IV. 430. 1. Vulgatum *τὸν εἰσέτι γαστέρι μάντιν* neque adhibitus ab Ruhnkenio Nonnus XLVII. 698, neque Valckenario de usu dativi apud Callimachum observata ad Eurip. Hippol. 744. satis tuentur. Epigr. LIV. (LV.) 1. *ποτὶ γὰρ μία ταῖς τρισὶ κείναις* Epigr. LIX. (LX.) 2. *νίκης ἀντί με τῆς ἰδίης* Fragm. CCXIII. *ἀντὶ γὰρ ἐκλήθης Ἴμβρασε Παρθενίου* Fragm. CCCCXXVIII. *ἔκ με Κολωνάων* ex emendatione Buttmanni. Et illud inprimis frequentatum Callimacho, aliis: *ἔν ποτε παῤῥαλίῃ, ἔν ποκα Θήβαις* (al. *ἔκ ποκα Θήβας*), *ἔν ποτε Τμώλῳ, ἔν ποκ' ἄρα Σπάρτᾳ,* similia, h. Dian. 238. Lav. P. 57. Fragm. XCIII. 1. Theocrit. XVIII. 1. Leonidas Tar. LXI. 1. Antipater Sid. XXVII. 1. LXXVIII. 1. CVII. 3. Archias XXI. 1. Epigr. incert. CLVII. 1. Cf. Callim. Epigr. LVIII. 1. *Τῷ με Κανωπίτᾳ.* Fragm. CXCI. *τόν με παλαιστρίτην ἱμόσας — φιλήσειν.* Quibus specie simillimum, at re vera multo est insolentius dictum Fragm. CXVIII. 2. *τήν οἱ φασὶ τεκόντες,* quod Schaeferus ad Schol. Apollon. Rhod. p. 381. iure miratur, ferendum tamen. Ex alio genere est *τὸν αὐτὸν ἐμέ* et *τὸν σὲ Κροτωπιάδην* Fragm. CCCXV. ad quod nunc conf. Apollonius de Syntaxi p. 59, 22. ed. Bekker. de Pron. p. 275. A. et Anecd. Bekker. II. p. 923, 5. et, quod recte Iacobsius ad Anthol. Palat. Not. crit. p. 232. hac Callimachi auctoritate tuetur, *τόν με κύνα* ap. Onesten (Anal. Br. II. p. 291.) X. 4. Quum semel hanc quaestionem attigerim, alia traiectionis verborum exempla Callimachea accumulabo promiscue. H. in Del. 156. *οὐδ' ἥτις Κέρκυρα φιλοξεινωτάτη ἄλλων.* cf. Fragm. CLXIV. *ἀλλὰ θεῆς, ἥτις με διάκτορον ἔλλαχε Παλλάς.* H. Dian. 18. 9. *πόλιν δέ μοι ἥντινα νεῖμον, ἥντινα λῇς·* quod cum duobus Antonini Liberalis locis, quibus abusus fuerat Ernestius, expedivit Hermannus ad Viger. p. 710. In eodem hymno v. 81, rarum est, nisi fallor, in medio insertum *εἰ δ' ἄγε.* H. Cer. 96. *πολλάκι*

esse *διὰ μέσου* animadvertit Ernestius: *βαρὺ δ' ἔστενον αἱ δύ' ἀδελφαί, χὼ μαστὸς τὸν ἔπινε, καὶ αἱ δέκα πολλάκι δῶλαι.* cf. h. Del. 119. Fragm. CCCCXLV. *οὐδ' ὅθεν, οἶδεν, ὁδεύει, θνητὸς ἀνήρ.* Nonnulla habet hoc in genere ab usitata simplicitate epica recedentia Moschus, Megarae auctor: v. 45. *σὺ δ' ἠΰτε λείβεαι ὕδωρ.* v. 56. *τὰ δέ οἱ θαλερώτερα δάκρυα μήλων.* v. 91. *πρὸς δ' ἔτι μ' ἐποίησε διὰ γλυκὺν αἰνὸς ὄνειρος ὕπνον.* In Theocriti versu III. 21. *τὸν στέφανον τῖλαί με κατ' αὐτίκα λεπτὰ ποιησεῖς*, non, ut vulgo, puto, accipitur cum Valckenario, *κατ'* et *τῖλαι*, quod qui legendo reddere volet, insuavem fieri caesuram sentiet, sed cum Heinsio iungo *κατὰ λεπτά*: non tamen ut *αὐτίκα* ad *ποιησεῖς* referam, quod Heinsius volebat, sed ita: *κατ' αὐτίκα λεπτά*, ut extemplo fragmenta fiant, in augenblicks kleine Stücke. igitur hic nulla est traiectio. cf. Callim. h. in Del. 88. *τὸν αὐτίκα πότμον.* Denique ad quaestionem de traiectione artificium Callimachi, nam Callimacho puto artificium fuisse, in praepositione semel ponenda, et quidem cum secundo nomine coniuncta, de quo post Ruhnkenium in Epist. crit. ad h. Apoll. 8. praeter alios Boissonadius in Callim. p. 195. pertinet. et copula non suo loco collocata: h. Dian. 24. *ὅττι με καὶ τίκτουσα καὶ οὐκ ἤλγησε φέρουσα.* h. in Del. 324. *παίγνια κουρίζοντι καὶ Ἀπόλλωνι γελαστύν.* Epigr. XXXI. (XXXII.) 3. *ὀστέα σοι καὶ μοῦνον ἔτι τρίχες·* quam Valckenarius Callim. Eleg. Fragm. p. 24. iniuria verborum *σύνθεσιν non Callimacheam* dicit. Ad refutandam obiectionem alteram, graviorem illam, quam ab re petit Valckenarius, annotatum habebam, quod nunc occupatum ab Iacobsio in Anthol. Palat. Not. cr. p. 476. video, exemplum Theocriti XIV. 3. 4. Approbatam aliis conjecturam Valckenarii, *ὀστέα σοι καὶ ῥινὸς ἔτ', οὐ τρίχες·* mihi primum insuavis caesura suspectam reddidit. Idem ex Epigr. XXXI. defendo atque explico Epigr. Callim. XXV. 3. *λοξὸν ὄφιν καὶ μοῦνον ἔχων ξίφος· nihil nisi anguem et gladium*, non *γυμνόν*, ut coni. Brunckius.

Ut ad Theseum redeam, vel potius ad Aegeum et saxum illud, error est, ex male lecto Tzetze natus, quod ad Lycophronis v. 494. in scholio Par. B. apud Bachmannum traditur, *Κολουραίαν* eam petram Callimachum *et Plutarchum* appellare.

Nihil eiusmodi Plutarchus, neque hoc nomen fuisse proprium videtur. Etsi hoc, proprium fuisse nomen, et terminatio usitata in nominibus gentilibus *αιος* facile alicui persuadeat, et Tzetzen credidisse ex verbis eius colligas. At certo Suidas aliter: *Κολουραία πέτρα· κοίλη, κεκαμμένη, ἢ στρογγύλη. παρὰ Καλλιμάχῳ.* Et habet nomen proprium Pausanias II. 32, 7. 34, 6. *πέτρα Θησέως ὀνομαζομένη;* ante Theseum, *πρότερον*, Iovis *βωμὸς σθενίου.* Explicationem Suidae priorem, *κοίλη*, Plutarchi saxi descriptio Thes. c. 3. commendat. Apud me, propter etymologiam, *κόλος*, *κολοβός*, et quod proximum, *κόλουρος*, explicatio de tribus apud Suidam media praevalet, *κεκαμμένη*, h. e. saxum abruptum, incurvatum ac propendens in unam partem. Quae etiam saxa facilius attolluntur, vel attolli posse videntur, quam quae aequali undique fundamento innixa paullatim in altum eriguntur. Hyginus ubi Engonasiu sidus describit, quod, Hegesianacte auctore, Theseum repraesentet, Troezene extollentem saxum, Poet. Astron. II. 6. *itaque niti videtur*, inquit, *ut quam altissime possit lapidem extollat.* Plutarchus cap. 6. *ὁ δὲ τὴν μὲν πέτραν ὑπέδυ, καὶ ῥᾳδίως ἀνέωσε.* Pausanias I. 27, 8. *τούτου δὲ εἰκὼν ἐν ἀκροπόλει πεποίηται τοῦ λόγου, χαλκοῦ πάντα ὁμοίως πλὴν τῆς πέτρας.* Cf. Winckelmann. Monumenti ant. ined. Num. 96. Vol. I. Zoega Bassirilievi T. I. p. 226. Tab. XLVIII. ubi Winckelmannus p. 130. verba adhibet Callimachi: *Κολουραίῃ ὑπὸ πέτρῃ*, *sub rupe cava.* Idem gemmas eo argumento ubi exstent, monstrat in libro: Description des pierres grav. du f. Bar. de Stosch, p. 326. sq. Ad Callimachum Hesychii quoque glossam: *Κολουρέη(αίη)· κολοβή, νεωτάτη*, referebat Salmasius, valde probabiliter. Favorinus: *Κολουρέη, κολοβή, νεωτάτη.* ubi *κολοβή* verum esse censeo: est enim *κολοβή* proba feminini forma, *κολοβός, ή, όν*, certe his grammaticis, ut Suidae v. *Κόλουρα* et v. *Κολούρια.* *νεωτάτη* corruptum puto. Appellative dici *κολουραίαν πέτραν*, *cavum saxum* aut *incurvum*, iam sensit, Suidamque protulit contra Tzetzen, Meursius in Theseo cap. 3. extr. Non habeo quid faciam Stephani Byz. in v. *Αἴβουρα* verbis: *Κόλουρα Κολουραῖος, πόλις περὶ Πριήνην.* Quae Adr. Heringa in Miscell. Obss. Crit. Nov. Tom. IX. init. Suida Hesychioque et fragmento Callimachi adhibitis ita suspicabatur emen-

danda esse: *Κόλουρα Κολουραῖος, τόπος περὶ Τροιζῆνα*, vel *Τροιζήνην*.

Fabulae quam narramus, hic fuit simplicissimus sensus, non ut manu Theseus gladium calceosque Athenas portaret, monstraretque Aegeo, sed ut primum inventa atque eruta sua faceret, indueret calceos s. crepidas, cingeret latus gladio, atque ita agnoscendum se offerret patri. Quem sensum dixi fabulae, obscure Plutarchus et Apollodorus significant, quum scribunt: *πέμπειν* (Aethram) *πρὸς αὐτὸν ἔχοντα ταῦτα*, vel *τότε μέτ' αὐτῶν αὐτὸν ἀποπέμπειν*; et Eustathius ad Dionys. P. 1017. *ἐλθὼν μετὰ τοῦ ξίφους καὶ τῶν πεδίλων τῶν πατρικῶν*; perspicue Plutarchus c. 12. ut taceam alios; nemo disertius quam Tzetzes, non bonus auctor, sed ubi per se bona tradit, non contemnendus, ad Lycophr. 494. *τῇ δὲ Αἴθρᾳ ἐντέλλεται, ἐὰν υἱὸς ἐξ αὐτῆς γεννηθῇ, δεῖξαι αὐτῷ τὴν πέτραν, καὶ λαβόντα τὸ ξίφος, καὶ ἐνδυσάμενον τὰ ὑποδήματα, ὅταν αὐτῷ ἐφαρμόσωσι, καὶ δυνηθῇ κινῆσαι τὸ ξίφος, πλεῖν εἰς Ἀθήνας, ὃ καὶ ἐποίησεν αὐξηθεὶς, διὰ γνωρισμὸν τοῦ πατρός.* Hinc credibile est, aliquid de eius gladii forma, vel etiam magis de origine, memorabile cecinisse antiquitatem, idque non defuisse apud Callimachum, cuius ipsa verba, *ἐν γάρ μιν Τροιζῆνι — θῆκε σὺν ἀρπίδεσσιν*, suadent, ut de gladio in praecedentibus aliquanto dictum fuisse uberius coniicias. *ξίφος* dicunt plerique, Plutarchus semel *μάχαιραν*, c. 12. *ἀσκέρας — καὶ φασγάνου ζωστῆρα καὶ ξίφος πατρὸς* Lycophro. Non multum tribuo testimoniis a Meursio de Regibus Atheniensium III. 1. collectis, Ovidii VII. 422. apud quem *pater*, Aegeus, *in capulo gladii cognovit eburno Signa sui generis*; Senecae, qui gladii possessorem, post Aegeum et Theseum, Hippolytum facit, Hippol. v. 899. Quae horum esse inventa poetarum dixeris. Gravius Hygini Poet. Astron. II. 6. non neglectum ibi Meursio, testimonium est: *Hegesianax autem* (Engonasin) *Thesea dixit esse, qui Troezene saxum extollere videtur: quod existimatur Aegeus sub eo saxo Ellopium ensem posuisse, et Aethrae Thesei matri praedixisse*, et q. seq. ubi sane operae pretium est, in *Ellopium* ensem inquirere, praesertim quum eam in rem tam bonum auctorem excitet Hyginus: nam quae adscripsi, haud dubie Hegesianacte auctore tradit omnia;

Hegesianaclem autem intelligo eum, cuius mentionem Ptolemaeus nobili in Aratum epigrammate facit, et quem versu scripsisse de rebus coelestibus ex Plutarcho De facie in orbe lun. init. colligitur. Iam igitur Micylli et al. emendationi *Pelopium*, et Heinsii *Cecropium*, meam addideram, illis meliorem, quippe neque a librorum vestigiis, in quibus *Elopium*, *Ellopii*, *Allopium*, *Hellopium* esse testatur Munckerus, et similia in Vossianis suis Staverenus, nimis recedentem, et, quae altera in hoc loco emendando observari debet conditio, idonea, rem quod attinet, alius scriptoris auctoritate communitam: *Euboicum* ensem: quum nulla opus esse emendatione, ac retinendum esse, eadem significatione, ut *Euboicus* intelligatur, *Ellopium* sive *Hellopium* ensem animadverti. Strabo VII. p. 328. (505. A. ed. Almel.) *Φιλόχορος δέ φησι καὶ τὸν περὶ Δωδώνην τόπον, ὥσπερ τὴν Εὔβοιαν, Ἑλλοπίαν κληθῆναι.* Idem X. p. 445. (683. A.) *καὶ Ἑλλοπία δ' ὠνομάσθη ἀπὸ Ἕλλοπος τοῦ Ἴωνος· οἱ δὲ Αἴκλου καὶ Κόθου ἀδελφόν φασιν, ὃς καὶ τὴν Ἑλλοπίαν κτίσαι λέγεται χωρίον ἐν τῇ Ὠρίᾳ καλουμένῃ τῆς Ἱστιαιώτιδος πρὸς τῷ Τελεθρίῳ ὄρει, καὶ τὴν Ἱστίαιαν προσκτήσασθαι, καὶ τὴν Περιάδα, καὶ Κήρινθον, καὶ Αἴδηψον, καὶ Ὀροβίας,* — sequuntur de Ellopiensibus alia. Stephanus Byz. *Ἑλλοπία, χωρίον Εὐβοίας. καὶ αὐτὴ ἡ νῆσος ἀπὸ Ἕλλοπος τοῦ Ἴωνος. τὸ ἐθνικὸν, Ἑλλοπιεύς.* Cf. Eustath. in Iliad. II. 538. p. 280, 30. Itaque docte Hegesianax *Ellopium* ensem dixerat, h. e. Euboicum. celebris fuit ferri atque aeris fabrica Euboica. Sed quod gravissimum, hoc ipsum, talem fuisse illum Aegei Theseique gladium, alius scriptoris testimonio comprobatur. Is scriptor Callimachus est, in Hecale, Fragm. LI. b. quod posuimus Cap. VIII. *ἄρκιος, ἢ χείρεσσιν ἑλὼν Αἰδήψιον ἄορ.* ubi quod Bentleius scribit, *Αἰδήψιον ἄορ* esse *quemvis* ferreum vel aeneum ensem; commune enim epitheton esse, ut *Ἀχελώϊον ὕδωρ*; id nunc aliter se habere videbitur, postquam duos antiquos scriptores vidimus consentientes in eo, ut *Euboicum* dicant illum Thesei gladium. *Αἰδήψιον* quo iure dicat Callimachus, incertum est. Nam aut prope Aedepsum nota ferri aerisve metalla erant, celebris fabrica, aut *Aedepsum* pro *Euboea* dixit, ut faciunt nonnunquam docti poetae, partem pro toto. In universum hoc tenendum, de quo tantum, quantum

sufficiat, interpretes ad Stephanum Byz. v. *Αἴδηψος*: fuisse in Euboea ferri atque aeris metalla, et nota fuisse *τὰ ψυχρήλατα τῶν ξιφῶν* fabricae Euboicae. Laudatur Aeschylus Fragm. 360. Dind. *λαβὼν γὰρ αὐτόθηκτον Εὐβοικὸν ξίφος*. Nos nunc Callimachi ea de re locum, ab eodem Stephano v. *Αἴδηψος* conservatum, tractabimus, non quod meliorem habeamus Bentleiana emendationem, sed ut caveamus, ne quis forte hunc quoque locum ex Hecale desumptum esse suspicetur. Stephanus ita: — *ἦν δὲ καὶ σιδηρᾶ καὶ χαλκᾶ μέταλλα κατὰ Εὔβοιαν. Καλλίμαχος· δαιδα ἐν δὲ λάχαινε μὲν ἔργα σιδήρου. οἱ γὰρ Εὐβοεῖς σιδηρουργοὶ καὶ χαλκεῖς ἄριστοι. Ἐπαφρόδιτος δὲ μαρτυρεῖ, ἐκεῖ χαλκὸν πρῶτον εὑρεθῆναι. καὶ πρῶτοι ἐκεῖ χαλκὸν ἐνεδύσαντο οἱ Κουρῆτες*, etc. Reliquimus verba Callimachi ut exhibet Bentleius Fragm. CCCV. Bentleius satis probabiliter: *δέδαεν δὲ λαχαινέμεν ἔργα σιδήρου. δέδαεν*, *docuit*, vel *scit*, *callet*, ut *δεδάασιν* Callim. h. Ap. 46. scil. Euboea, ut puto. Atque habeo Dionysii Periegetae locum, in quo iures Callimachi Dionysio obversari verba, ut sunt a Bentleio restituta, v. 769. Chalybes *μογεροῦ δεδαηκότες ἔργα σιδήρου*: sensu nonnihil diverso, si quidem Dionysio *ἔργα σιδήρου* manifesto tractationem ferri, laborem qui partim in effodiendo, partim in cudendo ferro (cf. Callim. Fr. CXXIX.) cernitur, significat, at apud Callimachum *ἔργα σιδήρου*, propter *λαχαινέμεν*, significabit ipsum ferrum, s. moles ferri, ea circuitione, de qua C. Rittershus. in Oppian. Halieut. I. 105. et ut unum nominem de doctioribus, Valckenarius in Eur. Phoen. 206. In Rehdigerano tamen post *δαιδαεν* lacuna est, sic, ut annotavit Passovius: *Καλλ. δαιδαεν . . δὲ λάχ.* Quo imminuitur aliquo modo quae per se inest in Bentleii coniectura veri similitudo: ut taceam vix intelligi, quo consilio haec Stephanus verba Callimachi apposuerit, in quibus neque Aedepsi neque Euboea mentio. Quare videndum, an lacuna sit in verbis poetae, istae autem litterae *δαι*, quae est prior Bentleii coniectura, significent *δ' αἰ.* hoc est, *quarto Αἰτίων*. Aut, si *αι* pertineat ad verba poetae, sic: *Καλλίμαχος δ'*, *Callimachus quarto*. ut alibi eidem Stephano breviter laudatur *Καλλίμαχος δευτέρῳ*, *Καλλίμαχος τρίτῳ*, *Καλλίμαχος ἐν τετάρτῳ*, scil. *Αἰτίων*. vel etiam *Καλλίμαχος ἐν τρίτῃ*, *Καλλίμαχος τετάρτῃ*. nam utrum-

que licet, tam femininum quam neutrum; cf. praeter I. Gronovium ad Steph. Byz. Fragmentum p. 297. Vol. VII. Thes. Antiq. Gr. et Ernestium ad Callim. Fr. XIII. Bastius Comment. palaeogr. p. 853. med. Etsi Bentleium, qui expelli volebat femininum, nemo reprehenderit acriter: certe ipsum Stephanum tali in re fluctuasse non est veri simile. Utut scribantur, ex Aetiis esse verba illa, mihi persuadet Epaphroditi, quam statim subiicit Stephanus, commemoratio, quem quum ὑπόμνημα scripsisse in Aetia Callimachi constet, satis certa est argumentatio, in eo ὑπομνήματι etiam haec scripta, quae ex Epaphrodito refert Stephanus, et ad illum scripta fuisse Callimachi locum. Sic Fragmentum XIX. qui exhibet, Etymologus, primum verba ponit Callimachi, *Καλλίμαχος· ἡ μὲν ἀερτάζουσα μέγα τρίφος ὑψίζωνος ἄστυρον εἰσανέβαινε(βη)*, tum haec: *εἴρηται δὲ παρὰ τὸ ἄστυ ὑποκοριστικῶς ἄστυρον. οὕτω Θέων ἐν ὑπομνήματι τοῦ β' Αἰτίου.* Qua Theonis mentione commotus Bentleius recte Callimachi quoque versum secundo Aetiorum vindicavit. Denique de tertio Callimachi loco videndum, ubi Ἑλλοπιεύς. Stephanus v. Σχοινοῦς: *καὶ ὁ παρὰ Καλλιμάχῳ Ἑλλοπιεύς, παρὰ τὴν Ἑλλόπειαν, οὐ παρὰ τὸν Ἕλλοπα.* Verum hoc non dubito quin spectet ad Hymnum in Del. 20. *καὶ Μάκρις Ἀβαντιὰς Ἑλλοπιήων.* Caeterum quid et quam longe Callimachus hoc capite Hecales, in quo nunc versamur, docuerit, non definiam. Sed tantum docuit, ut probe intelligeretur, quod infra commemoraturus erat, *Αἰδήψιον ἄορ.*

Adducit ad saxum Aethra filium, qui tum, Pausania I. 27, 8. teste, annum agebat sextum et decimum. Plutarchus c. 6. *ἐπεὶ δὲ μειράκιον ὢν ἅμα τῇ τοῦ σώματος ῥώμῃ διέφαινεν ἀλκὴν καὶ φρόνημα μετὰ νοῦ καὶ συνέσεως βέβαιον, οὕτως αὐτὸν ἡ Αἴθρα πρὸς τὴν πέτραν προσαγαγοῦσα*, etc. *Ὁ δὲ τὴν μὲν πέτραν ὑπέδυ, καὶ ῥᾳδίως ἀπέωσε.*

ἡ δ' ἐκόησεν,
τοὔνεκεν Αἰγέος ἔσκεν.

Callim. Fragm. LIII*. Ita emendo, plus ego Ammonio tribuens apud quem *τοὔνεκεν Αἰγαῖος ἔσχε*, quam Etymologo. Et Etymologus quidem v. *Κοάλεμον* p. 524, 23. sic: *ἡ δ' ἐκόησεν, οὕνεκα γένος ἔσκεν·* et sic in Fragmentis Vulcanii p. 175. vel p.

356. ed. Ern. Ut prorsus nesciam, unde malum pedem intulerit οἱ, quod comparet in Fragm. Bentl. sic: τοὔνεκέν οἱ γένος ἔσκε — Apparet hanc mixtam ex Ammonio et Etymologico scripturam esse, inserta, versus caussa, non optimo consilio, οἱ particula. Iam vero cur pluris faciam Ammonium, quam Etymologum, idoneam caussam habeo, quod illum sua, et maxime mirum illud τοὔνεκεν, ab auctore accepisse locupletissimo, pro certo habeo. Scilicet ut Ammonium quae p. 106. de οὕνεκα et εἵνεκα habet, aut ex Apollonii disputatione, quae est in Bekkeri Anecdotis II. p. 505. delegisse, aut ex alio, cui conveniret cum Apollonio, supra p. 515. monitum est, eodem modo in his, quae p. 136. de τοὔνεκα et οὕνεκα docet Ammonius, conspirat cum Apollonio, et quasi pendet ab Apollonio p. 504. et 505, 1. Anecd. Bekk. Verum Ammonius, ut solet brevis esse, verbo monere de usu, et notare abusum Callimachi, τοὔνεκεν audentis pro eo quod debebat οὕνεκα esse, satis habuit; Apollonius ampliorem doctioremque disputationem instituerat, cuius si verba non licet, quia lacunis deformatus locus est, at ambitum lineasque licet quasi per umbram assequi. Equidem Homerica exempla agnosco duo, p. 504, 28. Odyss. XVI. 188. XVII. 288. tum alicubi lectum mihi, si recte sentio, versum pentametrum, ... ἕνεκεν πένθος ἀπωμόσατο; denique ad locum devenit Callimachi, qui locus etsi non comparet, tamen, quum tantum appareat ex iis quae supersunt, reprehendere Apollonium usurpatum a Callimacho τοὔνεκεν pro οὕνεκα, eundem Apollonius locum respicere censendus est, quem notat Ammonius. Itaque τοὔνεκεν scribimus duplici, vel potius una auctoritate, sed ea gravissima, Apollonii Ammoniique. Etymologum existimo, quod suum unice ἐκόησεν in mente haberet, pro insolito τοὔνεκέν, sivo casu sive consulto, usitatum substituisse οὕνεκα. Deinde Αἰγαῖος ἔαχεν vulgo apud Ammonium, unde Αἰγέος emendatio longe facillima. At in Ammonii MS. Regio plane illud nostrum, sic: Τοὔνεκεν Αἴγεος ἔσκεν. si fides Ruhnkenio in Epistolis a Tittmanno editis p. 115. Sic restituta verba quum duplicem interpretationem admittant, unam hanc, recognovisse Aethram gladium Aegei crepidasque, haud dubie unico vera est altera: *Sensit Aethra, filium esse Aegei.* Non quod antea id ignorasset: ipsa enim gravidam se esse ex Aegeo

sciverat, ac diserte Plutarchus: — *οὕτως αὐτὸν ἡ Αἴθρα πρὸς τὴν πέτραν προσαγαγοῦσα, καὶ φράσασα περὶ τῆς γενέσεως τἀληθὲς ἐκέλευσεν ὑφελεῖν τὰ πατρῷα σύμβολα, καὶ πλεῖν εἰς Ἀθήνας.* sed cum acumine dictum: intellexit veram esse Aegei sobolem, agnovit in Theseo patriae documenta virtutis. Quam in sententiam, quum interdum grammatici brevitatis studio imperfectas relinquant scriptorum quas laudant sententias, ut supra Ammonium *εἵνεκεν οὐχ ἓν ἄεισμα*, abrupta sententia, citantem vidimus, non ineptum fuerit, supplementum versus eiusmodi fingere: *τοὔνεκεν Αἰγέος ἔσκεν Ἐρεχθείδαο γενέθλη.* *Ἐρεχθείδαο*, vel etiam, ut est *ὠγυγίων υἷες Ἐριχθονιδᾶν* in Epigrammate, *Ἐριχθονίδαο*: aut latiore significatione pro *Atheniensi*, de quo modo dicendi Eustathius in Iliad. II. 547. sq. in Odyss. VII. 81. et viri docti monuerunt passim; aut proprie, ut respiciatur ad derivatam ab Erechtheo s. Erichthonio originem Thesei, de quo supra. Cf. Apollonius Rhod. I. 101. *Θησέα δ', ὃς περὶ πάντας Ἐρεχθείδας ἐκέκαστο.* *γενέθλη*, de uno, apud eundem Apollonium I. 133. apud Callimachum non memini me legere. Etsi quum etiam Etymologus in verbo *ἔσκεν* desinat, lubentius credo interpunctum fuisse post *ἔσκεν*. Praeterea, ut nihil celem, non tam certum est, quam dixi esse, compertum Aethram de partu suo, quod Aegei esset filius, habuisse. Suo more antiquitas, ut aliis, quorum maior ferebatur virtus, quam quae a patre insita videri mortali posset, deos genitores assignavit, ita Thesei natalibus Neptunum admiscuit. Sic hoc dico ambigue, Neptunum admiscuit: de modo enim varie et iudicabitur, et fortasse iudicatum est antiquitus. Licebat sic: incertum esse, utrum Aegei magis an Neptuni filius dicendus esset Theseus. Vel sic, patrem re vera fuisse Neptunum, nomen praebuisse Aegeum, ut certissima Iovis proles, Hercules, tamen Amphitryoniades audit, et nonnunquam ita Amphitruoni attribuitur, ut verum fuisse Amphitruonem patrem diceres, nisi aliud nosses aliunde; veluti Theocritus Idyllio XXIV. nusquam diserte divinam originem prodit, si forte excipias versum 102. Denique sic licebat, patrem fuisse Aegeum, sed aliquid in Theseum gloriae ex eo redundasse, quod eodem tempore mater, et nocte eadem, amplexibus honorata Neptuni fuerit. Hyginus Fab. XXXVII. ita:

Neptunus et Aegeus, Pandionis filius, in fano Minervae cum Aethra Pitthei filia una nocte concubuerunt. Neptunus quod ex ea natum esset, Aegeo concessit. Apollodorus III. 15, 7. et ex eo Tzetzes ad Lycophr. 494. τῇ δὲ αὐτῇ νυκτὶ καὶ Ποσειδῶν ἐπλησίασεν αὐτῇ, nihil illi addentes de concessione Neptuni. Neptuni filium diserte, et sine dubitatione, Theseum faciunt laudati Meursio in Theseo cap. 1. Diodorus Sic. IV. 59. Isocrates Encom. Hel. p. 234, 18. ed. Bekker. his verbis: — Θησεὺς, ὁ λεγόμενος μὲν Αἰγέως, γενόμενος δ' ἐκ Ποσειδῶνος, et mox p. 235. extr. Cicero de Nat. D. III. 18. et 31. denique Aristides. Atque narratione de tribus Thesei votis, quam ex Euripide, Seneca Tragico, Cicerone, Meursius ibid. exhibet, eadem continetur sententia. Etsi ea in parte fabulae, quae mortem spectat Hippolyti, non desunt qui dissentiant. Certe Servius in Aeneid. VII. 761. ita: *Ille* (Theseus) *Aegeum patrem rogavit, ut se ulcisceretur, qui agitanti currum Hippolyto immisit focam, qua equi territi eum traxerunt.* ubi *Aegeum* Burmanni librorum, et praeter hos aliorum, et omnium, ut videtur, scriptura est. Conf. Mythographi A. Maii p. 17. et 118. ed. Bod. quorum posterior, aliquid sive de suo, sive ex pleniore tum Servio inseruit: — *Aegeum patrem,* tunc marinum deum, *rogavit, ut se ulcisceretur* etc. Et sane tale quid requiritur: unde enim Aegeo, dudum mortuo, tantum potentiae, ut posset phocam immittere, nisi deus factus fuerit? Itaque hoc, deum marinum factum esse post mortem Aegeum, et Servius statuebat haud dubie, et is, qui ista praeivit Servio: coniectura ductus, ut puto, ex eo, quod in mari mortem quaesivisset Aegeus. Quem enim Welckerus de Trilog. Aeschyli p. 296. *Aegeum* inter et *Aegaeonem* indicat antiquum nexum, eum vix putem ad hanc narrationem pertinere. Alii, iique potiores testes, ut, quos dixi, Euripides, Seneca, Cicero, votum tradunt *Neptuno* factum fuisse. Nihil efficias, neutram in partem, certi ex eo, quod *Aegiden* appellat Theseum Hesiodus, Scut. H. 182. Θησέα τ' Αἰγείδην, ἐπιείκελον ἀθανάτοισιν: cf. Hom. Iliad. I. 265. ubi cum versum praeter laudatum Heynio Dionem etiam Pausanias X. 29. extr. agnoscit. Quid Theseidum auctores tradiderint, non constat; sed tamen non sine auctore, ut puto, Quintus Smyrnaeus XIII. 509. sq. haec Aethram dicentem

facit valde simplicia, vix quicquam de divina Thesei origine prodentia: *οὕνεκα Πιτθεὺς γείνατό μ' ἐν Τροιζῆνι, γάμῳ δ' ἐδνώσατο δῖος Αἰγεύς· ἐκ δ' ἄρ' ἐμεῖο κλυτὸς παῖς ἔπλετο Θησεύς.* Rursus Pausaniae I. 17, 3. narrationi, mirae illi de controversia et sponsione, quae aliquando Theseo cum Minoe fuerit, hoc subest, quod etiam clarius ex Hygino Poet. Astron. II. 5. elucet, et habitum esse pro Neptuni filio, et ipsum ea origine gloriatum esse Theseum. Qui Ovidio saepe audit *Aegides*, et est verus Aegei filius, ab eodem *Neptunius heros* vocatur Epist. IV. 109. Metam. IX. 1. et quum Demophoonti Phyllis scribit: *Perque tuum mihi iurasti, nisi fictus et ille est, Concita qui ventis aequora mulcet, avum;* is avus, ne quis deum marinum Aegeum cogitet, manifesto Neptunus est. Plutarchum vero quod attinet, tenebimus, quod ille veterem fabulam de Theseo Neptuni filio agnoscat; non morabimur, quod idem ad historicae speciem *πραγματείας*, quam solet captare in Theseo, detorquet fabulam: de Neptuno patre rumorem divulgatum Troezeniis, cultoribus eius dei diligentissimis, a Pittheo esse, ut excusaret filiam. Sic idem fabulam agnoscit, dubitationem addit de suo, ubi quaerit, cur mensium *αἱ ὄγδοαι* sacrae Theseo habeantur, cap. 36. Convenire, ex opinione Atheniensium, cum numerum Theseo, *ἐκ Ποσειδῶνος γεγονέναι λεγομένῳ. καὶ γὰρ Ποσειδῶνα ταῖς ὀγδόαις τιμῶσιν.* Hinc eorum ex mente, qui admiscebant Neptunum, ita interpretabimur supra commemoratum mandatum Aegei: dubitantem Aegeum, quum Trozene abiturus esset, de partu, quem tum utero ferebat Aethra, utrum ipse eius partus pater esset, an alius, illud imperasse de gladio calceisque. Confidebat enim, id quod mihi quidem prorsus antiquum et accommodate ad morem veterum fabularum indolemque fictum videtur, neminem, ut erueret illa, idoneum, ac nemini gladium, et maxime calceos aptos fore, nisi suo vero filio. Itidem Aethra Aegei esse filium, tum demum certior facta est, quum Theseus imperatum peregisset: nam antea ipsa dubitaverat, utrum Aegei esset filius an Neptuni. Atque hunc in sensum fortasse accipiendum: *ἡ δ' ἐκόησεν, τοὔνεκεν Αἰγέος ἔσκεν.* Quod reliquum, rata conditione bonus pater acquievit; aliis in omne tempus liberum erat, pro Aegei filio vellent an magis Neptuni habere Theseum. Quid enim,

si facile ac promptum Neptuni filio fuerit, id perpetrare, quod filio imperatum esset Aegei?

Bentleii emendatio est, quam in Ammonio exhibuit Valckenarius: ἥ δ' ἐκόησε, τοὔνεκεν Αἰγεὺς ἔσχε, cum explicatione hac: *Sensit, quod Aegeus haberet. Aegeus, pater Theseos. Thesea vero hospitio accepit Hecale.* ut ἥ sit Hecale, si recte assequor mentem Bentleii. Non video, qua sententia. Quamquam de Hecale accipi posse non negaverim, si tamen legatur, ut dixi, τοὔνεκεν Αἰγέος ἔσκεν: agnovit Hecale filium Aegei. Mihi mea ratio probatur, ut intelligatur Aethra. ἐκόησεν Helladius Suidasque apud Bentleium laudant, et Zonaras p. 670. Ἐκόησεν. ἐνόησεν. Ἰακῶς, παρὰ Καλλιμάχῳ. haud dubie omnes ex Loc loco. Et Hesychius: Ἐκόησεν. ἀνέλαβεν. ubi ἀνέλαβεν nihil magnopere differre ab ἐνόησε existimo: *sensit, recordata est.* laudatur de hac verbi ἀναλαβεῖν significatione Coraës in Plutarch. Agesil. c. 20. Schaeferi schedae in H. Stephani Thes. c. 5560. D. Ipse Callimachus Epigr. XLIII. (XLIV.) 5. ἐλθὼν δ' οὐκ ἐκόησα, τίς ἢ τίνος, ex emend. Piersoni pro vulg. ἐβόησα. Ad recentiorem Ἰάδα etiam his accedit Callimachus: κοτε Fragm. XCIII. CCXCVII. et incertum an h. Dian. 238. ὅκως Epigr. LI. (LII.) 2. ὅκου Fragm. LXXXV. κου-κοῖα-κῶς Fragm. LXX. ὁκκόσον h. Cer. 31. et ex mea emendatione Fragm. CCCCLI. νωσάμενος Fragm. CCCXLV. quod si Dawesius abiudicare Callimacho, et referre ad Theocritum, apud quem exstat XXV. 263. νωσάμενος, satis habuisset, minus reprehendendus fuisset: nam hoc certe potuit fieri, ut falso Suidas pro uno poeta diceret alterum. Caeterum Callimacho hae formae iam non amplius ionicae, sed poeticae erant. Quamquam aliquid illum discriminis observasse probabile est. Veluti κοτε in Iambis placuit; in hymno an placuerit, incertum est. Ionica etiam, h. e. non solum Homero usitata, sed recentioribus frequentata scriptoribus Ionicis, habentur nomina verbalia in τύς, praeeunte Eustathio in Iliad. XIX. 205. p. 1180. Qui delectari hac formatione Callimachum scribunt, Ruhnkenius Epist. crit. II. p. 132. Blomfieldius ad h. Apoll. 94. etsi id vere scribunt, si quidem magnus videbitur, in tam parvo volumine Callimachi, exemplorum Ruhnkenii numerus: tamen uterque modum excedunt. ille, dum formae cupiditate, utque delere versum,

qui sequitur, posset, in h. Apoll. 43. *οἰστευτόν* infert, et in Epigr. XLVIII. (XLIX.) 7. suam Piersonique (Epistt. Tittm. p. 34.) coniecturam, *κἀκεστύς*, tum alia de caussa, tum propter *καί* sede non sua positum, suspectam; Blomfieldius, dum observatione sane quam memorabili, Eratosthenem quoque gaudere *ταῖς τοιαύταις ἐκφοραῖς*, eo abutitur, ut non tam Ionicam quam Cyrenaicam formam fuisse dicat, quippe communem Eratostheni cum Callimacho, et dum Addend. p. 399. *ἀβοληρτύς* vocabulum eripiendum *Antimacho*, ut detur *Callimacho*, coniicit. Quasi vero talia soli ac primum poetae scholae Alexandrinae quaesiverint. Potuit Antimachus, sive Homeri imitatione, apud quem exempla eiusmodi satis multa exstare fatendum est, *βοητύς, βρωτύς, γραπτύς, ἐδητύς, ἐλεητύς, κιθαριστύς, κλιτύς, μνηστύς, δαριστύς, ὀρχηστύς, ὀτρυντύς, ῥυστακτύς*, sive suo quodam, ut postea Alexandrini, formae, quae exquisita videbatur, amore ductus, aut facere aut aliunde assumere *ἀβοληρτύς* vocabulum. ut idem *πωρητύν*, Fragm. LVIII. Schellenb. Quid? quod *ὀτρυντύς* dicitur *λέξις* esse *Ἀντιμάχειος*: hoc est, ut interpretor, vox aut ipsa usurpata ab Antimacho, aut aliarum eodem modo conformatarum, quibus ille in suis carminibus utebatur, usu confirmata atque comprobata. Respicio doctum scholion in Iliad. XIX. 234. *ἔστι δὲ ἡ λέξις Ἀττική· χαίρει δὲ καὶ Ἐρατοσθένης ταῖς τοιαύταις ἐκφοραῖς, ὡς τὸ πολλὴ ἀντιμαχηστύς.* ubi in Victorianis, itemque in Townleianis scholiis apud Heynium. T. VII. p. 658. et Suppl. p. 806. ita: *ἔστι δὲ ἡ λέξις Ἀντιμάχειος.* haud dubie recte. non est enim probabile, quod alicui in mentem veniat, male natum esse nomen *Antimachi* ex verbo quod sequitur, *ἀντιμαχηστύς*. — Sed unde est, quod Blomfieldius laudat: *Ἀβολῆτις. ἔντευξις, ἀπάντησις, Ἀντίμαχος*? In nostro Etymologico ibi non est nomen *Antimachi.*

In *τοὔνεκεν* quum duo notanda sint, et vero notentur ab Ammonio, terminatio non illa antiquis usitata epicis in *κεν*, et usum loquendi quod attinet, *τοῦν* — ea significatione dictum, qua usitate *οὕνεκα* dicitur: cur hoc voluerit Callimachus, non statim liquet. Dixeris, quae Hermanni ad Homeri h. in Cer. 66. observatio est in re simili, placuisse per *τ* in initio versus, fortasse propter sonum pleniorem. At *οὕνεκα, οὕνεκεν*, idem in

initio versus, h. Dian. 45. h. Del. 53. Fragm. XXI. Quare τοὔνεκεν hoc tantum consilio scripsisse censeo Callimachum, ut aliquid auderet. Quo declaratur, cur hoc tantum loco ausus sit. Scilicet Callimachus, alii nonnulli, quum perpetua hac cupiditate flagrarent, rara et exquisita, vel periculosa, dicendi omnia, tamen ea in re non constiterunt sibi, ita ut quod semel audacter dixissent, id in usum reciperent constantem, sed nunc usitate dicendo, nunc rarum hoc vel illud inspergendo, tamquam lumina orationis, delectare voluerunt. Sic semel experiri voluit, an hoc impune posset, τοὔνεκεν. At poenas dedit ausi huius, ut similium aliorum, tum suae aetatis grammaticis nonnullis haud dubie, tum posterioribus. Affine est, quod Callimachus aliquoties τόσσα dixit, ubi significatur ὅσα; τόθι, τόθεν, ubi ὅθι, ὅθεν: de quo usu poetarum recentiorum Hermannus ad Hom. h. Cer. l. l. itemque ad h. Ven. 158. τόσσα h. Apoll. 81. 94. h. Del. 246. τόθι h. Iov. 32. quod recte pro ὅθι, *ubi*, accipit Iacobsius in Anthol. Palat. p. 565. τόθεν h. Dian. 114. τόφρα h. Del. 39. E quibus locis hi sunt maxime memorabiles: h. Apoll. 94. h. Del. 39. ubi sibi respondent τόσα, *tot*, — τόσσα, *quot*; et τόφρα — τόφρα, *quoad* — *tam diu*. ut alibi, inversa licentia, ὅσον — ὅσσον apud Theocritum, ὁκκόσον — ὅσσον in fragm. Callimachi: ad quae nunc addo ὅσον ὅσσον Leonidae Tarent. LXX. 3. Anthol. Pal. I. p. 450. Non semper autem hac in re metrica ratio duxit Callimachum et odium χασμωδίας. certe τόσσα h. Del. 246. in initio versus est, item τόφρα ibid. 39. Denique, ut nihil intactum relinquam, quod huc pertinere videatur, τάων, *quarum*, est in h. Dian. 224. at eadem potestate τέων in h. Del. 185. Cf. Nicander Alexiph. 2. τέων, *quorum*, mascul. et 539. (618.) ubi restituendum est τέης, h. e. ᾗς, comparandum illud cum Homerico ἑῇς Iliad. XVI. 208.

Quae ad hunc usque locum tractavi spectantia ad Theseum fragmenta Hecales, non omnia hoc quo a me tractata sunt ordine posita fuisse spondeo. Neque de ratione narrandi ita constat, ut nihil dubites. Licebat sic: profectus est contra taurum Theseus, Theseus ab antiqua Erechthei stirpe oriundus; qui antea apud Pittheum nutriebatur; Aegei filius an Neptuni, incertum; tum illud de gladio calceisque. Licebat, si non omnia, saltem

partem horum intexere descriptioni primum prodeuntis Thesei. Descriptionem in Hecale fuisse huiusmodi, qua totus, quasi in tabula, Theseus, id est, iuvenilis forma, vestitus, arma, prodeuntis contra taurum Marathonium Thesei, exponeretur legentibus, vel unum persuadet Fragmentum LIX *. Thesei descriptioni apte respondebat deinceps non minus diligenter expressa imago Hecales. Fragm. LIX *. quod Bentleius, solius memor Suidae, sic imperfectum exhibet in edit. Graevii: *Στάδιος χιτών*, quum iam prolatum plenius a Spanhemio in Fragm. Callim. p. 286. ed. Graev. d. 396. ed. Ern. esset; ita se habet:

στάδιον δ' ἐπίεστο χιτῶνα.

ἐπίεστο emendatio Rutgersii. In Scholiis Apollon. Rhod. III. 1226. atque inde apud Favorinum, *στάδιον δ' ὑφίεστο χ.* vulgabatur; ex Parisinis nunc *στάδιον ἐμφίησατο χ.* prolatum est, ab Ruhnkenio in Epistt. Tittm. p. 116. *στ. ἠμφίεστο χ.* profertur. *στάδιον ἐπὶ ἕστο χιτῶνα* citat Salmasius in Tertull. de Pall. p. 50. *σταδίου χιτῶνος* explicationem meliorem, certe in Callimacho, ea, quam scholia Apollonii praecunt, *εὐπαγῆ*, Suidas offert: *στάδιος χιτών, ὁ ποδήρης, ὁ τέλειος.* Cf. interpretes Phrynichi, Nunnesius, qui quod dicit, *στάδιον χιτῶνα* Callimacho dici *ap. Eustathium*, ego non reperio cum Eustathii locum; caeteri, p. 238. seq. ed. Lob. Salmasius l. l. At multo locupletiorem nostram in rem auctorem annotatum habeo, Pausaniam. Tali Theseum Callimachus in Hecale introduxerat habitu, quali Pausanias primum ingressum esse Athenas testatur I. 19, 1. *λέγουσι δὲ ὡς ἐξειργασμένου τοῦ ναοῦ* (Apollinis Delphinii) *πλὴν τῆς ὀροφῆς ἀγνὼς ἔτι τοῖς πᾶσιν ἀφίκοιτο Θησεὺς ἐς τὴν πόλιν. οἷα δὲ χιτῶνα ἔχοντος αὐτοῦ ποδήρη καὶ πεπλεγμένης ἐς εὐπρεπές οἱ τῆς κόμης, ὡς ἐγίνετο κατὰ τὸν τοῦ Δελφινίου ναόν, οἱ τὴν στέγην οἰκοδομοῦντες ἤροντο σὺν χλευασίᾳ ὅ τι δὴ παρθένος ἐν ὥρᾳ γάμου πλανᾶται μόνη.* et qui sequitur lepidus cavillationis eventus. Hic est Callimachi *στάδιος χιτών.* Versus eodem exitu est in Odysseae ultimo, v. 227. *ῥυπόωντα δὲ ἕστο χιτῶνα.* Sed quum semper male me habeat illud nimis a vulgata scriptura *ὑφίεστο, ἐμφίησατο* vel *ἠμφίεστο*, remotum *ἐπίεστο*, non tacebo quod mihi in mentem venit, *ὑφέεστο*, er hatte *untergezogen*, audacter sane, quum non exstet alibi *ὑφέννυμι* verbum: sed

audacem me semel fecit poeta audax. ἕεστο quidem Homericum est, Iliad. XII. 464. cf. Hom. h. Ven. 86. Apollon. Rhod. III. 1225. Atque assequebar ea coniectura, ut commode annecteretur Fragm. Callim. CXLIX.

ἄλλικα χρυσείῃσιν ἐεργομένην ἐνετῇσιν.

hoc ordine: indutus erat chlamyde, et sub ea σταδίῳ χιτῶνι. Quae coniectura ne tum quidem cadet, quum prorsus reiectum fuerit ὑφέεστο. Et tum utrum hoc prius fuisse, στάδιον δ' ἐπίεστο χιτῶνα, an alterum, ἄλλικα etc. malis, liberum. Licebat enim in tali descriptione, quae iam indutum sistebat heroem, non, ut Homerus solet, induentem singula suo ordine, a chlamyde transire ad tunicam; licebat contrario modo a tunica ad chlamydem. Verum de χιτῶνι σταδίῳ certa res est, ἄλλικα quam vero inferamus in Hecalen, incertum. Non vereor autem, ne quis nimium hoc vestitus dicat, chlamydem tunicae additam. Peregre proficiscebatur Theseus. Et haud dubie placuit sibi in exornando Theseo Callimachus. Suidae testimonia in v. Ἄλλικα et Ἐνετῇσι primus attulit Ruhnkenius Epist. crit. II. p. 177. Addo, cuius Ἀλλῆκα nihil videtur aliud quam Callimacheum ἄλλικα esse, Hesychium; at ipsum Ἀλλίκα repraesentat, ut commodum video, ex Hesychio MS. Schowius. Integer versus Callimachi in Lex. MS. Regio erat, quod ibi laudat Albertius. Cf. Spanhem. Obss. in Callimachi h. Apoll. 32. et ἄλλιξ Euphorionis Fr. CXII. p. 165. Meinek. Homerus Il. XIV. 180. χρυσείης δ' ἐνετῇσι κατὰ στῆθος περονᾶτο. Instructum πανοπλίᾳ, galea, scuto etc. contra taurum Marathonium profectum esse Theseum nemo credet, qui ad domandum taurum, nam domandus erat, non occidendus, corporis agilitate magis, ac robore manuum, quam armis, opus esse reputaverit. Vel sic tamen apparatum qualemcumque Thesei, chlamydem maxime gladiumque, πασσαγίην dicere Thesei Callimachus potuit, ac fortasse dixit, etsi lubrica coniectura est, in Hecale, alio quodam loco, quem postea videbimus. Omnino commune Theseo cum Hercule fuisse, ut plerumque armis usum esse non iis, quibus vulgo heroes, traderetur, iam monitum est ab aliis. Nota est clava Thesei, a qua, ut unum commemorem de minus notis scriptoribus, κορυνηφόρος υἱὸς Ἀθήνης audit Nonno XLVII. 436. Apud Callimachum non clavam gerebat, sed

ensem in latere eum, quem vidimus. Atque ensis fortasse in descriptione, quam dixi, Thesei commemorabatur. Sic: habebat *χιτῶνα στάδιον*, et *ἄλλικα*, et *πέδιλα*: qua opportunitate insero Fragmentum CCCXIII.

πέδιλα, τὰ μὴ πύσε νήχυτος εὐρώς.

denique ensem singulari arte factum, celebratissimum, quem olim deposuit, futurum sobolis indicem, Aegeus; *ἐν γάρ μιν Τροιζῆνι κολουραίῃ ὑπὸ πέτρῃ θῆκε σὺν ἀρπίδεσσιν*; porro versibus aliquot interiectis, *ἡ δ' ἐκόησεν τοὔνεκεν Αἰγέος ἔσκεν*. Utut sit de ordine, perbene de calceis illis accipere Fragmentum CCCXIII. mihi videor. Quibus nihil nocuisse tot per annos defossis situm, memorabilis profecto res erat. Proprium nostro *πύσε*, *υ* brevi; ab Homero, aliis, producitur tam *πύθω* quam *πύσει*, *κατέπυσε*, *πῦσε*. *νήχυτος*, *νήχυτον*, praeter Callimachum, et cum Callimacho, Apollonius III. 530. IV. 1367. Nicander Alexiph. 600 (587.) Dionysius P. 126. ut taceam Musaeum, Tryphiodorum, Apollinarem, et *ἐπινήχυτα δῶρα* Orphei eius, qui Argonautica scripsit. Callimacho est *humidus*. Emendationem in Suida v. *Νήχυτος* Ruhnkenii Epist. crit. II. p. 177. *νήχυτος εὐρώς* ex *νήχυτος ἔρως*, etiam Albertius fecit ad Hesych. v. *Νήχυτον*. Nexus fortasse talis:

— [*καὶ τὰ*] *πέδιλα, τὰ μὴ πύσε νήχυτος εὐρώς.*

praecedebat verbum significans *induerat*, et hoc quidem aut sic, ut et alium quendam accusativum et hunc, *τὰ πέδιλα*, id verbum regeret, ut si fingas, quod tamen non propono serio: — *ἄλλικα χρυσείῃσιν ἐεργομένην ἐνετῇσιν ἕσσατο, καὶ τὰ πέδιλα*, etc. aut ut solum hunc, *τὰ πέδιλα*: *induerat etiam calceos*. Lusit ante animum haec scribenti Callimachi locus ex hymno in Apoll. 34. *χρύσεα καὶ τὰ πέδιλα.*

Cum descriptione vestitus coniuncta erat, ac praecedebat eam, ut puto, formae descriptio et puellaris quasi pulchritudinis. Quae tum aetas fuerit Thesei, Pausanias, quem p. 77. laudavi, I. 27, 8. definite docet; alii, quod satis est, admodum iuvenem fuisse. Crinagoras: *τοῦ* (Thesei) — *νεαρὸν χειρῶν σθένος*. Plutarchus: *διὰ τὸ κἀκείνην* (Hecalen) *νέον ὄντα κομιδῇ τὸν Θησέα ξενίζουσαν ἀσπάσασθαι πρεσβυτικῶς* etc. Quin etiam posteriori tempore ita fuit iuvenis Theseus, ut annumerari *παισί*,

sive, ut eosdem vocare solet Plutarchus, *ἠϊθέοις*, in Cretam mittendis, posset. Tempus posterius quum dico, non dico multo posterius, sed tantum seriem rerum factorumque Thesei respicio eam, quam a plerisque observari supra docui. Potuit unus expeditionem Cretensem maiori temporis spatio separare a prioribus Thesei factis; potuit alius eandem cum prioribus spatio comprehendere brevissimo. id quod facere videtur Seneca in Hippolyto v. 646. ubi Phaedra: *Thesei vultus amo Illos priores, quos tulit quondam puer*; et quae seq. Callimachus quid hac de re senserit, dixi, vel magis coniectavi, p. 63. Atque sic fortasse alii. Pulchritudinem Thesei testabuntur, qui primum in manus veniunt, Plutarchus Thes. c. 30. Hyginus F. CCLXX. Verum hi magis in universum, de forma Thesei, quae tum fuit, iuvenili diserte Eustathius in Dionys. Perieg. 1017. Servius in Virg. Aen. VI. 14. cum interprete Statii Achill. lib. I. extr. quos laudat Meursius in Theseo cap. 3, quibus nunc add. Mythographi A. Maii p. 16. et 116. ed. Bod. Et Pausanias loco paullo ante laud. I. 19, 1. a quo illud sumpsi de pulchritudine ferme puellari. Cuiusmodi venustatem testatur singularis Lyncei Samii apud Athenaeum VII. p. 295. B. fabella, Theseus pro pisce obsequens Tlepolemo. Cf. si placet, Winckelmann. Monumenti ant. ined. V. I. p. 132. Iam nemo erit, quin huc conferat Fragmentum Callim. XLIV *.

ἄρμοῖ πον χαίτῃ ἐπέτρεχε λεπτὸς ἴουλος.

Valckenarii in Theocr. Adoniaz. v. 130. p. 409. A. haec sunt verba: *De Theseo iuvene, Cui prima puras barba signabat genas, Callimachi fuit in Hecale versus: Ἄρμοῖ πον κ. ἑ. λ. ἴ.* Hic est locus Hecales, quem Apollonius aut voluntaria imitatione, aut quod obscure ante lectum recordaretur, imitatus est, alter; vel tertius. cf. ad Fragm. XLVI *. monita p. 60. ad Fragm. CCXII. p. 63. Apollonius quum primum Argonautica edidit, hoc scripserat I. 972. *ἄρμοῖ πον χαίτῃ ὑποσταχύεσκον ἴουλοι.* aperta imitatione Callimachi. Post, in altera editione: *ἶσόν πον χαίτῃ ἐπισταχύεσκον ἴουλοι.* in quo iam nulla est imitatio, vel certe demonstrari non potest. Sic rem factam esse narrat E. Gerhardus Lectt. Apollonian. p. 7. 8. Diversam in diversis exemplis, uno priore, altero posteriore, scripturam Apollonii primus monstraverat ex scholiis Ruhnkenius Epist. crit. II. p. 198.

Verum is propter aliquod eorundem scholiorum indicium hanc coniiciebat esse posteriorem Apollonii scripturam: *νεῖόν που κἀκείνῳ ἐπιστ. ἴ.* In libris Apollonii *ἶσον* est: quod bene tuetur Gerhardus. Statuit autem cum Ruhnkenio Gerhardus, prius scriptum *ἁρμοῖ* mutavisse Apollonium, *ne quid Callimachus sibi surreptum queri posset;* neque ego excogito, quo alio consilio mutaverit. Nam mutasse Apollonium certum videtur, si quidem duo fuisse diversa Argonauticorum exemplaria certum est, et commemoratam in scholiis ad h. l. scripturam ex priori de duobus exemplaribus esse, coniectura tam probabilis est, ut pro certa sit. Obloquitur Weichertus de vita et carm. Apollonii Rh. p. 55. 57. Tantum de imitatione Apollonii. Minus expeditum est aliud, de quo scire velim quid Valckenarius senserit. Si ille non solum esse de Theseo iuvene versum, sed etiam de sede versus nexuque loci aliquid secum exploratum habuit. Quid sibi vult illud in Callimacho, *κἀκείνῳ?* Monui in Dissertatione de Tzetzae loco et fragmentis Callimachi p. 398. 401. sq. *καί* copulam non poni secundo loco, ut nec *δέ* tertio; eamque admonitionem iterum commendavi supra p. 31. Ergo *κἀκείνῳ* necessario est *illi quoque*, et respicitur ad alium quendam, cui commune cum Theseo fuerit primum efflorescens lanugo. Prorsus ut Apollonius, quum *ἰσὸν που* (vel, ut primum scripserat, *ἁρμοῖ που*) *κἀκείνῳ* etc. scribit, significat, diserte praecipientibus interpretibus graecis, comparari Cyzicum iuvenem cum Iasone, vel cum Argonautis in universum, qui et ipsi iuvenes. Ut apud Homerum, quum *καὶ κεῖνος* dicit, Iliad. VI. 200. XV. 179. *καί* non esse de nihilo senserunt grammatici. Sed quemnam alium spectari putabimus apud Callimachum? Id tam difficile mihi erat, ut iam removendum hinc, ponendumque alibi, infra, fragmentum Callimachi, aut quaerendum esse putarem, an forte comitem aliquem huius itineris secum habuerit Theseus. Nunc repperi, quo et difficultas tollatur, et elegantia in Callimachum inferatur, quam quivis exspectet. Cum Deo comparabatur Theseus. Mirum si, quod omnes poetae faciunt, maxime epici, in gravi argumento, ubi de heroe aliquo dicunt accuratius, ut comparatione illustrent heroem: id Callimachus facere neglexerit, ubi in exornando Theseo versabatur dedita opera. Et quum

comparatione diversis modis utantur poetae, e. g. Apollonius I. 721. seqq. in descriptione Iasonis ita, ut prius induentem *δίπλακα πορφυρέην*, de qua ibi supra modum longa narratio est, deinde *ἔγχος* arripientem describat, denique prodeuntem v. 774. cum stella comparet, eleganti comparatione: Callimachus fortasse, contrario modo, inceperat a comparatione. Non dubito autem quin *Apollinem* suam in comparationem adhibuerit, formosissimum iuvenem inter deos, ut tum fuit inter mortales Theseus. Ut, si comparationis forma utaris ea, quae, Homero praeeunte, e. c. Odyss. VI. 102. in describenda Nausicaa, Apollonio I. 307. placuit: *οἷος δ' ἐκ νηοῖο θυώδεος εἶσιν Ἀπόλλων* etc. deinde si ad imaginem Apollinis ea conferas, quae ipse hymno in Apoll. v. 36. sq. Callimachus: *καὶ μὲν ἀεὶ καλὸς καὶ ἀεὶ νέος· οὔποτε Φοίβου θηλείαις οὐδ' ὅσσον ἐπὶ χνόος ἦλθε παρειαῖς. αἱ δὲ κόμαι* etc. et quae Apollonius in descriptione apparentis Argonautis Apollinis II. 674. seqq. coll. 705. seqq. praebet, talis quaedam existat adumbratio: prodiit Theseus: qualis Apollo incedit, semper iuvenis, *φαιδρὸς ἐν ὄμμασιν* (quod proprium huic adolescentiae facit Apollonius II. 44.), intonsis capillis, mento imberbi adolescentem modo puerum vel oris formam virginei referens: talis erat Theseus; *ἁρμοῖ που κἀκείνῳ ἐπέτρεχε λεπτὸς ἴουλος*. De capillis Thesei Callimachus fortasse aliquid inseruit iis, quae tradentem Pausaniam I. 19, 1. audivimus, simile.

Dabo formam comparationis, quae hunc transitum: *ἁρμοῖ που κἀκείνῳ*, admittat commode atque eleganter, aliam, ex eo poeta, qui aliquid moris Callimachei sive ex ipso Callimacho haustum, sive alio intercedente imitatore Callimachi acceptum, prae se fert. Coluthus v. 248. (244.) seqq. de accedente ad Menelai aedes Paride: — *ἵστατο, θεσπεσίῃσιν ἀγαλλόμενος χαρίτεσσιν. οὐ Διὶ τοῖον ἔτικτεν ἐπήρατον υἷα Θυώνη· ἱλήκοις, Διόνυσε, καὶ εἰ Διός ἐσσι γενέθλης· καλὸς ἔην κἀκεῖνος ἐπ' ἀγλαΐῃσι προσώπου.* ubi *καὶ κεῖνος* in uno alteroque libro, etiam Neapolitano; Graefius meus ex alio *καὶ ἐκεῖνος* praeferebat: vulgo *κἀκεῖνος*, fortasse recte. *ἱλήκοις, Διόνυσε*, deprecandi formulam, Coluthus ab Nonno habet, cuius exempla tot, quot sufficiebant, Wernickius apud Bekkerum dedit; ego, quum obiter collecta habeam, omnia indicabo. Igitur *ἱλήκοι Κρονίδης*,

οὐρανὸς ἰλήκοι, ἰλήκοι ἀεὶ βίβλος etc. vel cum illa adamata Nonno apostrophe, ἰλήκοις, Ἴλαε: IV. 50. VIII. 73. X. 314. XVI. 325. XXV. 211. 254. XXIX. 115. 135. XXX. 287. XLVI. 297. XLVIII. 361. Tam cupide frequentatae dictionis insignem aliquem auctorem Nonno fuisse dixeris. Eum Apollonium fuisse, cuius Coluthus vestigia legere videbatur Lennepio, nihil suadet. Quidni Callimachus fuerit? Sed tamen certior res de Arato est, apud quem sic Ἄρτεμις ἰλήκοι, Phaen. 637. Addam eodem modo usurpatum Nonno ἵλαθι δάφνη, ἵλαθι Λητώ et similia: II. 157. 161. III. 104. XLVII. 329. IV. 245. XII. 210. XVI. 45. 221. ἵλατε Μοῖραι XXX. 213. ἵλατε Θῆβαι XLIV. 173. Et his quidem satis similiter dictum est, ut hoc observatum esse Nonno coniicias, quod habet Apollonius IV. 984. ἵλατε Μοῦσαι. Eandem dictum in sententiam IV. 187. Ἄρτεμι, μὴ νεμέσα, Nonnus ex carmine Theocriteo XXVII. 62. assumpsit.

De prima lanugine, ἰούλῳ, vel ἰούλοις, post Valckenarium in Theocr. Adoniaz. v. 130. multos scriptorum locos congessit Blomfieldius Gloss. Aesch. Theb. 530. Add. Dorvillius in Charit. I. 2. p. 216. Lips. Nos in iis consistemus, quae ad Callimachum accedunt propius. Ac primum λεπτὸς ἴουλος scripsi Bentleium sequutus, alios, Etymologi auctoritate, et, quem Gerhardus adhibuit, Favorini in Hortis Adon. p. 23. A. (Favorini Eclog. p. 123. ed. Dind.) Verum nec Suidas contemnendus est, cui hoc debemus, quod ἐν Ἑκάλῃ fuisse versum certo constat, apud eum: ἐπέτρεχεν ἁβρὸς ἴουλος. Quod recepit Boissonadius. Scilicet aeque bonum hoc et illud. ἁβρὸς est apud Orpheum Argon. 226. (230.) τῷ δ' οὔπω ὑπὲρ δροσεροῖο γενείου ἀργεννὰς ἐρύθηνε παρηΐδας ἁβρὸς ἴουλος. quod exprimi, manifesta imitatione, ab Nonno X. 179. οὐδέ οἱ ἁβρὸς ἴουλος ἐρευθομένοιο γενείου ἄχνοα χιονέης ἐχαράσσετο κύκλα παρειῆς, Ruhnkenius dicit Epist. cr. II. p. 230. 238. Contra λεπτὸς idem est Asclepiadi Epigr. I. (Anthol. Palat. II. p. 460.) Νῦν αἰτεῖς, ὅτε λεπτὸς ὑπὸ κροτάφοισιν ἴουλος ἕρπει, ubi Iacobsius memor Callimachi fuit. Quid tam commune inter Aeschyli locum et Callimachi, ut ex Aeschylo adumbratus videri versus Callimachi debeat, non percipio. An quod στείχει δ' ἴουλος apud Aeschylum, et ἐπέτρεχε apud Callimachum? At sic ἕρπει apud Asclepiaden, et similiter παρὰ τὰ

ὦτα ἄρτι ἴουλος καθέρπει apud Xenophontem Sympos. c. 4, 23. deinde alii modeste ac venuste dictum στείχει, ἕρπει, ἐπέτρεχε, auxerunt in nimium: Strato Epigr. IX. 1. (Anth. Pal. II. p. 452.) Εἰ καί σοι τριχόφοιτος ἐπεσκίρτησεν ἴουλος etc. cf. Rufin. XXXI. 3. (Anth. Pal. I. p. 111.) Video nunc etiam aliud cum Aeschylo commune esse Callimacho. Aeschylus: στείχει δ' ἴουλος ἄρτι, ut apud Callimachum ἀρμοῖ. In eadem re ἄρτι Callim. Lav. P. 75. Theocrit. XI. 9. Stat. Flaccus Epigr. I. et Anth. Pal. T. II. Append. p. 799. num. 125. p. 842. num. 268. νέον Apoll. Rhod. II. 779. Vel νέον ἴουλον, Anth. Pal. T. III. p. 967. n. 396. νέον δέ οἱ ἄνθος ἰούλων — Nonnus VI. 180. Praeterea non negligendus Zonaras est, p. 310. Ἁρμοῖ πον. ἀρτίως. νεωστί. οὕτω Καλλίμαχος. Cf. quae Bastius ad Greg. C. p. 368. prorsus cum Zonara Tittmanni congruentia ex Lexico MS. Bibl. Reg. num. 2667. profert, recte ille ex fragmentis Callimachi expungens, quod vulgo est Fragm. CCCCLIII. In codice Zonarae Dresdensi ἁρμοίπου legitur: Tittmann. Prolegom. p. XVII. ἀρμοῖ iterum Callimachus Fragm. CCXXX. incertum, utrum ex dialecto, an ex Aeschylo: nam undecumque locupletat sermonem suum Callimachus. Cf. Casaub. Lectt. Theocr. C. VI. p. 81. ed. Reisk. Hesych. v. Ἁρμοῖ ibique Intpp. Valckenar. Epist. ad M. Roeverum, Opusc. I. p. 365. Blomfield. Gl. Aesch. Prom. 636. Cramer. Anecd. Gr. I. p. 163, 15. De κἀκείνῳ quae moveatur quaestio, cur sic cum crasi poeta maluerit, quam quod a poeta Ἴαδος amatore non immodico, sed tamen amatore, aliquis exspectet, tota ex artificio Callimachi metrico diiudicanda est. Utrumque reperitur apud Callimachum, nunc κεῖνος, nunc ἐκεῖνος, prouti commoditas postulat metri. Quae ita comparata exempla sunt, ut per metrum utrumque admitti potuisse videatur, in iis tamen fere omnibus, cur hoc scriptum sit, non illud, docet subtilioris legis metricae observatio. Sic certum est ἔξέτι κείνου in h. Apoll. 47. h. Del. 275. atque hinc apud Apollonium II. 782. IV. 250. 430. et Nonnum XII. 361. Quod enim ἔτ' et οὐκ ἔτ' eliditur, tum aliis tum Callimacho, inde non sequitur eiusdem elisionem litterae in ἐξέτι, εἰσέτι, placuisse Callimacho. In h. Del. 91. ἀλλ' ἔτι κεῖνο maluit quam ἀλλ' ἔτ' ἐκεῖνο, fortasse ne duae accumularentur elisiones. Unam elisionem non defugit ibid. 295.

οὔποτ' ἐκεῖνοι. Rursus in Epigr. XLI. (XLII.) 5. κἠπέμψασ' ἐκείνων suaviorem caesuram facit in numero trochaico, quam faceret κἠπέμψατο κείνων. Contra in Epigr. XLIX. (L.) 6 quod est in Anthol. Palat. II. p. 542. sentitur minus suave futurum esse θῆκαντ' · ἐκείνους δ'. In Epigr. I. (Anthol. Pal. I. p. 332.) 8. sive legas, quod vulgo legi dicit Iacobsius, ἠνίδ', ἐκεῖνοι, sive nunc receptum ab omnibus ἠνίδε, κεῖνοί σοι, commendabile eo, quod in eodem epigrammate bis v. 11. 15. κείνων, κεῖνος, non ἐκείνων, ἐκεῖνος, legitur: neutro modo usitatam Callimacho elegantiam habebis. Sane inter tot versus elegiacos Callimachi unicum est, nisi alterum me praeterierit, ita dissolutis pedibus ingredientis pentametri satis certum exemplum, Fragm. XXXII. ex emendatione Bentleii: Δειπνιὰς ἔνθεν μιν — Nam quod olim ferebatur, Epigr. V. 6. ποσσίν, ἵν' ὥσπερ καὶ — nunc emendatum est partim ex coniectura, partim ex codice: ποσσί νιν, ὥστ' ἔργῳ — In Epigr. XLVIII. (XLIX.) 8. ταῦτ' ἐπικείρει σευ — emendatio est Iacobsii. At in Epigr. IV. 2. ubi vulgo: τὸ σκότος· ὑμέων γὰρ — gravius ad sententiam et mihi et Iacobsio, ut puto, τὸ σκότος· ὑμείων, sine γάρ, videtur. Sed ista tamen per metrum ferri poterant, vel possent ferri, omnia, quia insuavem caesuram occultat satis arcta vocis monosyllabae cum praecedente vocabulo coniunctio. Prorsus intolerabilis, quod pace viri praestantissimi dicere liceat, in Callimacho versus eiusmodi: τὸν φίλον, ἄλλαν, γ' ἓν — Epigr. LXII. (LXIII.) 4. Alia res est, ubi velox dactylus in secundo pede: quamquam in his quoque curat, ut quasi attrahat ad se voculam monosyllabam vox praecedens: Lav. Pall. 58. Epigr. XXXIII. (XXXIV.) 4. XLVII. (XLVIII.) 4. Restant observationis minutae quidem, sed non inutilis in poeta diligentissimo versuum artifice, exempla duo. In Fragm. CCXIX. τεθναίην, ὅτ' ἐκεῖνον ἀποπνεύσαντα πυθοίμην, etsi τεθναίην, ὅτε κεῖνον caesuram faceret minime reprehendendam, quippe inobservabilem auribus, et eadem conditione tum alibi tum h. Dian. 4. 227. Fragm. CCLXIV. admissam ab hoc poeta, tamen hic, quum posset, etiam speciem vitare caesurae, quam recte pro prava habuit, post secundum pedem, voluit. Ut nesciam, cur ὅτε κεῖνον praetulerit Boissonadius in Callimacho p. 112. 205. Eadem huius loci ratio est: ἁρμοῖ πού κἀκείνῳ.

Deinde non dubito quin ipsa per se crasis aliquid habuerit, quo delectaretur Callimachus. Etsi quod aliquando in mentem mihi venire memini, inprimis Hecalen carmen decuisse crasin, ut hac quoque re aliquid bucolicae familiaritatis admisceretur ei carmini, quem in finem utebar Hermanni Orph. p. 692. de carmine Theocrit. XXV. admonitione, id nunc puto nihil esse, quum non plura sint in fragmentis Hecales, quam in aliis Callimachi poematis, crasis exempla. Fuit in carminibus, quae communi dialecto poetica scripsit Callimachus, omnibus aequalis quidam usus crasis, quo illa recedebat ab antiquis poetis epicis. Exempla non multa sunt, sed idoneo numero. *ὦνα* h. Iov. 33. *τὠπόλλωνος*, *ὡπόλλων* etc. h. Apoll. 1. 9. 28. 32. 69. 107. quam crasin quominus in Callimachum alibi, h. Dian. 139. h. Del. 86. 269. 326. inferas, tertium maxime de his exemplum vetat, h. Del. 269. quod respuit articulum. *προὔχουσα* h. Del. 218. sed hoc Homericum, ut magis mirum sit, quod in Fragmento postea tractando CXXV. *προέχουσα* maluerit quam *προὔχουσα*. Ex Hymnis dorice scriptis, quorum non satis certus hanc in quaestionem usus est, quoniam nescias, an quae sunt in his crases ad dialectum referendae sint doricam, crasis exempla apponere satis habeo eius, quae fit in *καί* particula: *χὠ*, *χὡς*, et bis *χἄτις*, h. in Cer. 96. 121. 132. Excludo simili de caussa Epigrammata, in quibus satis frequens crasis; in *καί* particula exempla haec, *χὠ*, *κἀμέ*, *χὀ ὑμός*, *κἠπέμνσ'*, *κεὐθύς*, *χἀ*, *κἤτι*, *κἀγώ*. Multa est crasis in Fragmentis Iamborum Callimachi: in *καί* exempla haec, *κοὐχ* Fragm. LXXXII. *κἄπολλον* Fragm. LXXXIII. et *κἀφροδίτα* in lyrico Fragm. CXVI. In reliquis fragmentis crases hae: *κἀγώ* Fragm. CXXVIII. 2. etsi hoc quidem fragmentum non tam elegiae indolem prae se fert, quam epigrammatis; epigrammata autem facilius admittunt crasin. *χἠ* Fr. CCXX. *χἀτερόπορπος* Fr. CCXXV. Denique in h. Dian. 81. *Κύκλωπες*, *ἤ μοί τι Κυδώνιον* — pro *ἤ*, quod officit metro, viri docti *καί* restituerunt: Ruhnkenius e codicis sui margine *κἀμοί*, quem sequuntur Blomfieldius, Boissonadius: recte, ut iam hic Diana in mente habeat Apollinem, quocum paullo post v. 83. ipsa se diserte comparat. cf. Schaeferus ad Greg. Cor. p. 384. Wernickius ad Tryphiod. p. 398. Ipsam hanc crasin, *κἀκεῖνος*, frequentat

Aratus, semel Hermesianax v. 61. et quidem ita ut *κά* sit in arsi, quemadmodum est apud Aratum v. 71.; *κἀν* Dionysius Perieg. 885. et quae suppares nostro scriptores similia, observata Spitznero de versu Gr. her. p. 178. Caeterum quod scripsi, recedere hac re Callimachum ab antiquis poetis epicis, non est ab omni parte certum. Certum, si exemplaria Homeri, quae nunc feruntur, et quid ipse probasse videatur Homerus, consideres. An sciens recesserit Callimachus, incertum. Etenim quum *καὶ κεῖθι, καὶ κείνῳ, καὶ κεῖνος, καὶ κεῖνον*, Iliad. III. 402. XV. 45. 179. XVI. 648. scripturam esse *Aristarcheam*, diserte Schol. A. moneat, unde sequitur in aliis fuisse *κἀκεῖθι, κἀκείνῳ, κἀκεῖνος, κἀκεῖνον*, cuius etiam scripturae vestigia in nostris nunc libris supersunt tum his in locis, tum in aliis nonnullis, quis decernat, utrum hanc an illam scripturam Callimachus in suo Homero invenerit atque agnoverit? Add. Schol. Vict. in Iliad. XV. 179. Schol. Harl. in Odyss. XVIII. 150. Quae olim edebantur, *κἀν* Iliad. V. 273. et *κἀμοί* Iliad. XXI. 110. nunc expulsa sunt. restat *κἀγώ* Iliad. XXI. 108. et rursus ita positum, ut per metrum non liceat aliter, hymn. in Merc. 173. ubi notavit insolentiam Frid. Franke. Praeterea crasin *κἀκεῖνος* fortasse auctoritas commendabat Hesiodi, *Ἔργ.* 293. ubi in nostris certe libris, quod sciam, omnibus *κἀκεῖνος* est. et *κἀν* ibid. 355. *κὰκ* Theog. 447. Recordor aliud crassis in *καί* valde antiquum exemplum, Asii apud Pausan. II. 6, 4. quod tamen non sic, *κἀμφίονα*, more attico, sed plene, *καὶ Ἀμφίονα*, scribendum esse statuebat Hermannus. qua ratione etiam alias expedire molestas crases in promptu est.

Fuit quum Theseus aut Cap. III. aut infra Cap. VIII. *ἀεὶ περιδέξιος ἥρως* audisse videbatur: Callim. Fr. CCCIII. Verum ea opinatio nulla est, quum Suidas v. *Περιδέξιος* diserte *sapientem*, *σοφόν*, significari his Callimachi verbis doceat. Igitur significatione vocabuli *περιδέξιος* non propria, quam Callimachus acceptam fortasse ab Aristophane cum sectatoribus suis, Nonno Evang. Ioann. XIII. 14. Ioanne Gaz. I. 71. communicavit, alicubi, fortasse de philosopho, vel aliarum artium perito, dictum fuerit:

οἷος ἐκεῖνος ἀεὶ περιδέξιος ἥρως.

Ita enim haec accipienda sunt haud dubie, atque accipiuntur in Suida Mediolanensi, Porti, Kusteri, et nunc Gaisfordii, ut omnia verba sint Callimachi. Nescio cur haec tantum, *αἰεὶ περιδέξιος ἥρως*. ad poetam retulerit Bentleius, falsus ille etiam in eo, quod *αἰεί* edidit. *ἀεί* utique opus erat, sive *οἶος ἐκεῖνος* Suidae esse sive Callimachi verba statuas, non solum quod delectatur caesura trochaica Callimachus, sed quod in hac versus sede bonorum more poetarum, atque ipsius Callimachi constanti usu, unice legitimum ac proprium *ἀεί* est, non *αἰεί*. *ἀεί* in Suida Portus, Kusterus, Gaisfordius; *αἰεί* Mediolanensis. Haec scribenti in mentem venit doctae Valckenarii disputationis de v. *ἀμφιδέξιος*, eiusque usu tropico, in Eurip. Hippol. 780. et propter illud *οἶος ἐκεῖνος*, fragmentum Callimachi aliud, cum memorabili quadam ironia Eustathii. Fragm. CCCXLVII. ex Eustathio in Iliad. XX. 207. cuius haec verba ex ed. Basileensi Bentleius exhibet: *Καλλίμαχος δὲ ἄλλως ὀνομάσαι θελήσας, οἶος ἐκεῖνος, ὑδατοσύδνην λέγει μεταποιήσας τὴν ἁλοσύδνην.* Et sic, *οἶος ἐκεῖνος*, qui editionis Romanae paginam citat, Spanhemius in Fragm. Callim. a se collectis p. 295. XXVI. ed. Graev. At apud ipsum Eustathium p. 1204, 3. Rom. p. 1278, 39. Bas. *οἶος ἐκεῖνος* legitur, nescio an elegantius.

Aliud est Fragmentum Callimachi, quod quum Hecalae nuper vindicatum sit certo testimonio, sed sedem in Hecale quaerat suam, commode hic tractabitur, opportuno loco, vel qui speciem certe opportunitatis habeat. Fragm. CCLXXX *.

Λιμναῖοι δὲ χοροστάδας ἦγον ἑορτάς.

De quo haec scripsi in Dissert. critica: *Sic hoc [Λιμναίῳ δὲ χ. ἦ ἑ.] interpres Aristophanis ad Ran.* 216. (218. K.) *nisi quod antiqui libri, veluti Aldina; χορασтάδας, iam correctum tacite a Favorino in v. Λίμναι. At quod eundem poetae locum Stephanus Byz. v. Λίμναι his verbis tangit: ἔνθα ὁ Διόνυσος ἐτιμᾶτο, καὶ οἱ Λιμναῖοι χοροστάδας ἦγον ἑορτάς, id tantum valebat apud Hemsterhusium, ut integrum inde senarium effingeret hunc: καὶ οἱ Λιμναῖοι δὲ χ. ἦγον ἑ. Indigna tanto viro opinatio: nusquam particula δέ hoc modo ponitur a Callimacho. Ego, etsi percommodum est Λιμναίῳ, quod interpres Aristophanis habet, tamen et Stephano Byzantio aliquid dandum esse censeo, ita ut ex*

comparatione utriusque testis hoc emergat: — *Λιμναῖοι δὲ χ. ἡ. ἑορτάς.* *Quod apud Stephanum est, καὶ οἱ, a Stephano est, Callimachi verba, ut interdum fit, suae orationi intexente: unde et particulam δέ omisit.* Non multo post ex cod. Ravennate auctum nomine carminis scholion accessit: *Καλλίμαχος ἐν Ἑκάλῃ· Λιμναίῳ δὲ* etc. Hemsterhusii altera suspicio est, apud Stephanum B. in *καὶ οἱ* nomen latere *Callimachi.* Iam hoc fragmentum, sive *Λιμναῖοι* legas, sive *Λιμναίῳ*, temporis, ni fallor, significationem, quo aliquid gestum sit illis in regionibus, loquitur. Fortasse temporis, aut diei, quo Theseus contra taurum Marathonium profectus est. Quid enim si, ut alios dies, quibus aliquid memorabile fecisset Theseus, edidicerant observabantque religiosissime Athenienses: diem Cronii mensis s. Hecatombaeonis octavum, quo primum ingressus urbem est, et sextum Munychionis, quo die navem conscendit abiturus in Cretam, et octavum vel septimum Pyanepsionis, quo ex Creta rediit *μετὰ τῶν ἠϊθέων*, de quibus diebus Plutarchus in Theseo c. 12. 18. 22. et 36. testatur, ut taceam instituta eodem Plutarcho teste die 16. Hecatomb. *Μετοίκια*: ita Callimachus acceptum ab iisdem Atheniensibus indicium sequutus, aliunde non notum nunc quidem, Thesei contra taurum Marathonium profectionem Anthesterioni mensi, cuius die duodecimo, ex scriptorum veterum apud Meursium Athenar. Atticar. lib. III. c. 4. et Boeckhium de Lenaeis etc. p. 70. testimonio, *τὰ ἀρχαιότερα Διονύσια* agebantur Dionyso *τῷ ἐν Λίμναις*, assignaverit? Callimachi fortasse memor Nonnus XXVII. 306. 7. illud: *οὗ μέτα δὴ Φρύγα ῥυθμὸν ἀνακρούσουσιν Ἀθῆναι, Λιμναῖον μετὰ Βάκχον, Ἐλευσινίῳ Διονύσῳ*: et, quae iam certior res est, hoc in Evang. Ioann. c. VII. 37. scripsit: *ἀλλ' ὅτε λοίσθιον ἦλθε χοροστάδος ἦμαρ ἑορτῆς.*

IV.

Ἑκάλη mulieris nomen, et mutato accentu, ut videtur, *Ἑκαλή*, pagi, *δήμου*, fuit a muliere dicti. De quo pago commode hic explicabitur, ubi definiendus locus est, in quo convenit hospitalem mulierem Hecalen Theseus. Etsi iam tum inditum ei

loco nomen a muliere fuisse, non credibile est. Id postea factum, quum notum ante vicinis, viatoribus, nomen mulieris maiorem adeptum esset celebritatem ab hospitio Thesei. Ac fortasse non fallax coniectura erit, si quis a Theseo demum, post mortem Hecales, in honorem hospitae suae institutum statuat, ut ab muliere nomen transferretur in pagum.

Iam de pago quod pauca habeam, fortasse mea culpa est, quamquam non credo multum esse, quod me praeterierit. Primarium testimonium, quo uno Meursius de populis Atticis in Gronov. Thes. Vol. IV. p. 710. defungitur, neque aliud putem apud Corsinum exstare, cuius locus qui huc pertinet, nunc non ad manum est, Stephani est Byzantii: *Ἑκάλη, δῆμος τῆς Λεοντίδος φυλῆς. ὁ δημότης, Ἑκάλειος* (al. *Ἑκάλιος*). *τὰ τοπικὰ Ἑκάληθεν, Ἑκάληνδε, Ἑκαλῆσι. καὶ Ἑκάλειος* (al. *Ἑκάλιος*) *Ζεύς*. Deinde admodum probabilis mihi quidem Adr. Heringae Obss. crit. Cap. IV. p. 35. coniectura est, apud eundem Stephanum in *Ἀγγελή*, unde vulgo *Καλή* inter pagos sive populos Atticae a Meursio, Sponio, et Corsino quoque F. A. Tom. II. p. 232. sq. recensetur, restituentis *Hecalen* pagum. sic: — *ὀξύνεται δὲ* (scil. *Ἀγγελή*) *κατὰ δύο τρόπους, ὅτι δήμου ὄνομα, ὡς τὸ Περγασῆ, καὶ Ἑ κ α λ ή*. Commendat vel postulat eam emendationem sequens Stephani cognata cum Etymologi et Arcadii de nominibus in *λη* praeceptis disputatio, quae tota ad *ὑπερδισύλλαβα* spectat. Atque hoc loco nititur, quod coniicimus, pagum sic, *Ἑκαλή*, dictum esse, quum mulier esset *Ἑκάλη*. Olim quidem apud Hesychium in v. *Ἑκάλειος*, atque inde apud Favorinum (ed. Basil.) in ead. v. etiam mulier male *Ἑκαλή* scribebatur: legitimum accentum habet praeter alios Arcadius p. 108, 22. *Τὰ διὰ τοῦ αλη ὑπερδισύλλαβα μονογενῆ ἀσυνάλειπτα βαρύνεται, ἑκάλη* (sic), *μασχάλη, αἰθάλη, δειμάλη*. *Hecalen* pagum in tot inscriptionibus Atticis apud Boeckhium semel repperi, e coniectura Boeckhii sane quam probabili, N. 27. p. 46. atque inde apud Welckerum in Sylloge Epigr. Gr. p. 177. *Δήμῳ Ἀθηναίων ἀ[νέθηκεν ἑῶν Ἑ]κάληθεν Ἀλκίφρων.* Aliud molitur Osannus in Sylloge Inscr. p. 298. Mirabar autem semel inventum, et in monumento, ut Boeckhio videtur, non valde antiquo, quum iam persuasisset mihi testimoniorum paucitas mature ob-

solevisse hoc pagi nomen, et alii cuidam appellationi cessisse. Sed, ut dixi, fortasse non ea est testimoniorum paucitas, quae mihi visa est. Ego nunc unum habeo quod addam: Lex. Rhet. Bekkeri I. p. 247. Ἑκάλη· δῆμος Λεοντίδος.

De situ pagi, neque longe remotum a Marathone, ubi tum grassabatur taurus, fuisse, aliquanto certius constaret, si verum esset, quod e Stephano Byzantio efficitur, eiusdem tribus, *Leontidis*, fuisse *Hecalen* et *Marathonem*. Nam sic Stephanus: Μαραθών, δῆμος τῆς Λεοντίδος φυλῆς. Nunc Corsino T. I. p. 176. et p. 237. sq. credendum, et Boeckhio Corp. Inscr. Vol. I. p. 309. *Aeantidis* fuisse Marathonem, et Λεοντίδος apud Stephanum erratum esse sive librarii, sive epitomatoris, sive ipsius Stephani. Nisi etiamnum placeat, qua Corsinus ratione Stephano subvenit: *At fieri fortasse poterat, ut aucto tribuum numero, variataque Populorum serie Marathon ex Leontide in Aeantidem tribum migraverit.* Verum ut semper Aeantidis tribus Marathon fuerit, manebit hoc, non nimis remotum ab Hecale Marathonem, et medium fuisse Hecalen inter Athenas et Marathonem ita, ut qui Athenis Marathonem proficisceretur, facile pagum attingeret Hecalen. Praeterea altera observetur, qua Plutarchus hac in re utitur, sed nota etiam aliunde locorum illorum designatio: Ὁ δὲ Θησεὺς ἐνεργὸς εἶναι βουλόμενος, ἅμα δὲ καὶ δημαγωγῶν, ἐξῆλθεν ἐπὶ τὸν Μαραθώνιον ταῦρον οὐκ ὀλίγα πράγματα τοῖς οἰκοῦσι τὴν Τετράπολιν παρέχοντα.

Descriptioni itineris Marathona versus proficiscentis Thesei insero Fragmentum LVII *. e Stephano Byz. v. Τρινεμεῖς. Strabonis indicio, qui quam lib. IX. p. 400. (613. Almel.) obiter facit pagi Τριεμεῖς mentionem, satis aperte monstrat, Athenis exeunti eum pagum versus septemtrionem fuisse. Unde probabile est, in vicinia Marathonis fuisse. ὁ μὲν Κηφισσὸς ἐκ Τρινεμιῶν (corrigunt Τρινεμέων) τὰς ἀρχὰς ἔχων, ῥέων δὲ διὰ τοῦ πεδίου, ἐφ᾽ οὗ καὶ ἡ Γέφυρα etc. Stephani verba sunt:

Τρινεμεῖς, δῆμος τῆς Κεκροπίδος φυλῆς. Διόδωρος καὶ Δίδυμος Τρινεμεῖς ἀναγράφουσι τὸν δῆμον. Καλλίμαχος Ἑκάλῃ, Τρινέμειαν. ὁ δημότης, Τρινεμεύς etc.

Et nunc quidem Τρινεμεῖς Athenas inter et Hecalen pagum fuisse statuo. Sin fuerint inter Hecalen et Marathonem, Fragmentum

LVII *. ad Capitis VIII. initium differendum erit. Choerilus quum ad *Cephissi* fontes raptum Orithyiae retulit, utrum celebrem illum Cephissum intelligi voluerit, an alium *Eleusinium*, quem nuper ab *Attico* illo distinguere coeperunt, de quo Siebelis ad Pausan. I. 38, 5. nunc non definiam; sed versum proferre placet probabili Hermanni coniectura restitutum Choerili: *ἄνθε' ἀμέργουσαν* (vel *ἀμεργομένην*) *πηγὰς ὑπὸ Κηφισσοῖο*. ubi meum iudicium, cui forma verbi media placebat, commendat quodammodo Epicorum usus recentiorum, Apollonii IV 1144. Nonni XXXI. 206. XXXIII. 5. ubique de carpendis floribus, plantis. Est tamen et activum, *ἀμέργων*, apud Nicandrum Fragm. II. 69.

Igitur Theseus Athenis proficiscens contra taurum Marathonium eum in locum devenit, quem habitabat Hecale. Illa una nobis quidem nota Hecale: nam alias, de quibus egerat indicatus a me Prolegom. p. 12. Ptolemaeus Hephaestionis, ego certe non novi, ni forte numeres Minois filiam *Ἑκάλην*, quae vulgo ferebatur apud Apollodorum III. 1, 2. ubi tamen Heynius ex libris nomen aliud, quamquam neque ipsum verum, ut videtur, sed propius vero, *Ἀκάλλην*, restituit. Similiter, sed contrario modo, peccatum a librariis in Olympiodoro: *ἐν Αἰκάλλῃ*, in Schol. Pindari et Ammonio: *ἐν Αἰκάλῃ*, Callim. Fragm. XLV *. (Schol. Ap. Rh. Paris.) XLVIII *. LII *. LIII *. pro nostra, quae debet esse, *Ἑκάλῃ*. Aliud mendum est *ἐνεκάλει*: Hesych. *Γηφάγοι*. Suid. *Ἀρμοῖ που*: pro *ἐν Ἑκάλῃ*. et aliquoties *ἐκάλει*, *ἐκάλει* pro *Ἑκάλῃ*. Et *Ἑκάβῃ*.

De Hecale narrationem fortasse ita exordiebatur Callimachus: Ibi advenit, et obvia Theseo fuit Hecale, *Ἦλθε δ' ἐπὶ* — ut incipit Odysseae liber XVIII. Vel, quod praefero, conversione magis repentina, et ut statim lector novae rei initium nosceret: *Ἦν δέ τις*. Ut si facias: *Ἦν δέ τις ἐν τοῖσδεσσι γυνή* — ad exemplar Homeri, Iliad. V. 9. X. 314. XIII. 663. XVII. 575. Odyss. IX. 508. X. 552. XV. 417. XX. 287. XXII. 126. Cf. Apollon. Rh. IV. 1444. Nonnus XI. 248. XXI. 324. XXXVI. 479. et Evang. Io. III. 1. IV. 46. V. 2. 5. VI. 10. XI. 1. 49. XIX. 41. Altera est, etiam magis usitata poetis epicis omnibus, Homero, Arato, Apollonio, Dionysio Periegetae, Oppiano, Cynegeticorum scriptori, Ioanni Gazaeo, conversio novaeque rei introductio:

Ἔστι δέ τις. Ἔστι τις apud Hesiodum in Fragmentis, alibi. *Αἰθηδών νύ τις ἐστίν* Theolyt. ap. Athen. VII. 296. B. *Ἔστι πόλις*, Homero praeeunte, Nonnus III. 258. XLI. 14. *Ἔνθα τις* idem XV. 169. XX. 149. alibi. *Καί τις* ap. eund.

Exponebatur de consueta hospitalitate Hecales. Fragm. XLI.*

τῖον δέ ἑ πάντες ὁδῖται
ἦρα φιλοξενίης· ἔχε γὰρ τέγος ἀκλήϊστον.

Eandem in sententiam infra scriptum: — *φιλοξείνοιο καλιῆς* — *ξυνὸν γὰρ ἐπαύλιον ἔσκεν ἅπασιν. ἦρα* primus edidit a Valckenario (Epistt. Tittmann. p. 49.) admonitus Ernestius. Cf. Diatr. Eurip. p. 130. et Buttmannus Lexil. I. p. 150. not. 3. Magis insolenter Nonnus Evang. Io. VIII. 46. eodem modo *ἐπίηρα* usurpavit: *ἀμπλακίης ἐπίηρα.* Si quis forte scire cupiat, quomodo Callimachum viri docti ante restitutum a Valckenario *ἦρα* acceperint, ita acceperunt H. Iunius in proverbio *Hecales coena*, et cum Iunio A. Schottus Obss. poet. II. 29. et Gonsalius in Petron. c. 135. itemque Kuhnius, ut ingererent *φιλοξενίης στέγος ἀκλήϊστον.* Bentleius vero ita: *τῖον φιλοξενίης*; i. e. *ἕνεκα φιλοξενίης. τέγος* retinui cum Bentleio, ut vulgatam in Scholiis Aristoph. Acharn. 127. scripturam. Nam *ἔσχε στέγος*, ut est apud Annam Fabri p. 163. (p. 363. ed. Ern.) in scholiis Aristoph. primum Frobenius edidit, ut observat Bentleius; in Aldina sic: *ἔσχ' ἐς γῆν τέγος ἀκλ.* Deinde de tribus, qui hoc postremum hemistichium afferunt, quos laudavi in Prolegomenis p. 19. Suidas in v. *Ἑκάλη*, etiam Leidensis, et Gaisfordii, *τεῖχος* habet, sic: *ἔχε γὰρ τεῖχος ἀκλήϊστον.* Eclog. Crameri *ἔσχε γὰρ τέγος ἀκλ.* at Etymol. Gud. *στέγος.* Et praetulerunt *στέγος* Kusterus ad Suid. v. *Ἑκάλη*, Ruhnkenius Epist. crit. II. p. 179. ubi Callimacho Nonnum XX. 282. *εἰς δόμον ἀκλήϊστον ἑτοιμοτάτοιο Λυκούργου*, adiuovet; et nuper Boissonadius. Ad significationem nihil interest. Par est in utroque, *στέγος* et *τέγος*, insolentia ab eo, quod *domus* significatur, quum vulgo *τέγος*, itemque *στέγος*, *tectum* proprie, vel partem domus superiorem significet. Sic *στέγος* noster Fragm. CXXII. *τέγος* h. in Cer. 4. Fragm. LXX. 3. Estque is constans poetarum Callimacho posteriorum usus, Apollonii II. 1086. Cynegeticorum scriptoris III. 120. Nonni XXXV. 12. 95. Tryphio-

dori 547. 580. Paulli Sil. Ἐκφρ. τ. μ. ἐκκλ. II. 102. 110. 252. Ἀμβ. 84. Unus Manetho II. 430. VI. 143. 533. τέγος: nam sic scripserat haud dubie ubique Manetho, non στέγος: ita usurpat, non ut partem, sed ut totum significet, hac peculiari significatione, οἴκημα meretricium: quem usum illustrant laudati Valckenario Anim. ad Ammon. p. 178. Scaliger in Propert. p. 270. Casaubonus in Sueton. Calig. c. 57. atque ipse Valckenarius. Hinc colligas haud inepte, quod etiam ad rem facit Callimachi, τέγος sive στέγος, ubi de habitatione dictum in universum, de vili tantum casa, tugurio, dictum esse. Cum Manethone τέγος ista significatione, commune, ut alia nonnulla, Sibyllae est locis a Scaligero ad Propertium indicatis lib. III. et V. Add. Dioscorides apud Iacobsium in Brunck. Anal. Paralip. p. 706. Anth. Palat. II. p. 422. Theocrito II. 116. dictum de habitatione Simaethae στέγος quo iure ad eandem significationem Valckenarius l. l. revocet, dubium est.

Cum Callimacho bene I. Kuhnius ad Aelian. V. H. XIV. 14. comparat locum Homericum Il. VI. 13. sq. de Axylo: ὃς ἔναιεν ἐϋκτιμένῃ ἐν Ἀρίσβῃ, ἀφνειὸς βιότοιο, φίλος δ' ἦν ἀνθρώποισιν· πάντας γὰρ φιλέεσκεν, ὁδῷ ἔπι οἰκία ναίων. Quae obversata esse diligentissimo Homeri lectori Callimacho non inepte statueris. Rursus Callimachum, ut censet Kuhnius, Aelianus eo loco *imitatur* verbis his: ἐπεὶ δὲ καὶ ἄλλον εἶδεν εἰσιόντα, καὶ τρόπον τινὰ ἄ κ λ ε ι σ τ ο ν αὐτοῦ τὴν ο ἰ κ ί α ν πᾶσι τοῖς καταλύειν προῃρημένοις, —. Certior res est de eo, quem neque ipsum imitatorem esse Callimachi crederes, nisi plura eiusdem modi exempla ad manum essent, monstrata a me alibi, *de* Gregorio Theologo. Cui Callimachus ante oculos vel in mente fuit scribenti Carm. III. 302. ὅσαις τ έ γ ο ς ἀ κ λ ή ϊ σ τ ο ν. Est rursus ἀκληΐστοιο θύρης apud eundem XI. 73. (ἀκλήϊστον aliter Carm. iamb. p. 252. C.) Cf. praeterea Marianus Schol. II. (Anth. Pal. T. II. p. 235.) 13. ἀλλὰ τὸν ἀκλήϊστον ὅπως, ξένε, μὴ παρέλθῃς τόνδε δόμον, λιτῆς δ' ἀντίασον ξενίης. Et Gregorius, ut taceam locos eius alios, in quibus τέγος usitate partem domus significat, Carm. iamb. p. 236. D. ubi στέγος domus meretricia est, ut τέγος Carm. III. 302.

Ἑ κ ά λ η appellata mulier ab hospitalitate fuit. Quam nomi-

nis originationem laudati a me in Prolegomenis p. 18. sq. Grammatici, *ἡ πρὸς ἑαυτὴν καλοῦσα*, eam non dubito quin ipse in carmine suo proposuerit Callimachus. Fortasse non totam, qualem Grammatici exhibent, sed tantum ut a verbo *καλεῖν* dictam esse *Ἑκάλην* aut aperte doceret, aut tecte, sed quantum satis homini graeco, significaret. Sic quum non tam proprium nomen fuerit *Ἑκάλη*, quam appellativum, vel cognomen, coniectura erit non illa quidem necessaria, sed tamen minime inepta, alind Callimachum nomen Hecales, vere proprium, compertum habuisse ac prodidisse sua narratione. ad modum Homeri: *Ἀρναῖος δ᾽ ὄνομ᾽ ἔσκε· τὸ γὰρ θέτο πότνια μήτηρ ἐκ γενετῆς· Ἶρον δὲ νέοι κίκλησκον ἅπαντες, οὕνεκ᾽ ἀπαγγέλλεσκε κιών, ὅτε πού τις ἀνώγοι.*

Sed quod dicebam, huius sive nominis sive cognominis, *Ἑκάλη*, originem ab ipso monstratam Callimacho esse, eam sententiam adiuvat atque commendat Fragmentum, quod primum a Fabricio Bibl. Gr. Vol. II. p. 484. indicatum Ruhnkenius (ad Callim. ed. Ern. p. 430.) communicavit cum Ernestio, CCCCXXIX. *

τοῦτο γάρ αὐτήν

κωμῆται κάλεον περιαγέες.

Apud Suidam v. *Κωμῆται* vulgo *αὐτῇ* habetur; in libris Gaisfordii *αὐτῆς*, *αὐτῷ*. *αὐτήν*, i. e. Hecalen, Hemsterhusii apud Gaisfordium, itemque Ruhnkenii l. l. correctio. Ita autem accipio verba poetae: hoc nomine, *Ἑκάλην*, illam vocabant vicini, ab eo, quod invitabat omnes. Ordinem Fragmentorum, huius et ante commemorati XLI *. utrum prius fuerit loco, non definiam. Alia Ruhnkenii l. l. exornata a Toupio Emendd. in Suid. P. II. Vol. I. p. 359. 60. (T. I. ed. Lips. p. 237. 8.) ratio et coniectura est, de *ὑποκορισμῷ* illo, *Ἑκαλίνη*, vel, ut volebat cum Ruhnkenio Toupius, *Ἑκάλιννα*, accipienda esse verba Callimachi. Minus, ut mihi videtur, probabiliter. Qui enim testantur de *ὑποκορισμῷ*, laudati in Prolegomenis Plutarchus et Etymologus Leidensis, ex quo Etymologico Magno restituendam hanc formam *Ἑκαλήνην*, vel potius *Ἑκαλίνην*, vidimus, illa omnia, Hecalesia, Iovis cultum *Ἑκαλείου*, honorem Hecalae habitum, cum invento *ὑποκορισμῷ*, posteriori tempori, post exceptum ab Hecale Theseum, et post mortem Hecales, assignant. At haec: *τοῦτο γάρ*

αὐτὴν κωμῆται χάλεον περιηγέες, manifesto de eo sunt, quod ante adventum Thesei fuerit. Illud iam monui, Plutarcho ibi non, quod Toupius opinabatur, Callimachum, sed obversari Philochorum. Quo evertitur argumentum, quod suam in sententiam Toupius captabat ex similitudine verborum Callimachi κωμῆται περιαγέες s. περιηγέες, et Plutarchi οἱ πέριξ δῆμοι. Deinde etsi nemo negaverit bene versatum in Callimacho fuisse Toupium, tamen metri peritiam Callimachei desidero in coniectura hac, qua ille ita legendum *atque ampliandum* videri locum scribit:

'Εκάλιναν· τοῦτο γὰρ αὐτὴν
κωμῆται χάλεον περιηγέες.

Spondei cum caesura in quarto pede tam rara apud Callimachum exempla sunt, ut piaculum sit, coniectando obtrudere poetae, quod ille data opera ac prudentissime defugerit. Huius spondei dico, et huius caesurae, quam sic positum 'Εκάλιναν faceret. Nam posse in ea versus sede spondeum cum caesura poni, etiam a Callimacho, et qua possit conditione poni, exempla docebunt haec: h. Iov. 78. h. Dian. 99. h. Del. 4. 298. h. Cer. 123. 124. et quae alia, non multa quidem, sed idoneo numero, eiusdem generis. At huic exemplo 'Εκάλιναν | similia ac paria, praeter h. Ap. 40. ἐν ἄστει, ubi recte Santenius, Iacobsius, Blomfieldius, Boissonadius: ἐν ἄστεϊ, quod ipsum editum in antiquioribus Callimachi exemplaribus, certe H. Stephani tam in Poetis princip. c. h. quam in edit. Callim. 1577. et B. Vulcanii reperio, ac fuit in cod. Veneto apud Santenium; et praeter Fragmenta LXVII. 3. CXXIV. 2. in quibus male ferebatur, vel etiamnum fertur ἔρχητ' et πέτρου, haec tantum exstant, h. Del. 226. h. Cer. 130. Fragm. CVI. 3. CCII.

ἀλλὰ φίλη, δύνασαι γάρ, ἀμύνειν | πότνια δούλοις.
τᾶσδε τελεσφορίας· ποτὶ τὰν θεῦν | ἄχρις ὁμαρτεῖν.
ἄπνοα πάντ' ἐγένοντο παραχρῆμ'· | ὅσσα τ' ὀδόντων.
'Ρήγιον ἄστυ λιπὼν 'Ιοκάστου | Αἰολίδαο.

De quo numero si dempseris h. Cer. 130. ubi θεῦν fortasse librario debetur male memori ex versu superiore 58. doricae formae θεῦς, at in poeta non tantum censeo amorem dorismi fuisse, ut hoc maluerit, τὰν θεῦν, quam quod ex MS. Veneto Loesnerus annotavit, alacriore numero, τὰν θεόν; deinde si dempseris

Fragmentum CVI. olim a me ita emendatum, ἄπνοα πάντ' ἐγένοιτο παρὰ χρέος, et Fragm. CCII. cuius singularis ratio est: unum restat, h. Del. 226. In quo accidisse Callimacho puto, ut semel excidere sibi pateretur, quod esset contra suam artem. Apud Homerum quidem ἀμύνειν aliquoties legitur in hac sede. In Fragmento CCII. non placet, quod G. Bernhardy Annot. ad Schol. Dionys. Perieg. p. 1002. proposuit, Ῥήγιον — Ἰοκάστεον Αἰολίδαο: itaque aut Ἰοκαστέος scribendum, si quid sit isti scripturae varietati tribuendum, aut servandum vulgatum Ἰοκάστου arbitror. Ut excusent caesuram simulque hiatum nomina propria. Quam in rem apta sunt exempla, Apollonii I. 72. ὁ δ' Ἶρον Ἀκτορίδαο, et maxime Arati 392. ἀγανοῦ Ὑδροχόοιο. 753 (21.) φαεινοῦ ἠελίοιο. Etenim is est Aratus, quocum se comparari ipse non noluisset Callimachus. Et haec quidem spondei in quarto pede cum caesura et cum hiatu exempla sunt. Sine hiatu spondeus eiusmodi Arato, aliis, aliquanto magis usitatus est quam Callimacho; plerumque cum hac conditione, ut pedes quintum et sextum longum impleat vocabulum, sic: Κελαινώ τ' Ἠλέκτρη τε, ὑπὲρ αὐτοῦ Κενταύροιο, ἀγανοῦ Τοξευτῆρος, ὑπείκωσ' ἠελίοιο: Arat. 262. 447. 506. 832. (100.) cf. 811. (79.) 887. (155.) 1030. (298.) Κλυτονήου Ναυβολίδαο, ἀγανοῦ Μιλήτοιο, Ὀφίων Εὐρυνόμη τε, ὅἱεσθ' Οὐρανίδῃσιν, ἀγανοῦ Δηϊμάχοιο, ἀγανοῦ νηπιάχοντος, θυγατρῶν Ἡελίοιο: Apoll. Rhod. I. 134. 186. 503. II. 342. 955. IV. 868. 971. πρὸς αὐγὰς ἠελίοιο Dionys. Perieg. 84. 487. 970. ἀγαυῶν Ἀμνιτάων idem 571. ἀγαυὴ Θεαντίνη Maximus 191. 271. 596. ἀγαυῇ Κυπρογενείῃ idem 264. At ubi alia eaque magis poetica forma restituenda exoptata numeris alacritas redditur, non dubium quin sit reddenda. Ut statim apparet Apollonium II. 686. Ἑωΐου scribendum, et IV. 895. revocandum Ἀχελωΐ̈δ esse. Et apud eundem III. 517. ubi vulgo ἐπὶ δ' υἷες Τυνδαρέοιο, si qua sit mutandi necessitas, dubium, an melius υἱέε legas quam quod Gerhardus Lectt. Apollon. p. 154. legi iubet, υἱεῖς. Eo duali utitur alibi Apollonius.

περιηγέες in Fr. CCCCXXIX *. Toupii necessaria, ut puto, correctio. Qui vulgatam apud Suidam scripturam περιαγέες tueri voluerit, ita tuebitur: fortasse semel Callimacho doricam formam pro usitata tum ipsi tum aliis, περιηγής, et eadem

significatione, qua alibi περιηγής, placuisse. Alium dorismum, sed eum magis certum, mox videbimus, ἀσκάντα pro ἀσκάντους Cap. V. Cf. et βωνίτησιν eod. Cap. V. Ad significationem apte Toupius Callimacho scriptum h. in Del. 198. confert: Κυκλάδας ὀψομένη περιηγέας, *Cycladas visura circumiacentes*, vel, cum Mela, *in orbem iacentes*, ut ipse vertit. Eadem ibi Ernestio in mentem venerat explicatio, non ut sit de insulis singulis intelligendum, *Cyclades rotundae*, sed de universis *quae κύκλον quendam efficiunt, qui est περιηγής.* unde et nomen Cycladum. Sic in Eratosthenis fragmento ex Ἑρμῇ Heraclidis et Schol. Hom. Veneti scripturam ζῶναι περιηγέες accipiendam esse monuit Bernhardy Eratosthen. p. 145. Cf. Apollonius III. 138. et eandem in sententiam accipiendum, ut res suadet, περιηγέες apud Aratum Phaen. 401. Multus est vocabuli huius usus apud Callimachum, Apollonium, et qui hos sequuti: plerumque ut *rotundum* significet (Callim. h. Apoll. 59.), sed tamen ut unum alterumque exemplum ad illam prius explicatam significationem accedat. Veluti quum ἀκτὴν Apollonius I. 559. II. 994. περιηγέα dicit, *curvatum in orbem littus*. Et Oppianus Halieut. I. 216. II. 375. III. 81. IV. 251. 379. περιαγές in dorico epigrammate XXVIII. (Anth. Palat. I. p. 250.) Leonidas Tarentinus. Propter τοῦτο γὰρ αὐτὴν — κάλεον Euphorionis verba adscripsi Fr. XLIX. τὸ γὰρ καλέσαντο νομῆες (vel βοτῆρες), ὅττι ῥα etc. Oppian. V. 475. κάλει δέ μιν οὔνομ' ἀΰσας κεῖνο, τό μιν φήμιξεν ἔτι πρώτης ἀπὸ φύτλης. Sed talia multa facile quisque cumulet.'

Haec tum scripseram. Nunc utrumque respuo, περιαγέες, et περιηγέες. Nam primo, si περιηγέες fuisset a manu poetae, quo modo id in formam abierit doricam, περιαγέες, non satis intelligitur. Deinde, quod gravius, si bene dicitur Κυκλάδας περιηγέας, ζῶναι περιηγέες, ut dicitur bene, eo sensu quem ibi explicui: non aeque bene κωμῆται περιηγέες. Id sensit, quo est sensu acutissimo, meque per litteras docuit Hermannus. Et statim, quae est eiusdem viri dexteritas et sagacitas, emendationem tam commodam ad locum quam congruam cum more Callimachi invenit:

τοῦτο γὰρ αὐτὴν
κωμῆται κάλεον π έ ρ ι   ἁ γ έ ε ς.

ut intelligantur *reverentes, pii.* Unum se nosse ait eius vocabuli auctorem, Hipponactem Fragm. IV. *ὡς οἱ μὲν ἁγεῖ Βουπάλῳ κατηρῶντο*, ibique explicationem afferri hanc, *μυσαρός*. sed nihil obstare quominus *ἁγής*, ut *ἅζομαι* verbum, ambigua fuisse significatione putetur. Recte, ut puto. Et ipse sententiam hanc, de ambigua significatione, professus eram in Choerilo p. 179. sq. admoto, quod tamen quo iure fecerim nunc ipse dubito, ad Hipponactis locum versu Empedoclis. Verum nescio quo modo, sed haud dubie excitatus ab Hermanno, in aliud incidi, non illud melius invento Hermanni, sed tamen non spernendum: *κωμῆται κάλεον πέρι ἀλέες.* sic, *ἀλέες*: e Callimachi Fragmento LXXXVI. cuius pars etiam in Etymologico Gudiano p. 39, 9. et apud Favorinum in Lexico itemque in Eclogis p. 96. edit. Dind. exstat. Et tum quidem de nomine *Ἑκαλίνης* accipiendus locus foret, differendus ad partem carminis extremam, ubi mortuam Hecalen congregati (*ἀλέες*, i. e. *ἀολέες*) circa tumulum *κωμῆται* salutare nomine *ὑποκοριστικῷ*, *Ἑκαλίνην*, coeperint.

Hospitalitatem Hecales mendici quoque experti. Fragm. LVIII *. ex Hesychio:

Γηφάγοι. πένητες, ἄποροι, ὡς τὰς ἐκ γῆς βοτάνας σιτίζεσθαι τροφῆς ἀμοιροῦντας. Καλλίμαχος ἐν Ἑκάλῃ.

Eodem respiciunt laudati Ruhnkenio Auctar. Emendd. in Hesych. T. I. p. 828. Lex. Rhet. MS. nunc in Bekkeri Anecdotis I. p. 232, 17. et Etymologus p. 221, 50. apud quos *σιτιζόμενοι* et *ἀμοιροῦντες* legitur. Verum huic Fragmento neque ipse fortasse locum suum invenissem, neque aliis hunc esse verum locum persuaderem, nisi felici coniectura Buttmannus Lexil. I. p. 43. not. admovendum hoc alteri Fragmento Callimachi antehac inedito, apud Choeroboscum Bekkeri Anecd. III. p. 1253.

οἴτε βιοπλανὲς ἀγρὸν ἀπ' ἀγροῦ
φοιτῶσιν:

ponendumque in Hecale utrumque esse, in vicinia Fragmenti XLI. *τῖον δέ ἑ πάντες ὁδῖται* etc. vidisset. A Bekkero communicatum idem illud exstat in Annotatt. ad Etymol. M. (p. 198, 12. ubi *βιοπλανές* ex eodem Callimachi loco) Etymologico Gudiano subiectis p. 788. Addatur Ioannes Alexandrinus a Dindorfio editus, p. 15, 27. apud quem sic: *οἵ οἵ τε βιοπλανὲς ἀγρὸν ἀπ' ἀγροῦ·*

sine nomine poetae. *βιοπλανές*, pro *βιοπλανέες* dictum, illustrat Buttmannus. Ego Nonnum observavi, qui hoc vocabulum, sed usitate formatum, a Callimacho sumpsit, et ex hoc versu Callimachi, Evang. Ioann. XIII. 29. *ἢ ἵνα τι πτωχοῖσι βιοπλανέεσσιν ὀπάσσῃ.* et aliam in sententiam detortum, XV. 19. XX. 23. In Dionysiacis non hoc, sed cognatum, III. 356. *βιοπλάγκτοιο τύχης.* Unum putem fortasse non scripturum fuisse Buttmannum, si tum recens a lectione Callimachi fuisset. Nam ita se habuisse versum Callimachi, ut obiter coniicit Buttmannus: *γηφάγοι [ἀνέρες], οἵ τε βιοπλανὲς ἀγρὸν ἀπ' ἀ. φ.* non est veri simile propter insuavem caesuram in secundo pede, qualem ferrem equidem, si ita scriptum in libris esse viderem, at coniectura inferre in Callimachum non audeam. Attingimus quaestionem cognatam supra disputatis Cap. I. p. 92. et III. p. 40. 4. Insuavem autem dico non caesuram in eo pede omnem: sunt exempla apud Callimachum, sunt minime rara apud observantissimum harum rerum artificem, Nonnum, eiusdem plane modi mensuraeque: *ἄλλῳ δίθροον αὐλὸν ὀπάσσατε, βουκόλος αὐχένα δοῦλον, γαίης δίψια νῶτα μετέρχεο, μητέρι βόστρυχα ταῦτα κομίσσατε, αἰθέρος ἔντεα θῆκε*: insuavem facit hoc loco caesuram, quae per se non mala est, et insuavem auribus Callimachi, non caeterorum poetarum omnium, illa, non gravis neque conspicua oculis in vetere scriptura, sed quae tamen percipiebatur auribus, ut nostris nunc auribus percipitur, interpunctio. Iudicium facio ex his quae supersunt Callimachi reliquiis: frustra enim foret, ut puto, si quis Hecales, ut longioris, epici carminis maiorem fuisse licentiam metricam, quam Hymnorum, coniiceret. Habeo Apollonii versum isti, quem Buttmannus fecit, parem atque geminum, II. 1180. *λήθομεν ἔμπεδον, οἵ τε θεουδέες ἠδὲ δίκαιοι.* At Callimachi in suis parvis carminibus maior etiam quam Apollonii diligentia fuit. Apud quem quae similia exstant, duo vel tria, nisi alia me praeterierint, non sunt ab omni parte similia: h. Iov. 44. *τουτάκι τοι πέσε, δαῖμον, ἀπ' ὀμφαλός.* Epigr. I. 11. si sit Callimachi epigramma: *κείνων ἔρχεο, φησί, μετ' ἴχνια.* Ubi dum imperfecta verbis *τουτάκι τοι πέσε* et *κείνων ἔρχεο* sententia ulterius properare usque ad usitatam quietem in pede quarto vocem iubet, delitescit debilis post *πέσε*, et post *ἔρχεο*

incisio. Eadem res in Fragmento CVI. 1. *καὶ γὰρ ἐγὼ τὰ μὲν ὅσσα καρήατι τῆμος ἔδωκα.* In Fragm. CCLXXXV. si nihil aliud, certe hoc video, pravos esse numeros, quos Boissonadius p. 122. 212. fecit: *μέζεα θερμότατε, ῥιζοῦχε Ποσειδῶν.* *ῥιζοῦχον Ποσειδῶνα* equidem, nisi aliud suaderet Proclus, qui hoc ad explicandum Hesiod. *Ἐργ.* 510. adhibet, illustrarem ex Oppiani lib. V. extr. ubi est *Ποσειδάων, ῥιζοῦχα (γαίης) θεμείλια νέρθε φυλάσσων.* De aliis poetis huc pertinentia disputavit E. Gerhardus Lectt. Apollonian. p. 212. sqq. nec tamen vera omnia: veluti apud Theocritum XVI. 4. dudum revocaveram, quam nunc recte repraesentavit Meinekius, priorum quorundam editorum scripturam: *ἄμμες δὲ βροτοὶ οἵδε· βροτοὺς βροτοὶ ἀείδωμες*, pro isto inconcinno *ἄμμες δὲ βροτοί· οἱ δὲ βροτοὺς βροτοὶ ἀ.* Addam Fragmenta aliquot Callimachi, quae ut nunc sunt mutila, laborare ea parte videntur, at olim, puto, non laborabant. Sunt autem haec, quae caesuram offerunt omnium molestissimam, in pede tertio: Fragm. CCXCVII. CCCCXXIII. CCCCXLV. Quibus locis omnibus succurrebat, molestiamque caesurae istius tollebat, aut statim subsequens usitatissima pedis quarti, aut alia proxime antecedens caesura: tamquam si in Fr. CCCCXXIII. fuerit: *[καὶ] ὡς λύκος ὠρυοίμην.* Horum omnium nihil cadit in versum a Buttmanno effictum, et omnino quod praecesserit ante haec verba: *οἵτε βιοπλανὲς ἀγρὸν ἀπ' ἀγροῦ*, nihil excogites, quo obscuretur ingrata caesura. Quare nescio an veram scripturam conservaverit Ioannes Alexandrinus, modo ita scribatur:

οἷοί τε βιοπλανὲς ἀγρὸν ἀπ' ἀγροῦ φοιτεῦσιν.

si usitate *οἷοί τε* in hac versus sede, apud Homerum Odyss. XIII. 223. XVII. 309: apud Apollonium III. 976. 1229. Nicand. Ther. 175. Et aptius, ni fallor, *οἷοί τε* est quam *οἵτε: οἷοί τε, quales;* sequitur enim *φοιτεῦσιν*, tempus praesens. Atque sic expolitum ab omni parte, ut nihil non Callimacheum insit, fragmentum censeo. Observetur restitutum a me ex coniectura, vel ex libro fortasse, *φοιτεῦσιν.* Scilicet Buttmannus nihil nisi hoc: in libro ms. Bekkeri esse *φητῶσιν*, et supra scriptum *φοι.* at in Annotatt. Etymol. Gud. loco sup. laudato *φοιτεῦσιν* exhibetur. *φοιτέειν* formam in Thaletis apud Diogenem Laertium epistola,

et apud Herodotum observaverunt alii, ego, ut exemplum apponam ex poetis unum, apud Nonnum I. 321. ἐπεφοίτεε. Utitur altera forma, ἐφοίτα, Callimachus, sed ubi suadebat metrum, h. Dian. 193. Fragm. XXVI. φοιτασεῖ Lav. Pall. 130. ambiguum. Non progredior ultra. Periculosa coniectura foret, ad explendum versum, haec: γαιοφάγοι (ex Nicand. Ther. 784.), vel γαιοφάγους, οἷοί τε βιοπλ. etc. Fortasse post φοιτεῦσιν poeta persequebatur descriptionem mendicorum, eratque in ea descriptione γηφάγοι vocabulum. E. g. ut de multis modis, quibus nectenda esse hoc fragmentum et XLI*. coniicias, unum tentem, qui primus in mentem venit, ita: — ἔχε γὰρ τέγος ἀκλήϊστον, locupletibus pariter atque infortunatis, *quales per agros vagantur errones, miseri*, γηφάγοι. Ex descriptionibus mendicorum apud Manethonem III. 249. sq. V. 129. VI. 581. 656. ad Callimachum adhibeantur haec: πτωχοὶ παιδήμιοι, et ἀλῆται, Homericum utrumque.

Occurrit Hecale Theseo. Utrum exspectanti et visere Hecalen paranti, de qua fortasse aliquid audiverat, an forte fortuna, vel quod ipsa accedere Theseum comperisset, pro certo dici nequit. Sed obviam se Theseo obtulisse Hecalen, duo insignia Fragmenta CXXIV. et maxime CXXV. produnt. Quorum illud accurate pertractavi in Dissertatione critica, Annal. Acad. Rhenanae p. 405 sqq. unde apponere recte scriptum atque auctum ex Toupii (Emendd. in Suid. P. III. p. 77. Vol. II. vel p. 359. Tom. I. Lips.) meaque emendatione, satis habeo:

ἀμφὶ δέ οἱ κεφαλῇ νέον Αἱμονίηθεν
μεμβλωκὸς πίλημα περίτροχον ἄλκαρ ἔκειτο
ἴδεος ἐνδίοιο.

Fragm. CXXV. ita se habet:

ἔπρεπέ τοι προέχουσα κάρης εὐρεῖα καλύπτρη,
ποιμενικὸν πίλημα, καὶ ἐν χερὶ χαῖον ἔχουσα —.

Ex Hecale utrumque esse Valckenarius conieceral in Theocr. Adoniaz. p. 344. B. C. Fragmentum CXXV. continuare videtur, quae est probabilis Eldikii Suspicionum Spec. cap. IV. itemque Boissonadii in Callimacho p. 203. coniectura, Fragm. CLXXXI. sic:

ἔπρεπέ τοι προέχουσα κάρης εὐρεῖα καλύπτρη,
ποιμενικὸν πίλημα· καὶ ἐν χερὶ χαῖον ἔχουσα,

καί ῥα παρὰ σκαιοῖο βραχίονος ἔμπλεον ὕλπιν —.
Quae omnia coniuncta eleganter factam descriptionem imaginemque Hecales efficiunt. Atque callide hoc institutum fuisse a Callimacho quisque fatebitur, ut, quum Thesei imaginem exhibuisset, nunc Hecales quoque habitum diligenter descriptum proponeret. Verum quod coniuncta illa dixi omnia, non statim apparet quo fuerint modo coniuncta. Sunt duo fragmenta ita inter se similia: *ἀμφὶ δέ οἱ κεφαλῇ — πίλημα περίτροχον*, et *προέχουσα κάρης εὐρεῖα καλύπτρη, ποιμενικὸν πίλημα*, ut non statim unum excipere potuisse alterum, sed ut intervallo quodam diremta fuisse videantur. Accedit, quod etiam *baculi* iterata fuit apud Callimachum mentio, si recte Hemsterhusius ad Callim. ed. Ernest. p. 439. adstipulante in Epist. crit. II. ad Callim. h. Iov. 22. (et Epistt. Tittmann. p. 21.) Ruhnkenio, Callimacho et Hecalae vindicavit hoc e Suida (et Favorino) v. Ὀχή:

γέντο δ' ἐρείκης
σκηπάνιον . . . ὃ δὴ πέλε γήραος ὀχή.

Quod nunc est Fragm. CCCCLXXXIV. ed. Blomfield. Dispono omnia ita. Primum descriptio erat Hecales exitum parantis e domo sua. Ibi Fragm CXXIV. legebatur:

ἀμφὶ δέ οἱ κεφαλῇ etc.

et

γέντο δ' ἐρείκης
σκηπάνιον etc.

ad quae verba bona est observatio Hemsterhusii: *Haec autem de ipsa Hecale dici puta ad Theseum invisentem prodeunte.* Tum poeta, versibus aliquot interiectis, ubi apparebat Theseo et consistebat coram Theseo, quasi ipse admirans simplicem sed mundum atque concinnum mulieris habitum, utque placuisse Theseo eum habitum significaret:

ἔπρεπέ τοι προέχουσα et quae seq.

Caeterum ad Fragm. CXXIV. nihil habeo quod addam olim disputatis, nisi hoc Toupio Emendd. in Suid. P. V. Vol. III. p. 137. (T. II. p. 253. ed. Lips.) observatum, ad idem fragmentum illud respexisse videri Suidam in *Μέμβλωκε· — μεμβλωκός, παραγενόμενον, καὶ μετ' ἐπιμελείας κατασκευασθέν.* et, si hoc tanti sit ut observetur, apud Suidam in *Πίλημα* inventam a Toupio

veram distinctionem *Πίλημα περίτροχον· περιφερὲς σκ.* confirmare codicem A. Gaisfordii. *περίτροχον* vocabulum praeter eos, quos ibi monstravi, usurpant Dionysius Perieg. 987. Cynegeticorum scriptor IV. 90. et saepe, variis in rebus, Nonnus, eiusque asseclae Ioannes Gazaeus, Paullus Silentiarius. *παρμέμβλωκεν* praeter Homerum, Apollonius IV. 1167. *καταβλώσκειν*, *ἀποβλώσκειν*, idem I. 322. IV. 227. et III. 1143. *προβλώσκειν* Oppian. H. II. 252. Orph. Fragm. XXXI. 6.

In illo *γέντο δ' ἐρείκης* etc. quod ad versum deest, non uno modo supplent viri eruditi. Kusterus ad Suidam non feliciter: *σκηπάνιον, τὸ μέν οἱ χαλεποῦ πέλε γ. ὀ.* Toupius Emendd. in Hesych. P. IV. p. 161. ad glossam Hesychii *Ὀκχνη*, vel potius *Ὀκχή*, ex hoc ipso Callimachi loco petitam haud dubie, ita: *σκηπάνιον, πονόεντος ὃ δὴ π. γ. ὀ.* Mihi simplicissimum videbatur

σκηπάνιον χείρεσσιν, ὃ δὴ πέλε γ. ὀ.

Usitatum est, ad *γέντο* addi *χειρί*: Hom. Il. XVIII. 476. 7. Callimachus h. in Cer. 44. Apoll Rhod. IV. 225. Neque obstat, ut puto, quod aliquis obiiciat, manibus, *χείρεσσιν*, opus esse, si quis inniti baculo velit: quae Homeri apud Christodorum v. 343. 4. sane haud insuavis imago est: at ad arripiendum baculum (*γέντο*) unam satis manum esse. Sic Theseus *χείρεσσιν* usurus erat, ubi una sufficiebat, Fragm. LI. b.* *χείρεσσιν ἑλὼν Αἰδήψιον ἄορ.* Vel si quis forte dicat, ibi non tam de arripiendo, quam de tenendo, extollendo atque infligendo utraque manu, ut gravior ictus esset, gladio agi: Agamemno certe Homericus *χείρεσσιν* utitur, ubi satis erat *χειρί*, Iliad. III. 271. XIX. 252. *Ἀτρείδης δὲ ἐρυσσάμενος χείρεσσι μάχαιραν.* Vel, ut aliquid dicam argutius, quid si consulto Callimachus *χείρεσσι*, non *χειρί*, scripserit, ut significaret debilitatem ac trepidationem senilem? Pro *δή* possis etiam *οἱ*, sic: *ὃ οἱ πέλε γήραος ὀκχή*, ut est in Lav. Pall. 127. *μέγα βάκτρον, ὃ οἱ πόδας ἐς δέον ἄξει.* Hecales imago fortasse ante animum versabatur Apollonio, ubi Polyxo describitur *τροφός*, I. 669. *γήραϊ δὴ ῥικνοῖσιν ἐπισκάζουσα πόδεσσι, βάκτρῳ ἐρειδομένη.* Certe Scholia ibi *ῥικνόν* Callimacheam esse *λέξιν* monent, probantque fragmento Hecales alio, paullo post tractando, in quo et ipso baculi mentio. Cf. Apollonius

II. 198. de Phineo: *βάκτρῳ σκηπτόμενος, ῥικνοῖς ποσὶν ἦε θύραζε.* Mitto alia, quibus nihil probatur nisi hoc, baculo uti senes. Ruhnkenio quidem illa ipsa Callimachea, *γέντο δ' ἐρείκης* etc. Ovidius *translulisse* ad Philemonem et Baucidem videbatur, VIII. 693. ubi est *parent ambo, baculisque levati Nituntur longo vestigia ponere clivo.* Nonno baculum *γηροκόμον* dicitur VII. 44. XI. 354. XIV. 101. De *ἐρείκῃ* aliquid Iacobsius ad Quinti Maccii Epigr. VII. 5. Anal. II. p. 238. qui laudat Schneiderum ad Nicand. Alexiph. p. 345. sed addendus idem Schneiderus in Lex. gr. *ὀκχή*; ut est *ὤκχησεν* apud Callim. h. Iov. 23. *ὀγχήσει* praevalens in libris Lycophronis v. 64. et 1049. scriptura.

In Fragmento CXXV. *προέχουσα* attigi Cap. III. ubi de crasi apud Callimachum. *προέχουσα* maluit hoc loco Callimachus, quia a *πρό* genitivus pendet *κάρης*; *προὔχουσα* h. in Del. 218. ubi *πολὺ προὔχουσα* est *praestantissima*. *προὔχοντος, προὔχουσα* Apollonius quoque IV. 1583. 1626. et Oppianus H. III. 460. Orpheus Arg. 379. 501. Manetho III. 225. 298. Ut taceam iisdem usurpata, Homero praeeunte, *προὔτυψεν, προὔθηκαν, προὔτειναν, προὔφηνεν, προὔβαινεν.* *τὴν κάρην*, genere feminino, bis ausus est Callimachus, in Coma Berenices: *σήν τε κάρην ὤμοσα, σόν τε βίον*; et hoc loco, *κάρης εὐρεῖα καλύπτρη*, cuius non fuerunt memores, qui eam insolentiam attingunt, Sallierius in Thomam Mag. v. *Κεφαλή* p. 531. Valckenarius in Eleg. Catulli Callimach. p. 128. sq. Unum qui ita ante Callimachum, Theognidem, laudaverunt alii. Qui sequuti sint Callimachum, praeter Moschum IV. 74. tres habeo, Nicandrum Ther. 131. 249. Dionysium Perieg. 562. 1049. Quintum Smyrn. XI. 58. Vel quatuor, si numeranda est Sibylla XII. 63. *παρθενικὴν δὲ κάρην μυστηρίων ἐξαπατήσας αὐτὸς ἄναξ ὀλέσει δολίως.* quem locum non statim expedio. Dionysium quidem mireris, qui poeta etsi in universum tinctus est elegantia scholae Alexandrinae, tamen modum tenet, neque omnia insolenter dicta aucupatur. Usitatum *κάρη* neutrum ubique tenent Aratus, Apollonius, Oppianus; Nicander quoque multis locis. Callimachum quoque promiscue nunc *κάρη* neutrum, usitate, nunc, ubi commodum esset, insolenter *κάρη, κάρης, κάρην* scripsisse puto. *κάρα* Cynegeticorum I. 178. huic scriptori condonabimus, nisi *κάρη* restituendum, ut idem III. 506.

Sed video dicendum esse, qua nos argumentatione ducti tam hoc quam superius fragmentum CXXIV. ad Hecalen referamus. Eius argumentationis vis praecipua et quasi nervus in Fragmento CXXV. est, quod de femina accipiendum esse diserte docet ἔχουσα. Hinc, quum ita sint sibi similia χάρης εὐρεῖα καλύπτρη et πῖλημα περίτροχον Thessalicum, ut videantur eandem rem significare, etiam Fragmentum CXXIV. de femina, et quidem de Hecale accipimus. Non inusitatum autem feminis fuisse, pileo uti Thessalico, iis quidem, quae versabantur in publico, Ismenae exemplo Sophocleae probamus. Et Iridis apud Sophoclem in Inacho, κυκλὰς Ἀρκάδος κυνῆς: non neglectum Valckenario in disputatione de pileis, Adoniaz. p. 345. B. Addo Ioannem Gazaeum v. 660. (II. 302.) ubi describitur Θαλυσιάς cum insignibus operis sui, aristis, sudore: χάρη δ' ἐκαλύπτετο πίλῳ. Post haec apparet, ποιμενικὸν quum dicitur πῖλημα illud, id non esse proprie intelligendum: feminae enim non sunt ποιμένες proprie. Scilicet primum ac proprie pileis istis utebantur ποιμένες, deinde inter feminas, ut dixi, eae, quibus aliquid foris agendum, ut arcerent ardorem solis. Piscatoribus quoque bene conveniens habitus πῖλοι, Theocrit. XXI. 13. Nisi ibi verum viderit Hermannus in Scholis Theocriteis. Neque χαῖον proprie accipiendum de baculo *pastoritio*. Sed qui attente legerit Scholia Apollonii, ex quibus erutum fragmentum est Callimachi, IV. 972. fortasse hoc totum negabit, χαῖον proprie fuisse baculum *pastoritium*. Verba sunt haec: χαῖον ἐστὶ καμπύλη βακτηρία, ᾗ οἱ ποιμένες χρῶνται. Ἀμερίας δὲ ψιλὴν ἀπέδωκε ῥάβδον. Καλλίμαχος· ἔπρεπέ τοι etc. Neque quod additur ex Alcmane, vim probandi habet. Incurvum fuisse χαῖον credibile est, ut erant τῶν ἀγροίκων, observante Casaubono ad Theophrast. cap. περὶ ἀγροικείας p. 171. sq. Neque indignum observatione καλύπτρη, quo vocabulo caeteri plerique certa quadam significatione utuntur, Callimachus generali, *tegimentum*, hic et Fragm. CXLII. Theocriti locum non recordor, cuius imitationem esse in verbis ποιμενικὸν πῖλημα Casaubonus (Callim. Ernest. p. 492.) annotaverat.

Denique probabilem dixi Eldikii Boissonadiique coniecturam, Fragmento CXXV. annectentium Fragmentum CLXXXI.

καί ῥα παρὰ σκαιοῖο βραχίονος ἔμπλεον ὄλπιν.
Omnino decet Hecalen hic apparatus, ὄλπις sive ὄλπη: de qua praeter Casaubonum ad Theophrast. π. ἀρεσκ. p. 169. cf. Interpretes Hesychii, Toup. Emendd. in Suid. P. IV. p. 444. (T. II. ed. Lips. p. 29.) et nunc Barker. in Etym. M. Annotatt. p. 1112. sq. ὄλπην sive ὄλπαν Theocritus II. 156. Nicander Ther. 80. 97. Leonidas Tarentinus, Crinagoras, Archias. ὀλπίδος Theocritus XVIII. 45. Meminit fragmenti Callimachei Casaubonus, ubi morem saeculos atque alia gestandi e brachiis pendentia illustrat, ad Theophrast. π. ἀγροικίας p. 153. *Callimachus de quodam qui ampullam oleo plenam ad brachium pendentem gestabat*, *Καί ῥα* etc. Non puto autem quaerendum esse, quo Hecale consilio, quum obviam iret Theseo, ampullam suam assumpserit. Voluit Callimachus totam talem sistere, qualem vulgo, quoties prodibat, videre consueverant vicani. Neque male quemquam habere debet *ἐν χερί* et oppositum *παρὰ σκαιοῖο βραχίονος*. illam prius dictam *dextram* esse sponte intelligitur. Frustra, si quid video, ab hac quidem parte Ruhnkenius Epist. crit. II. p. 205. impugnat Brunckii in Apollonio II. 119. coniecturam: *αἶψα μέγαν τεταγὼν πέλεκυν χερί, ἠδὲ κελαινὸν ἄρκτου προσχόμενος σκαιῇ δέρος.* Cf. Hom. Iliad. XVIII. 476. 7. *γέντο δὲ χειρὶ ῥαιστῆρα κρατερήν, ἑτέρηφι δὲ γέντο πυράγρην.* Alter modus is est, quo de eodem Ancaeo Apollonius I. 168. utitur: *βῆ δ' ὅγε Μαιναλίης ἄρκτου δέρος, ἀμφίτομόν τε δεξιτερῇ πάλλων πέλεκυν μέγαν.* ubi divinandum, pellem fuisse in sinistra parte. cf. Theocrit. XXV. 206. 7. Nexum, si sunt Fragmenta CXXV. et CLXXXI. coniungenda, talem quendam fuisse necesse est: *Decebat prominens e capite latum tegimentum, pastoralis pileus: et in manu χαῖον habens, et e sinistro brachio pendentem ampullam*, concinnam imaginem rusticae simplicitatis exhibebat Hecale. vel aliquid simile. Unum me morabatur in hoc nexu, *καί ῥα*. *καί ῥα* Epicorum, inde ab Homero, etiam recentiorum, et qui fuerunt post Callimachum, non solet copulare simpliciter, sed novam sententiae conversionem indicat: ut plerumque graviori interpunctione opus sit ante *καί ῥα*, non commate. Ut Callimachus, si quis exemplum expetat, h. in Iov. 28. Ubi propius ad significationem simplicis copulae accedit *καί ῥα*, hoc tamen observari

video, ut suum membro illi, quod a *καί ῥα* pendet, verbum sit. Ut his exemplis, Apollonii II. 640. 717. IV. 918. Orphei Argonautae, qui in brevi carmine hac particularum coniunctione utitur saepissime, 105. 444. 448. 513. 1288. et *καί ῥά τε* Theocrit. XXV. 191. Qui sic simpliciter ad coniungenda nomina duo *καί ῥα* dixerit, ut est *χαῖον ἔχουσα, καί ῥα — ὄλπιν*, unum habeo Manethonem V. 244. Nunc, dum coniuncta lego ac relego Fragmenta CXXV. et CLXXXI. non displicet sic positum *καί ῥα*, neque sua quadam vi carere videtur. Nam vim aliquam inesse necesse est: pro simplici *καί* a bono scriptore *καί ῥα* dici nequit. Posita autem vis est in eo, quod ampullam sinistri brachii poeta tamquam rem novam, et de qua ipse non cogitasset antea, infert atque inserit. Advertit animum singularis, sed fortuita illa, Hecales, qualem introduxit Callimachus, cum habitu Cynicorum similitudo, quem descriptum habes in epigrammatis Leonidae Tarent. X. XI. LIX. et Archiae XXXIV. (Anth. Palat. I. p. 282. 284. 325. 326.) *σκήπωνα* sive *βάκτρον, ὄλπην, πῖλον*. Ita enim *πῖλον* enumerat inter reliqua Leonidas, ut hoc quoque non inusitatum Cynicis insigne fuisse dicas. At alia ratio *πίλου* est, eius, quem singulari de caussa gestat Menippus Luciani in Necyomantia cap. 1. et 8. Rursus formam quod attinet, pileo Hecales similis erat Menippi, ut Suidas, vel Menedemi, ut Diogenes Laertius tradit, Furiam repraesentantis, *πῖλος Ἀρκαδικός*: de quo Boettigerus in libro cui titulum fecit, die Furienmaske, p. 33. sq. et p. 123. Fragmentum CLXXXI. praeter Etymologum habet Lex. Reg. Ms. Albertii Hesych. v. *Ὄλπα*. et habet Zonaras Tittmanni p. 1444. ita scriptum: *Καλλίμαχος· περὶ σκαιοῖο βραχίονος ἔμπλεον ὄλπιν*. Add. Favorinus. Inter Elegiaca Callimachi illud reposuit Valckenarius, p. 294.

Addam incerta.

γρήϊον εἶδος ἔχουσα.

Choeroboscus *περὶ ποσότητος* Cod. Barocc. 50. f. 177. in Museo Philolog. Cantabrig. N. IV. Novemb. 1832. p. 113. — *οἷον γραῦς. γραῖος καὶ γρήϊος παρὰ Καλλιμάχῳ· γρήϊον εἶδος ἔχουσα, τοῦτ' ἔστιν γραός*. ubi vir doctus monet idem fragmentum sine nomine poetae in Etymologico M. legi p. 603, 23. Add. Etymol. Gud.

p. 407, 41. Variat nonnihil scriptura. Et hoc quidem haud dubie rectius, quod apud Etymologos scribitur γραῦς γραός γραῖος, — at γρηΐδιον in Etymol. Gud. falso haud dubie.

γραΐς γραΐδι Fragm. CCCXXVI. Valckenarius in Theocr. Adoniaz. p. 351. B. mutato accentu, γραῢς.

Ad congressum Thesei et Hecales facere opinabar fragmentum Callimachi, quod apud Herodianum περὶ μονήρους λ. p. 28, 5. ita scriptum: ἦλθον εἰς ὄβδην, in Bekkeri Anecdotis II. p. 942, 7. ita: ἦλθες ἐσόβδην, legitur, scribendum aut ἦλθεν ἐσόβδην, aut, ut sit apostrophe, ἦλθες ἐσόβδην. vel ἦλθον ἐσόβδην: venerunt in conspectum, unus alterius. Est etiam ἐσόβδην apud Apollonium de adverbio, Anecd. Bekk. II. p. 611, 28. et Hesychius haud dubie ex eodem loco: Ἐσόβδην· εἰς ἐμφάνειαν. unde corrigendus Favorinus, apud quem ἐσόδην habetur. Verum id quum agebam, et quum primum egi, multa eum dubitatione egi, ut qui sentirem multis occasionibus multisque narrationibus apta verba esse: et nunc eo consilio opinationem meam commemoro, ut vanam fuisse demonstrem. Namque Etymol. M. v. Ὄβδην haec praebet sine auctoris nomine, sed manifesto ipsa Callimachi verba: Μούσῃ γὰρ ἦλθεν ἐσόβδην. Quod si quis recepta probabili Sylburgii emendatione, Μούσῃσι, de Thamyra dictum fuisse, vel, si fuerit ἦλθον, de filiabus Acheloi coniiciat, certe non inepte faciet. Felicior tamen coniectura, ni fallor, ipsum de se dicere Callimachum:

Μούσῃσι γὰρ ἦλθον ἐσόβδην:

in prooemio *Αἰτίων*.

De Hecale conspiciente Theseum accipi posse ἡ δ' ἐκόρησε, τοὔνεκεν *Αἰγέος* ἔσκεν, observavi Cap. III. p. 81. Sed praevalet mea ibi disputatio, qua de Aethra accipienda esse ea verba doceo.

V.

Theseum hospitio excipit Hecale. Insignis pars carminis, in qua Callimachum multa cum diligentia et cum sua voluptate elaborasse credibile est. Habuit autem ante oculos fabulam ab se ipso tractatam similem vel potius geminam, Molorchi, qui, ut

Hecale Theseo, taurum debellaturo Marathonium, ita ante proficiscenti contra leonem Nemeaeum Herculi hospes agresti hospitio fuerat. Animadvertit similitudinem Heynius ad Apollodor. II. 5, 1. Me de Molorcho primum admonuerat Nonnus, ubi de Broncho, hospitium Baccho praebente, XVII. 52. s. *οἷα Κλεωναίοιο φατίζεται ἀμφὶ Μολόρχον, νεῖτα, τάπερ σπεύδοντι λεοντοφόνους δι' ἀγῶνας ὥπλισεν Ἡρακλῆϊ.* Exitus fabulae dissimilis. Molorchum enim superstitem repperit redux a pugna Hercules. Sed tamen sacrificium fuit, ut in fabula Hecales. Apollodorus: *καταλαβὼν δὲ τὸν Μόλορχον ἐν τῇ τελευταίᾳ τῶν ἡμερῶν ὡς νεκρῷ μέλλοντα τὸ ἱερεῖον ἐναγίζειν, Σωτῆρι θύσας Διΐ, ἦγεν εἰς Μυκήνας τὸν λέοντα.* Convenerat Molorchum inter et Herculem, ut si sospes ante diem tricesimum redisset Hercules, Iovi *Σωτῆρι*; sin occubuisset, ipsi Herculi, tamquam *ἥρωι*, sacrum fieret. In quo mirum tam longum temporis spatium, triginta dierum, quum a Molorcho breve Herculi iter ad perdomandum leonem fuisse videatur. Verum hoc melius Capiti VI. extr. reservabitur, ubi quaerendum, quam diu Theseus, postquam Hecalen reliquisset, in tauro occupatus fuerit. De Molorcho testimonia Servii, Philargyrii ad Georg. III. 19. Statii bina, veterumque Statii interpretum, Martialis, collegit Bronkhusius ad Tibull. IV. 1, 13. Sunt et alia: Statii Silv. III. 1, 29. Martialis IV. 64, 30. Stephani Byz. in *Μολορχία*, Anonymi Allat. apud Heynium ad Apollodorum; conspirantium cum Servio et cum Statii interprete Mythographorum A. Maii, I. 52. et II. 160. Quod sine teste Gyraldus in Hercule p. 574. E. G. tradit, clavam accepisse a Molorcho Herculem, testantur Scholia in Germanicum e Nigidio: v. Nigidii Fragm. in Rutgersii V. L. p. 278. Pomponius Sabinus p. 165. unde suum de inebriato Hercule, per se fide haud indignum, habeat, non constat. docet ita: *Hercules interemto leone hospitatus fuit apud Molorchum, et illic inebriatus.* in quo etiam ordinem rerum inversum animadvertes: nam epulae hospitales haud dubie ante pugnam fuere, ut alii tradunt; post pugnam peractum est sacrificium illud, in quo ut fuerint epulae, fuerunt res secundaria. Gravior omnibus testis nostram quidem in rem, qui in Callimacho versamur, laudatus Hemsterhusio in Callim. ed. Ernest. p. 418. Probus est, ad Georgicor.

locum quem dixi, ita narrans: — *Lucos Molorchi Nemeaea dicit. Molorchus fuit Herculis hospes, apud quem is diversatus est, cum proficisceretur ad leonem Nemeaeum necandum. Qui cum immolaturus esset unicum arietem, quem habebat, ut Herculem liberalius acciperet, impetravit ab eo Hercules, ut eum servaret, immolaturus vel victori tanquam Deo, vel victo et interfecto [leone], cum solutus esset [vel] odio Iunonis, . . . ne ei coelestes honores contingerent: . . . . . [vel] fatigatus, experrectus mira celeritate damnum correxit. sumptaque apiaeia* (vulg. *picea*) *corona, qua honorantur, qui in Nemeaea vincunt, supervenit [. Itaque et] Molorcho parunti sacrificium Manibus, ubi et arietem* (vulg. *aries*) *immolaturus erat. Inde Nemeaea instituta sunt. postea Archemori Manibus sunt renovata a septem viris, qui Thebas petebant. Sed Molorchi mentio est apud Callimachum in Aetion libris.* Dedi quae leguntur in edit. Virg. Venet. A. Veltutell. 1534. et Basileensibus H. P. 1561. 1575. sed correcta a me leviter et distincta signis quibusdam, quibus significo, nunc quid delendum sit, nunc ubi aliquid excidisse statuendum sit, ut probabilis efficiatur narrationis ordo. Quod uncis inclusi, ut deleretur, *leone,* fortasse melius servabitur, ut scribatur: *vel victo et interfecto a leone,* eandem in sententiam. Corrumpit autem Probus iste concinnitatem fabulae antiquae, immiscetque nescio quid moris novitii, dum omittit Iovem Σωτῆρα, et sacrificandum fuisse Herculi aut vivo et victori tamquam deo, aut victi mortuique manibus narrat. Nisi ita aliquis statuat, *Victori* quum scriberet Probus, voluisse eo vocabulo graecam vocem Σωτῆρ interpretari. — Post *contingerent* manifesto lacuna est. Atque assequutus sum, nisi fallor, contectura, quid exciderit, Pomponium adhibens, quem pleniore usum esse codice Probi existimo. Saepe Probo utitur, docetque ex Probo Pomponius. Tale quid scripserat Probus: *ibique multo vino fatigatus, experrectus* et quae seq. *vinitorem* Molorchum diserte dicit Enarrator Statii apud Barthium. Ut appareat, hominem quantumvis pauperem, vini tamen tantum praebere potuisse, quantum satis superque. Haec igitur, quae sunt apud Probum, omnia, ut puto, exposuerat in Aetiis Callimachus. Quo ille consilio, et qua opportunitate, dictum est Cap. II. p. 66. Quem in finem

intentus, ipsam pugnam Nemeaeam breviter tantum attigerat: quod ex ipsa Probi brevitate colligo, pugnam obiter tantum commemorantis ita: *mira celeritate damnum correxit.* Nam de Probo ita iudico, Probo non huic, quem nunc habemus, sed antiquiori auctori grammatico ante oculos fuisse librum Callimachi. Hinc quae superest dubitatio et quaestio, indicata a Gyraldo l. l. p. 575. B. quo Probus iure *piceam* coronam usitatam esse in Nemeis scribat, quum reliqui omnes *apium* consecratum fuisse Nemeis tradant, etsi facile tolleretur atque componeretur, si quis a Callimacho ibi primum institutis propter Herculem Nemeis *piceam*, renovatis propter Archemorum *apium* attributum fuisse coniiceret: tamen non audeo in hoc aliorum auctorum silentio eam coniecturam facere. Praesertim quum communem de proprio Nemeis apio sententiam ipse Callimachus, atque ipse adeo apud Callimachum Hercules Callim. Fragm. CIII. (ex insigni Plutarchi Sympos. V. 3. disputatione, ubi etiam Euphorionis versus, quos recte eandem in sententiam accipit Meinekius p. 113.) profiteatur. Quare quum ne Probum quidem peccati insimulare non idonea de caussa debeamus, facillima emendatione *apiaciam* reposui: quo vocabulo Hyginus Fab. LXXIV. utitur. Paullo post vulgatum *ubi et aries immolaturus erat*, alius fortasse ita corrigi malit: *ubi et aries immolatus erat*, vel *immolatus est.* Rursus ex Probo est haud dubie, quod ad Tibull. I. I. Bernardinus Cyllenius Veronensis scribit: *De hoc* (Molorcho) *Callimachus meminit in oethicon libris.* sic, *oethicon* in ed. Tibulli Venet. 1487. unde postea (ed. Lutet. M. Orry 1604.) *ΗΘΙΩΝ* factum. De Molorcho qui veteres ante Callimachum dixerint, non constat. Fortasse iam recondita tempore Callimachi fabula fuit. Certe quod eius tam frequens apud poetas recentiores, latinos, mentio est, quam vidimus frequentem esse, id totum Callimacho deberi existimo, cuius scripta, Aetia maxime, doctis illustrata Theonis et Epaphroditi commentariis, quasi quidam thesaurus mythorum atque antiquitatum etiam Romanis paullo doctioribus fuere. Ut Hecalen monui quibus nota fuerit, iis e Callimacho fuisse notam.

Tam similes fabulas, Molorchum et Hecalen, quum idem poeta tractaverit, illam prius, quae mea est de temporibus carminum Callimachi sententia, in Aetiis, postea Hecalen, quaerat

aliquis, quomodo curaverit Callimachus, ne ipse sui nimis videretur similis, aliisque repetitione earundem rerum molestus. Ad eam quaestionem facilis parata responsio est. Primo de Molorcho narrationem in Aetiis totam brevem fuisse, si compareiur longitudo Hecales. Deinde fuit in Molorcho proprium ei fabulae illud de ariete, cui parcere iubebatur pauper hospes; fuit, si recte conieci, de vino coque multo; de epulis rusticis, olivis, serpyllo, soncho, crethmo, aliis, ea fuisse diligentia expositum, quam videbimus in Hecale, nihil est quod suadeat.

Fuerunt alia celebrata a poetis mythographisque hospitia. Ut quod Tibullus iuxta Molorchum commemorat, Icari s. Icarii Erigonaeque: de quo Nonnus lib. XLVII. alibi. Tum Celei et Metanirae Triptolemique, de quibus idem Nonnus non uno loco. Partem fabulae de Celeo et Metanira ipsi minime ignotae (Alexiph. 130. Ther. 486.), maxime κυκεῶ illum, Nicander Ἑτεροιουμένων libro IV. ad Mismen quandam traduxerat: Antonin. Liberal. XXIV. Ovid. Metam. V. 438. sqq. ibique Argumentum vetus, in quo: *Ceres — aestu torrida ad casam cuiusdam anus nomine Mismes devenit.* Nota Baubo. Phytali Cereri (Pausan. I. 37, 2.), Phytalidarum Theseo experta hospitalitas. Pelasgi, qui Cererem exceperat: Pausan. I, 14, 2. Mysii, qui eandem: Pausan. II. 18, 3. 35, 4. Lycaonis, Tantali, Phlegyarum, quos congerit Nonnus libri XVIII. initio. Ut taceam Hyrieum (Nonn. XIII. 97.), Amphictyonem (Pausan. I. 2, 5.), et Cadmi (Nonn. II. 666. V. 119. sq. VIII. 233.) et Pelei nuptias. Nobis nunc ea tantum exempla memorabilia, quibus aliquid peculiare, quo ad fabulam Hecales accedant propius. Sic Staphyli fabulae apud Nonnum lib. XVIII. ea conformatio est, ut Nonno Callimachum et Hecalen in animo fuisse ista fingenti credibile sit. Staphylus, qui quidem iam ante Perseum exceperat (v. 290. sq.), Bacchum magnifice acceptum dimittit; ipse, dum Assyriam peragrat Bacchus, moritur: 327. sqq. Bacchus sero redit, μνῆστιν ἔχων Σταφύλοιο φιλοστόργοιο τραπέζης (336.), mortuum invenit, lugentes propinquos consolatur; in honorem mortui ludos musicos celebrat, lib. XIX. Qua opportunitate similiter conformata inseritur fabula Celei, XIX. 80. sqq. Celeus, hospes Cereris, mortuus; Ceres νεοδμήτῳ παρὰ τύμβῳ consolans Triptolemum, Metaniram.

Deinde quae paupertate ac tenuitate hospitii similia hospitio sunt Hecales. Et Celei Metaniraeque fortunam, quae splendida secundum veteres poetas, ad humilitatem ac paupertatem solus fortasse Ovidius depressit, Fast. IV. 507. seqq. v. maxime 509. sq. et 545. *Mox epulas ponunt, liquefacta coagula lacte, Pomaque, et in teneris aurea mella favis.* Pauper Misme anus. Tenuitatem coenae Icariae indicat Nonnus XLVII. 39. *ὀλίγῃ ξείνισσε τραπέζῃ*, sed non moratur ea in re. Aptiora sunt ad Hecalen, quae Ruhnkenii felix diligentia adhibuit: Philemon et Baucis Ovidii lib. VIII. et Bronchus, Bacchi hospes, apud Nonnum XVII. 37. seqq. Vid. de Philemone et Baucide Ruhnkenius in Epist. crit. II. p. 186. ad Call. Fragm. 237. et 246. itemque ad Call. h. Iov. 22. et rursus in Callimacho Ernestii ad Fragm. CCCCLIX. ubi obiter Casauboni errorem et Nic. Heinsii castigat, qui Baucidis mentionem apud Callimachum in *Αἰτίοις* fuisse dixerant. De Broncho idem in Epist. crit. II. p. 179. ad Call. Fr. 50. Et hoc quidem certum puto, obversatam esse tum Ovidio tum Nonno Hecalen Callimachi. Quam recte Ovidius hoc vel illud ex Hecale *transtulisse* ad Philemonem et Baucidem dicatur, dubium est. Nos ordinem maxime rerum, quem observat Ovidius, sequuturi sumus in ordinandis fragmentis Callimachi. Nonnum, quem imitatorem Callimachi, hoc est verborum Callimachi, aliunde novimus, *plura* ex Hecale ad Bronchum *traduxisse*, facilius crediderim. Neque mirabitur quisquam, quod Hecales nullam mentionem faciat Nonnus, sed Molorchum proferat exempli caussa. Potuit Nonnus Molorchi exemplo uti, quoniam aptius virum comparari cum viro, quam cum femina hospite, et nihilominus res, verba, mutuari ex Hecale Callimachi. Cum Molorcho commune Broncho est, quod uterque parcere iubetur, ille arieti, hic ovi. Nonnus: *ὄϊν δ' ἄψαυστον ἐάσας, ποιμενίην τινὰ δαῖτα θελήμονι θῆκε Λυαίῳ, τεύχων δεῖπνον ἄδειπνον ἀδαιτρεύτοιο τραπέζης, οἷα Κλεωναίοιο φατίζεται ἀμφὶ Μολόρχου, κεῖνα, τάπερ σπεύδοντι λεοντοφόνους δι' ἀγῶνας ὥπλισεν Ἡρακλῆϊ.* Quamquam Bronchum Nonnus aliquanto locupletiorem Molorcho facit, qui unicum habebat arietem; et Philemone, qui unicum anserem.

Apud Callimachum modesta domus sive casae cum supellectile sua humilitas, tum coenae apparatus simplex et rusticus, sed

mundus, cum accurata singulorum ferculorum etiam eorum, quae tritissima, minutissima, enumeratione, imaginem praebebant suavissimam, in qua luculenter eminuisse ingenium inprimis aptum talibus rebus Callimachi credibile est. Ne nimis horridum hospitium, victum supra modum vilem fuisse putes, ipsa illa rerum, ad apparatum coenae, quantumvis tenuem, pertinentium copia, quam testantur fragmenta, admonet. Deinde pauperem dici Hecalen, mendicam vel egentem non dici, neque in egentem cadere, quod de nota viatori omni hospitalitate Hecales ipse tradit Callimachus, observatum est in Prolegomenis p. 24. Quare nimium dicunt, ut unum alterumque commemorem, Turnebus Advers. I. 15. XXVI. 7. C. Rhodiginus L. A. XXX. 11. Meursius in Theseo c. 10. quum *mulierem pauperrimam*, *anum pauperrimam*, *anum admodum pauperem* dicunt. Nunc, quando de eleganti tabula Callimachea nihil nisi fragmenta supersunt, non pauca quidem illa, sed disiecta, et ex quibus difficile est unam cuivis intuenti perspicuam imaginem efficere, circumspicientibus exemplum, quod umbram quasi artis Callimacheae exhibeat, practer elegantem Ovidii narrationem de Philemone et Baucide, Moreti maxime commendo iucundam in re tenui diligentiam atque ubertatem. Tum Germanis facile in mentem veniet idyllium tripartitum I. H. Vossii. Hinc est quod Hecalen proximam fuisse tenuitati ac suavitati poesis bucolicae dixi. Ea observatio duplex est. Nam et pars carminis haec, in qua nunc constitimus, tota naturam generis bucolici habet, et argumenti heroici, quale est devictus a Theseo taurus Marathonius, cum humili scena, deverticulo agresti, more rustico coniunctio, admodum felix illa, singularem efficiebat totius carminis proprietatem virtutemque. Similis res in carmine Theocriti XXV. cui aptam appellationem, epos bucolicum, Hermannus invenit. Quamquam nec ab antiqua poesi epica heroum cum hominibus rusticis congressiones, et vitae pauperum imagines alienae fuerunt.

Addat aliquis cogitando trepidam sedulitatem, blanda verba bonae hospitae. Quarum rerum omnium testimonia vel vestigia supersunt, coniecturae ope, quae tamen fallere potest, in ordinem redigenda.

Primo salutatum in via Theseum introduxit in tugurium, rude

illud haud dubie, et sine arte factum (*οἶκον ἄοικον*, ut Bronchi domum Nonnus), quod ipsa verba Callimachi, *καλιή*, et *τέγος*, paullo ante explicatum, loquuntur; et considere iussit. Fragm. CCXXXVII.

τὸν μὲν ἐπ' ἀσκάντα κάθισεν.

Confidenter hoc statuo, ex more antiquo. Odyss. XIV. 48. *ὣς εἰπὼν κλισίηνδ' ἡγήσατο δῖος ὑφορβός· εἷσεν δ' εἰσαγαγών, ῥῶπας δ' ὑπέχευε δασείας· ἐστόρεσεν δ'* etc. Ovidius VIII. 639. *Membra senex posito iussit relevare sedili; Quo superiniecit textum rude sedula Baucis.* Fragmentum illud ad Hecalen retulit, Ovidiumque admovit Ruhnkenius Epist. crit. II. p. 186. Quod apud Etymologum legitur: — *Καλλίμαχος· καὶ τὸν μὲν ἐπ' ἀσκάντα κάθισεν* (ut editum a Boissonadio Callim. p. 115.), unde Sylburgius coniiciebat: *καὶ τὸν μὲν ἐπ' ἀσκάνταο καθίσας, καί* fortasse corruptum est ex *Ἑκάλη*. Formam doricam *ἀσκάντα* quod attinet, illustrant se invicem tuenturque *ἀσκάντα* et Fragm. CCCIV. *ἀράχνα*, quod recte Toupius Emendd. in Suid. P. III. Vol. II. p. 257. (I. p. 483. Lips.) et Ruhnkenius Epist. crit. II. p. 187. pro genitivo accipiunt dorico. Ausa vides Callimachi.

Nostra nunc diaetetice eundo calefactum, vel alia vehementiori corporis commotione, statim bibere vetat, ne repente refrigeretur. Cuius cautionis etsi nullum ex poetis antiquis exemplum recordor, tamen providam curam Hecales decere videtur ad Theseum, quum ardens siti ex itinere potum arriperet, hoc est aquam, ut puto, admonitio:

ἴσχε τέκος, μὴ πῖθι.

Fragmentum Callimachi nuper ex libello *περὶ βαρβαρισμοῦ καὶ σολοικισμοῦ* in codice Paris. 2552. a Boissonadio Anecd. Gr. Vol. III. p. 239. ex eodem libello in codice Baroceiano a viro docto in Museo Philologico Cantabrig. N. IV. Novemb. 1832. p. 113. erutum. Verba sunt Grammatici: *Περὶ τὰς ἐγκλίσεις, ὡς παρὰ Καλλιμάχῳ· Ἴσχε τέκος, μὴ πῖθι. προστακτικὴ ἀντὶ τῆς ὑποτακτικῆς* (ap. Boissonadium: *ἀνθ' ὑποτ.*) *τῆς μὴ πίῃς.* Et vera haud dubie Boissonadii sententia est, quem ibidem edidit, Herodianum *περὶ σολοικισμοῦ*, p. 256. verbis his: *ὑποτακτικὸν, μὴ πίῃς*, idem significare fragmentum Callimachi. Ex Hecale autem fragmentum esse, viri docti Angli coniectura est. Cui

illud non placuerit, is aliam excogitabit occasionem. Veluti ut bibere Theseum vetet, antequam ipsa condimento aliquo miscuerit aquam.

Accedo ad locum periculosum, lubricam coniecturam. Fortasse Hecale Theseo non eo se loco, in quo tum habitabat, natam, sed aliunde advenisse, et divitem se olim fuisse narrabat. Nova res atque inaudita. Id tamen ut moliar, Fragmentum maxime CCCCXXVIII. facit, ut auctum est a Buttmanno. Quod quum ante uno vocabulo *κολωνάων* constaret, quod ipsum vocabulum quomodo accipiendum esset non satis liquebat ex verbis Suidae: (*Κολωνάων, καὶ Νησάων. παραλόγως ἐχρήσατο Καλλίμαχος. οὐ γὰρ παράγεται ἀπὸ τῆς κολώνης, ἀλλ' ἀπὸ τοῦ κολωνοῦ*): nunc plura exstant in Scholiis cod. Ambros. Q. ad Odyss. XIV. 199. *Ἐκ μὲν Κρητάων. ἀπὸ τοῦ Κρῆται. καὶ τὰς Ἀθήνας γὰρ ποτὲ ἑνικῶς ποτὲ πληθυντικῶς ὀνομάζει. τοῦτο δὲ ζημιώσας* (*ζηλώσας* emend. Mai.) *ὁ Καλλίμαχος τὸν Κολωνὸν ἑνικῶς καὶ πληθυντικῶς εἶπεν· ἐκ μὲν Κολωνάων τις ὁμέστιον ἤγαγε δῆμον τῶν ἑτέρων.* Annotat Buttmannus: *Sola hucusque e Suida vox Κολωνάων inter fragmenta num. 428. relata erat. In fronte ἐκ με fortasse fuit, in calce ἑτάρων. Scena ut vides in Attica est; quare ad Hecalen refero.* Recte postremum, de Hecale. Semel colligam argumentationis, qua et ante nos alii fragmenta Callimachea non pauca ad Hecalen revocarunt, et nosmet ipsi revocare alia solemus, capita partesque. Quod primum est, quum magnam fuisse Hecales Callimacheae apud Grammaticos celebritatem, multum usum, certum sit, de quo in Prolegomenis p. 13. monitum, nullum est hexametro versu scriptum fragmentum, iis exceptis, quae alius titulum poematis prae se ferunt, in quo non quaestio se ac suspicio offerre possit, et vero debeat, an sit ex Hecale desumptum. Quaestioni pondus accedit, acuiturque suspicio, ubi fragmentum videas, quod aut gravitate aliqua naturam carminis epici referat, ut *ἀμάρτυρον οὐδὲν ἀείδω*, et *καὶ τὰ μὲν ὡς ἤμελλε μετὰ χρόνον ἐκτελέεσθαι;* aut quod ad longam et continuam narrationem pertinere appareat. Nullum enim longius Hecale carmen fecit Callimachus. Quae pertineant ad longam narrationem fragmenta, saepe magis sensu percipitur quam rationibus demonstratur. Sed sunt tamen

huius quoque rei satis certa indicia quaedam. Ut quum non poetam narrantem, sed loquentes personas audimus poetae. Sermones enim longiori maxime narrationi proprii sunt. Conficit rem, si quid cernitur in fragmento, quod facile ad notam nobis proprietatem Hecales vel ad Thesei res eas, quae sunt cum historia Hecales coniunctae, referatur. Ea multa sunt, non omnia comprehendenda hoc loco, sed cognoscenda sparsis per disputationem nostram exemplis. Veluti Fragmentum CCCCXXVIII. eo vindicatur Hecalae, quod scena, ut verbis utar Buttmanni, in Attica est. Eodem argumento illud, *Λιμναῖοι δὲ χοροστάδας ἦγον ἑορτάς*, etiam ante repertum codicem Ravennalem, ad Hecalen referre aliquis e coniectura poterat. Quae ad res factaque Thesei fragmenta pertineant, et docui exemplis, ut illo: *πέδιλα, τά μὴ πύσε τήχετος εὐρώς*, et mox docebo aliis, ubi ad Episodia perventum erit, Cap. VI. Denique fundamento facto, hoc est, concepta atque adumbrata ex his fragmentis, quae probabili indicio quodam ad Hecalen revocantur, et ex illis, quae esse ex Hecale testimonio constat, carminis Callimachei partiumque eius imagine, etiam ea inseri fragmenta, in quibus nullum proprium indicium, modo apta sint narrationis a to adumbratae seriei et continuationi, licet: sed modeste, et ut fatearis incerta te loqui, et esse illa etiam aliis locis apta. Fallax coniectura est; ac fortasse etiam inter illa, quae confidentius adscripsi ad Hecalen, unum alterumque est, quod iniuria adscripsi. Sed tamen persuasum fere est, si quando futurum sit, ut eruatur ipsum integrum carmen Callimachi, quod non fiet: sed si fiat, eorum quae addere neglexerim, numerum inventum iri maiorem horum numero, quae iniuria addidi. Haec ad commendandam partem coniecturae Buttmannianae primariam, qua Hecalae vindicat Fragmentum CCCCXXVIII. De emendatione eius addubito. Eandem fecerat, *με* pro *μέν*, et *ἑτάρων*, quod sero me docuit Gaisfordius in Addendis Suidae, Porsonus his verbis: *Locum Callimachi suppeditat ineditus Homeri scholiastes ad Od. ξ. 199. Ἔκ με Κολωνάων τις ὁμέστιος* (sic) *ἤγαγε δήμου Τῶν ἑτάρων. Codicis scripturam Ἐκ μὲν — τῶν ἑτέρων leviter emendari.* Verissime *με*: *ἑτάρων* addubito. Mihi hoc:

ἔκ με Κολωνάων τις ὁμέστιον ἤγαγε δήμου

τῶν ἑτέρων,

si est ex Hecale, nemo dicere potuisse, nisi ipsa Hecale, videtur. Alium qui ibi fuerit cum Hecale et Theseo tertius, non habemus. Theseus autem, de quo cogitasse Buttmannum, eaque de caussa *ἑτάρων* coniecisse suspicor, non potuit, si quid video. Nam neque cur *e Colono* se venire dicat Theseus, apparet; neque quis fuerit *ἕταρος* ille, liquet. Atque disertius hoc dicturus fuisset poeta, ni fallor: non sic obscure, *τῶν ἑτάρων τις*. Ut taceam minus accurate *ὁμέστιον* dici de eo, qui semel, ut Theseus, ad aliquem locum accedit. Fortasse non *ἑτέρων*, sed *δήμου* tentandum est. Hoc modo:

ἔκ με Κολωνάων τις ὁμέστιον ἤγαγε δαίμων
τῶν ἑτέρων.

ex Homero Odyss. VII. 248. *ἀλλ' ἐμὲ τὸν δύστηνον ἐφέστιον ἤγαγε δαίμων οἶον*. et XIV. 386. *ἐπεί σε μοι ἤγαγε δαίμων*. XXIV. 149. *καὶ τότε δή ῥ' Ὀδυσῆα κακός ποθεν ἤγαγε δαίμων*. Callimachus Lav. Pall. 81. *τίς σε — χαλεπὰν ὁδὸν ἄγαγε δαίμων*. Nonnus XLIV. 265. *Ἀκταίην δὲ μάχαιραν ἀπ' Ἀττίδος ἤγαγε δαίμων*. Tryphiodor. 420. *τίς σε πάλιν, κακόμαντι, δυσώνυμος ἤγαγε δαίμων*. *τῶν ἑτέρων* ita accipio, insolenter sane dictum, ut significet *hos alios*. *ὁμέστιος* vocabulum post Callimachum frequentat Nonnus. *συνέστιος* apud Apollonium, Oppianum, et rursus Nonnum; *παρέστιος* Callim. Fragm. CCCCXI. Apollon. Oppian. *ἐφέστιος* post Homerum Apollonius et Oppianus saepe, tum alii. Cum genitivo illud construit Sophocles: *Δωδῶνι ναίων Ζεὺς ὁμέστιος βροτῶν*. Haec si vera sunt, narrabat Hecale se e Colono cum in locum, quem habitabat, qui postea nomen ab ipsa traxit, devenisse.

Divitem olim fuisse colligas ex Fragmento LIa.*

δινομένην ὑπὸ βουσὶν ἐμὴν ἐφύλασσεν ἅλωα.

Quod fragmentum nemo, puto, in Hecale poneret, nisi diserte afferretur ex Hecale. Nunc, quum hoc certum sit; deinde quum praeter ipsam Hecalen nemo sit, quem hoc dixisse de sua area coniicias: nisi Theseum dicere statuas: coniectura nascitur, de pristino loqui Hecalen tempore, quo arcam habuerit et opus facientes in ea boves, lactioremque eo hospitalitatem exercuerit. Sane boves habuisse sive Aegeum sive Theseum, eosque suo

tempore occupatos in area, quam suam dicere posset Theseus, fuisse, partim Plutarchi Thes. c. 30. testimonio constat, partim credetur sine testimonio. Verum quo sententiarum nexu in Hecale Theseus dixerit: *δινομένην ὑπὸ βουσὶν ἐμὴν ἐφύλασσεν ἅλωα*, non liquet. Versum multi laudant, multumque variant, sed ut nihil extrices, quod praestet repraesentatae a me scripturae Ernestianae vel potius Ruhnkenianae. In Etymologico M. erat, et est, *δινομένη περὶ βουσὶν ἐμὴν. ἐφύλαξεν ἅλωα.* quod tenet in ed. Graevii Bentleius, solo ille Etymologico M. usus. *δεινουμένην ὑπὸ βουσὶν ἐμὴν ἐφύλασσον ἅλωα* Suidas v. *Δεινουμένην* T. I. ed. Kust. p. 533. I. p. 905. ed. Gaisf. ubi *δινουμένην* primum proposuit Portus, at Gaisfordius Suidam certe in capite glossae *Δεινουμένην* reperisse monet. *δινομένην περὶ βουσὶν ἐμὴν ἐφύλασσεν ἅ.* Etymol. Ms. Leid. apud Valckenarium Epistt. Tittmann. p. 50. Ernestius ex eodem *ἐφύλασσον* laudat. *δινωμένην περὶ β. ἐ. ἐφυλάσσατ' ἅλωα* Lexicon MS. Bibl. Reg. Paris. apud Ernestium. cui simile ex parte, quod Choeroboscus in Theodos. Anecd. Bekker. III. p. 1440. habet: *δινωμένην περὶ β. ἐ. ἐφύλαττον ἅλωά.* Suidam adhibet, Kusterum qui *θεινομένην* voluerat, refutat, et *δινομένην* approbat tueturque Hesiodi auctoritate, tum in alia digreditur Ruhnkenius Epist. crit. II. p. 179. Qua in disputatione quid displicuerit vel dubium fuerit Valckenario, velim doceri. Is enim ubi attingit hoc fragmentum Epistt. Tittm. l. l. ita scribit, scilicet respiciens haud dubie tum primum editam (a. 1751.) Epistolam crit. II. Ruhnkenii: *Hic a Ruhnkenio Nostro diversum sentiebam, sed Elegantissimo iuveni nolim obniti.* Alibi Valckenarius eam disputationem cum laude commemorat: ad Herodot. II. 14. Hesiodi locus ususque verbi *δινέμεν* non prorsus idem est qui Callimachi, sed satis illustrat Callimachum. *Ἐργ.* 595. *δμωσὶ δ' ἐποτρύνειν Δημήτερος ἱερὸν ἀκτὴν δινέμεν, — — χώρῳ ἐν εὐαεῖ καὶ εὐτροχάλῳ ἐν ἀλωῇ.* ubi Proclus: *τὸ γὰρ δινέμεν ἐστὶ τὸ περικυκλοῦντας καὶ περιελαύνοντας τοὺς βόας ἐν αὐτῇ τὰ θέρη τρίβοντας ἀλοᾶν.* Pro *τὰ θέρη* Ruhnkenius *τοὺς ἀθέρας* legi iubebat. mihi potius *ἐν αὐτῇ* suspectum, et *ἐν ἀλωῇ* restituendum ex Hesiodo videbatur: at neque hoc opus est. Qui alibi ex more poetarum epicorum antiquiorum *ἀλωήν* dicit, Aratus, semel v. 941. (209.) *ἅλωα*, ut

Callimachus et Nicander Fragm. III. 1. (Athen. IX. p. 369. C.) κυλινδρωτῆς ἐφ' ἅλωος. Addaeus Ep. I. (Anth. Pal. I. p. 271.) ἅλωος, cum var. script. ἅλωνος, ut est ἅλωνι apud Antipat. Sid. CXI. (Anth. Pal. I. p. 366.) Quis fuerit, qui ἐφύλασσεν, apud Callimachum, dubium. An servus? Tale quid obversabatur Eldikio Suspic. Spec. c. IV. qui fragmentum Callimachi comparat ad illa Tibulli I. 5, 21. *frugumque aderit mea Delia custos, Area dum messes sole calente teret.* Nunc quum de servo eo nihil constet, aliam explicationem anquiro. Consentaneum est *Cereris* nomen suppleri, Δημήτηρ, Δηώ. Areae praeest Ceres. Theocritus VII. 155. βωμῷ πὰρ Δάματρος ἀλωάδος· ἇς ἐπὶ σωρῷ etc. ubi alteram quoque formam Schol. commemorat, ἀλωΐς. ibid. 33. μάλα γάρ σφισι πίονι μέτρῳ ἁ δαίμων (Ceres) εὔκριθον ἀνεπλήρωσεν ἀλωάν. Officium Deae ἀλωάδος luculenter describit Homerus Iliad. V. 499. ὡς δ' ἄνεμος ἄχνας φορέει ἱερὰς κατ' ἀλωάς, ἀνδρῶν λικμώντων, ὅτε τε ξανθὴ Δημήτηρ κρίνῃ ἐπειγομένων ἀνέμων καρπόν τε καὶ ἄχνας. quos versus Orpheus Fragm. p. 511. (Lobeck. Aglaoph. I. p. 423.) suos fecit. Cf. Oppianus H. IV. 497. sqq. Maximus v. 507. Hesychius: Εὐαλωσία, Δημήτηρ, ὅτι μεγάλας τὰς ἅλως ποιεῖ καὶ πληροῖ. ubi Ruhnkenius ex Orphei hym. XXXIX. 5. Cereris epitheton ἀλωαία comparat. Alia ad significationem vocis ἀλωή alteram latiorem, qua ipse agri culti universi ambitus et sata significantur, revocanda sunt. Sic apud Nicandrum Ther. 113. ἀλώϊα vel ἀλῷα ἔργα manifesto opus messoris significant. Eodemque spectat haud dubie Nonni ἀλώϊος Δηώ, XXX. 68. vel potius, ex emendatione Graefii, ἀλωϊάς sive ἀλωϊάς. Vere emendasse Graefium Ioannis Gazaei exemplo probo, v. 658. (II. 300.) Θαλυσιὰς-καρποφόρος Δήμητρος ἀλωϊάς. Itaque hoc epitheto omnia, metendi opus, inferendi in ἅλω quae proprie dicitur, atque exterendi, comprehendi videntur. εὐρυάλωος Δηοῦς quum dicit Nonnus VII. 82. nihil nisi latos agros significari putem propter similia εὐρυάλωος ἀρούρης IV. 409. XXXIX. 139. et εὐρυάλωος κώμης, χώρης, Evang. Io. XI. 31. XII. 1. et εὐρυάλοιο γαίης XI. 55. Haec sufficiant de Dea ἀλωάδι, quae nobis illam Hecales ἅλωα, si fuit Hecales, *custodivisse* videtur.

Quum semel inter incerta verser, non verebor periclitari

in versu obscurissimo poetae anonymi apud Suidam v. *Κοκκύαι*: *ἀφ' ὑμέων κοκκύῃσι καθημένη ἀρχαίῃσι.* ubi Portus coniicit: *πὰρ δ' ὑμέων κοκύῃσι καθημένη ἀ.* Toupius, *εὐφήμως κοκύῃσι παρημένη ἀ.* ut de modesta virgine sermo sit. Iacobsius in *ἀφ' ὑμέων* poetae nomen, *Εὐφορίων*, latere suspicabatur: quem sequutus est Meinekius Fragm. Euphor. CLVI. Sane talem quendam poetam, qualis Euphorio, decet *κοκκύαι* s. *κοκύαι* vocabulum. Quid si Callimachus sit? Conicio:

ὑμείων κοκύῃσι καθειμένη ἀρχαίῃσι,

a vobis descendens priscarum aviarum serie. Verba Hecales ad Theseum, quibus significat se ex prisca antiquissimorum Atheniensium stirpe esse. *ἀφ'* apud Suidam fortasse explicationis caussa additum. Ibi igitur illud quoque esse potuit, aliud Hecalae nomen proprium fuisse, ut conieci, sed dubitanter, p. 103. Et de pristina nobilitate aliquis argumentetur aliquid ex eo, quod *ἡρωῒς* ab Etymologis Suidaque appellatur. Verum illa non tuta argumentatio, quia ad explicandam *ἡρωΐδος* appellationem sufficiunt, quae de honore Hecalae post mortem habito traduntur. Et omnino teneri velim, quod praefatus sum: quicquid de pristina conditione, laetiore illa, Hecales disserui, coniecturam esse mihimet ipsi incertam. Aliquid tentandum erat, ut explicationem invenirem fragmentis, quae esse ex Hecale partim testimonio constat, partim probabili argumentatione efficitur, LI. a*. et CCCCXXVIII. Et tentandum, quod in se probabilitatem haberet: quale est, nisi fallor, hoc meum. Callimachi esse versum, quem postremo loco tractavi, ap. Suid. v. *Κοκκύαι*, etiam Toupius aliquando coniecerat, ut nunc intelligo ex verbis eius, quae publicavit Gaisfordius ad Suid. v. *Κυμαίνει*. Omnino recte Toupius, sicubi non notum aliunde fragmentum poetae, sed docti poetae, videt, statim quaerit, an sit Callimachi, vel etiam Apollonii: v. Emendd. in Suid. P. II. Vol. I. p. 315. (T. I. p. 209. Lps.) et apud Gaisfordium in Suid. v. *Ἔαρ* et v. *Περίθριξ*. De Apollonio non tam explorata res est. De Callimacho sentiebat cum Toupio Ruhnkenius.

Denique quae *suam* quondam *aream* memorasset, etiam *suum aratrum* memorare posse videbatur. Fragm. CCCCXXXV. *οἵ κεν βρωσείοντες ἐμὸν παρίωσιν ἄροτρον*, cum explicatione Toupii

Addend. in Theocrit. p. 395. Cui explicationi non multum obstat, quod dicitur ἡ γέρανος. Sed abstinendum est, et properandum eo, ubi pede magis certo ingredi liceat.

Credibile est excusavisse Hecalen paupertatem suam, tenues epulas. Ut aliquid excusationis praefatur Eumaeus Odyss. XIV. 58. et 80. Ibi insero versum anonymi, quem admodum felici coniectura Ruhnkenius Epistt. Tittm. p. 21. Callimachi esse et ex Hecale divinavit, apud Suidam v. Λιμός:

γαστέρι μοῦνον ἔχοιμι κακῆς ἀλκτήρια λιμοῦ.

Cf. Suid. Ἀλκτήρια λιμοῦ. Recepit inter Fragmenta Callimachi Blomfieldius, CCCCXC. Thesei verba, respondentis ad excusationem Hecales, vel antevertentis paranti excusationem Hecalae. Apud Ruhnkenium memoriae lapsu, ut puto, ἀλκτήρια νούσου legitur. Quod per se minime displiceret. νοῦσος enim recte fames, non solum illa inexpleta Erysichthonis Callim. h. Cer. 68. sed omnis fames diceretur, ubi addita γαστέρος mentio: ἀλκτήρια νούσων, sed de morbis proprie dictis, Nicander Alexiph. 350. et νόσων ἀλκτήρια Ther. 528: ἀλκτήρια νούσων Nonnus Evang. Io. III. 14. cf. ἀλκτήριον XIII. 4. ubi tamen θελκτήριον Hermannus, et Dionys. XLV. 348. κακῆς ἀλκτήρια χάρμης Quintus Smyrn. IX. 121. XI. 424.

Ut apud Ovidium postquam considere deos iusserunt Philemon et Baucis, proximum Baucidi est, ignem excitare in foco, eodem ordine, ut puto, processit Hecale Callimachi. Fragm. CCCCLIX*. ex Etymol. MS. Bibl. Leidens.

παλαίθετα κᾶλα καθῄρει.

cum annotatione Ruhnkenii: *Hecale vetusta ligna, quibus in foco uteretur, de strue aut aliunde detraxit. Imitatus est Ovidius Metam. VIII. 644. de Baucide.* Verba sunt Ovidii: *ramaliaque arida tecto Detulit.* Non statim extrico, an idem sit liber Etymol. Ms. Bibl. Leidens. et Glossarium Ms. Vossianum, ex quo eadem vel prorsus similia annotata sunt in schedis Ruhnkenii Epistt. Tittmann. p. 103. sq. Quum non omnibus praesto sint Epistolae illae, apponam quae ibi referuntur e Glossario Ms. Vossiano: *Καλόστροφος· σχοινόπλοκος. Κᾶλον γὰρ τὸ σχοινίον. ἴσως ὅτι ἀπὸ τοῦ φλοιοῦ ξύλον τὸ πρῶτον ἐπετηδεύθη· κᾶλον γὰρ τὸ ξύλον εἴρηται, ἀφ' οὗ καλόπους, τὸ λεγόμενον καλοπό-*

διον. Καλλίμαχος Ἑκάλῃ· παλαίθετα κᾶλα καθῄρει. Neque negligendus, quo Ruhnkenius utitur, Suidas: Κᾶλα παλαίθετα. ξηρὰ ξύλα, ἐκ πολλοῦ ἀποτεθέντα χρόνου. κᾶλα post Callimachum et Callimacho antiquiores, sed eos non multos, Orpheus Arg. 313. Eandem in rem habile est Fragmentum CCLXXXIX.

ξύλα δανὰ κεάσσαι.

Ovidius l. l. *Multifidasque faces, ramaliaque arida tecto Detulit, et minuit, parvoque admovit aeno.* Veluti sic: iussit Hecale ancillam ξύλα δανὰ κεάσσαι. Si ancillam habuit Hecale, de quo statim. Verum quum eadem verba, ξύλα δανὰ κεάσσαι, apud Homerum Odyss. XV, 322. exstent, quaeritur, quo iure ea Callimacho Suidas v. Δανά attribuat. Et Kusteri quidem, itemque Ruhnkenii Epistt. Tittm. p. 103. sententia erat, errare Suidam, et Callimacho male tribuere, quod Homeri esset. Altera est Ernestii opinio, Callimachum hoc hemistichium ex Homero in sua duxisse. Et sane potuit accidere, ut quod ex Homero tamquam primo auctore deberet, id ex imitatore Homeri Callimacho laudaret grammaticus. Eadem dubitatio olim, ante editos a Cramero Ἐπιμερισμοὺς Ὁμήρου, in Fragmento CCCXVI. fuit. Suidae adđatur Zonaras p. 470. Verum tamen is quod et ipse *Callimachum* citat, nullum novum pondus addit: nam e Suida, vel ex proximo Suidae fonte, hausisse Zonaram, illud fidem facit, quod eodem modo perversa ordine verba Zonaras laudat, quo sunt apud Suidam, sic: δανὰ ξύλα κ. Anna Fabri p. 166. (p. 368. ed. Ern.) quum e *Constantino* laudat eadem, non, quod aliquis opinetur, Constantinum Lascarin, sed Roberti Constantini Lexicon intelligit.

Differebat aliquid Hecalen inter et Philemonem Baucidemque Ovidii, quod quum apud Ovidium bipartitum sit munus hospitii, ut ignem incendat Baucis, at Philemon olus colligat ex horto, quod deinde Baucis truncat foliis, et sic alia, apud Callimachum Hecale ista omnia peregisse sola videtur. Et in Moreto ille, dum ipse in mola occupatus est, Cybalen vocat, atque *arsura focis imponere ligna Imperat, et flamma gelidos adolere liquores:* v. 37. cf. v. 50. An Hecale quoque ancillam habuit? Non negaverim, etsi quae eius rei indicia invenire tibi in fragmentis videaris, perquam tenuia sunt. Cf. mox ad Fragm. CLXXVIII. et CCLXXXII.

Humilitati casae cibique tenuitati mox describendae haud dubie respondebat admodum modesta supellex. ἀσκάντην posuimus supra. Sed credibile est alia adfuisse eiusdem modi. Qualia recenset Ovidius, tum Petronius in descriptione similis casae, eo loco ubi mentionem facit Hecales.

Cibum quod attinet, hoc pono tamquam certum, non appositam esse carnem recentem. Atque hoc illud, in quo cernebatur tenuitas mensae Hecaleae. Puto quod non haberet Hecale vaccas, oves, capellas, nisi forte lactis caussa. Fuit igitur τράπεζα Hecales ἀναίμακτος, quo vocabulo Nonnus utitur XVII. 62. εἰλαπίνην ἐλάχειαν ἀναιμάκτοιο τραπέζης, de victu, quo Bacchus nutritus fuerat apud Cybelen. et alio sensu Sibylla quae dicitur, VIII. v. 402. τούτῳ θὲς καθαράν τε ἀναίμακτόν τε τράπεζαν. Vel ἀδαίτρευτος, quod Nonni vocabulum eandem in sententiam interpretor, ut cibi proprietas significetur eius, in quo non opus ut dividatur, h. e. dissecetur. Nonnus XVII. 51. τεύχων δεῖπνον ἄδειπνον ἀδαιτρεύτοιο τραπέζης, de Broncho, qui ovi parcere iussus erat; XL. 419. αὐτὰρ ὁ θυμὸν ἔτερπεν ἀδαιτρεύτῳ παρὰ δείπνῳ, scil. Bacchus apud Astrochitonem, qui nectar et ambrosiam apponit; Evang. Io. XXI. 15. ἰχθυόεν μετὰ δεῖπνον ἀδαιτρεύτοιο τραπέζης. Dignum Callimacho foret hemistichium: ἀδαιτρεύτοιο τραπέζης. Cf. similiter dictum ἀβακχεύτοιο τραπέζης Evang. Io. II. 3. Apponam alia, quae Nonnus suam in rem, hoc est, Bronchi in epulas, transtulisse e Callimacho videatur. Ac primum quod scribit XVII. 39. Βάκχον ἀνὴρ ἄγραυλος ἐρημάδι δέκτο καλιῇ, et quod v. 59. φιλοξείνῳ δὲ νομῇι, in mentem revocat illud Callimacheum, φιλοξείνοιο καλιῆς. Deinde haec sunt haud indigna Callimacho vocabula: v. 45. εἴδασιν οὐτιδανοῖσι, καὶ ἀγραύλοισι κυπέλλοις; scil. lactis, et quidem caprini. v. 50. ποιμενίην τινὰ δαῖτα. v. 59. ἀγρονόμων λιτὰ δεῖπνα. v. 60. ὀλίγης ἔψαυσε τραπέζης, ut ὀλίγῃ ξείνισσε τραπέζῃ de Icario XLVII. 39. v. 62. εἰλαπίνην ἐλάχειαν ἀναιμάκτοιο τραπέζης. v. 67. ἀλλ' ὅτε Βάκχος ἄναξ νομίης ἐκορέσσατο φορβῆς. v. 81. νομίης τραπέζης. Non dico haec in Hecale fuisse omnia; unum alterumque fuisse coniicio. Ut ἐλάχεια, quod apud Homerum et Homeridas vix ter, non sine varietate scripturae, at apud Nonnum decies reperitur, deceret Callima-

chum, cuius aliud ausum est (Fragm. CCCXLIX.) ἐλαχύς. Sed aliquid tamen carnis apposuisse Theseo Hecalen, ingeniosa coniectura erat, partim ex Ovidio ducta, partim in fragmento quodam Callimachi innitens, Ruhnkenii. Fragmentum est CCXLVI: δίχροον φῖτρον ἀειραμένη. quod Ruhnkenio Epist. crit. II. p. 186. ex Hecale sumptum, ad Philemonem transtulisse videbatur Ovidius ita: *furca levat ille bicorni Sordida terga suis, nigro pendentia tigno.* Simulum in Moreto non habuisse pernam diserte monetur v. 56. 7. atque ita monetur, ut intelligas paupertatis esse testimonium, quod non habuerit. Habuit die profesto Ofellus. Hecale potuit habere, potuit non habere. Mihi de coniectura Ruhnkenii unum dubitationem iniiciebat hoc, quod admodum apta pentametro viderem verba δίκρον φιτρὸν ἀειραμένη. Sin hexametri fuerint, in Hecale, ita disponenda esse apparet:

δίκρον
φιτρὸν ἀειραμένη.

Nam δίκρον scribendum est, ut est in Fragmentis a Vulcanio collectis et apud Annam Fabri p. 354. ed. Ernest. non δίκροον; cf. laudati Ruhnkenio A. Heringa Observ. p. 107. ibique Nicand. Ther. 228. Toupius Anim. in Schol. Theocrit. p. 217. tum recentiores, Brunckius ad Apoll. Rhod. IV. 1613. Schaeferus ad Schol. Apoll. Rhod. praef. p. XV. sed quod ibi p. 26. legitur e cod. Paris. enotatum, δὲ κρὰς vel δικράς, alio modo emendandum haud dubie. Nobis Toupius maxime memorandus, qui ex Etymologo in v. Μίκκος hoc protulit, ad ipsum illum Callimachi locum referendum: φιτρὸς δίκρος, τὸ φουρκίον. Alia significatione generali φιτρός, φιτροί, apud Homerum, Apollonium, Orpheum in Argonauticis.

Initium coenae factum ab olivis putem. Ut initium Ovidius facit: *Ponitur hic bicolor sincerae bacca Minervae, Conditaque in liquida corna autumnalia faece, Intubaque, et radix.* Iam de olivis ex parte tam perspicue Callimachus, ut nihil dubites, appositas fuisse integras, conditas sale, vel etiam tum, quum apponebantur, natantes in muria. Fragm. L.*

γεργέριμον πίτυρίν τε καὶ ἣν ἀπεθήκατο λευκὴν
εἰν ἁλὶ νήχεσθαι φθινοπωρίδα.

Nonnus XVII. 54. 5. manifesta imitatione, quam monstravit Epist.

crit. II. p. 179. Ruhnkenius: *χύδην δ' ἐπέβαλλε τραπέζῃ εἰν ἁλὶ νηχομένης φθινοπωρίδος ἄνθος ἐλαίης Βρόγγος.* De duobus apud Bentleium testimoniis Suidae in v. *Γεργέριμον* et v *Φθινόπωρον*, alterum in *Φθινόπωρον* nunc delevit Gaisfordius. *γεργέριμον* rursus commemorat Suidas in *Ἐλάα*: — *ὅτι τὴν ἐν τῷ δένδρῳ πεπανθεῖσαν ἐλάαν γεγέριμον* (libb. Gaisf. *γιγέρημον*, *γεγέριμον*) *ἔλεγον· παρ' ἡμῖν δὲ ῥουπάταν.* hoc postremum emendant *δροῦπαν*. cf. Suidas in *Δρύππα* et *Δρυπέπης*, ubi e Cornelio Longo (Anal. Br. II. p. 200. Anth. Palat. I. p. 246.) *τὴν θ' ἁλίπαστον δρυπεπῆ*, et a Kustero Glossa laudatur haec: *Γεργέριμος· ἐλαία μέλαινα.* Non negligendum, quod in Anthologia Palatina ante epigramma Cornelii Longi proximum est, eodem argumento, epigramma Gaetulici (Anal. Br. II. p. 166.): *καὶ ταύτην ἀπέτηλον ἁλινήκτειράν ἐλαίην.* quod Suidas interpretatur *τὴν ἐν ἁλὶ νηχομένην.* Reputet velim lector me hac maxime in parte Hecales consistere in iis, quae ad explicationem Callimachi sufficiant, non arripere quicquid ad res, quas attingit Callimachus, aliquo modo referendum aut veteres scriptores docent aut interpretes illorum viri docti afferunt. Sic probe recordor, quae ad olivas *κολυμβάδας*, *ἁλμάδας*, alias, pertinentia Athenaeus II. p. 56. interpresque Athenaei Schweighaeuserus disputant. Unde hoc tantum delibo, quod Coraës observat, muria conditas et feniculo olivas Graecos etiamnum nosse et *κολυμβητὰς ἐλαίας* appellare. Deinde quas praeter eam, quam diserte distinguit, *κολυμβάδα*, olivas alias commemorat Callimachus, *γεργέριμον πίτυρίν τε*, quod apparandi modum attinet, *θλαστάς* fuisse, vel *στέμφυλα*, credibile est. Coniungit *ἐλάας* et *στέμφυλα* Anaxandrides Athen. IV. p. 131. E. Iuvat interdum etiam parva in re ostendere, quam sibi similis atque constans sermo sit Callimachi. Verborum nexu simile Fragmento L. hoc est hymno in Del. 21. *Σαρδὼ θ' ἱμερόεσσα, καὶ ἣν ἐπενήξατο Κύπρις ἐξ ὕδατος τὰ πρῶτα.* et 267. *πίονες ἤπειροί τε, καὶ αἳ περιναίετε νῆσοι.*

Aderat

ἑρπυλλος, vel potius *ἕρπυλλος*,

Fragm. LX*. ex Schol. Nicand. Ther. 909. *Τοῦ δὲ ἑρπύλλου μέμνηται καὶ Καλλίμαχος ἐν τῇ Ἑκάβῃ ἢ Ἑκάλῃ.* Et

σόγχος,

κρῆθμος,

Fragm. LXIII*. LXIV*. Et de his, *soncho* et *crethmo*, admodum luculentum Plinii est testimonium. Utinam qui fragmenta Hecales afferunt alii, eadem diligentia non solum Hecales fragmenta esse, sed quo in loco Hecales fuerint, docerent. Verba sunt Plinii XXII. 22. (44.) *Estur et sonchos, ut quem Theseo apud Callimachum apponat Hecale, uterque albus et niger, lactucae similes ambo*, etc. XXVI. 8. (50.) *Eadem vis crethmo ab Hippocrate admodum laudatae. Est autem inter eas quae eduntur silvestrium herbarum. Hanc certe apud Callimachum apponit rustica illa Hecale: speciesque est batis hortensiae. — Estur crudum coctumve cum olere, — Servatur etiam in muria.* Cf. XXV. 13. (96.) *Crethmos agrios.* Unde mihi κρῆθμος placuit. Apud Galenum tamen κρῆθμον est. Est etiam κρηθμόν (de qua varietate prosodiae Bachmann. ad Lycoph. 238.) et σόγχος apud Hesychium, incertum utrum e Callimacho, an e Nicandro Ther. 909. et Georgicor. fragm. V. (Athen. IX. p. 371. C.) ubi σόγκος. Vilia edulia, ut videbitur: ne cui nimis vilia ac nimis minuta videantur, intuborum apud Ovidium, et intubi aliarumque herbarum in rustica coena Lucilii lib. V. meminerit, et lactucae, cui quidem sonchos similes esse Plinius scribit. Et quae alia vel ex uno Theophrasto cognoscas, magnam in cibis inveniendis industriam Graecorum pariter ac saepe contentam parva re famem testantia, λάχανα. Sic longam λαχάνων seriem habes in coena Apellis apud Ammianum Epigr. XX. (A. P. T. II. p. 440.) ubi Iacobsius Animadv. Vol. II. P. III. p. 143. de olere, cibo etiam Romanis vilissimo, nonnulla exempla habet: Iuvenalis XI. 78. *Curius parvo quae legerat horto Ipse focis brevibus ponebat oluscula* etc. et Ofellum Horatii Serm. II. 2, 116. *Non ego — temere edi luce profesta Quicquam praeter olus, fumosae cum pede pernae.* Magis pauper quam Ofellus, et quam Apelles iste, qui tamen multitudine olerum nescio quam prae se ferebat luxuriam, auceps Babrii Fab. IX. (XVIII. ed. nup.) coenaturus erat θύμβραν καὶ σέλινα, quum superveniente hospite, de perdice, mansueta illa, et de gallo gallinaceo cogitare coepit. Cf. Leonidas Tar. LV. (A. P. T. I. p. 531.) Rursus θύμβρα in mentem

revocat illum Petronii locum: *quas fumoso suspensa tigillo conservabat opes humilis casa, mitia sorba — et thymbrae veteres, et passis uva racemis.* Alia temperantiae Atheniensibus maxime consuetae, et carpi solitae in Atheniensibus, exempla, qui volet, apud Athenaeum in libro secundo p. 60. videat, et lib. quarto p. 130. sqq. Unde satis habeo excerpsisse proverbii in modum dictum Antiphani IV. p. 130. F. Ἕλληνες μικροτράπεζοι, φυλλοτρῶγες, et iam congesta a Marklando ad Eurip. Suppl. 864. de *soncho* testimonia Antiphanis II. p. 60. D. Matronis ibid. p. 64. C. Hegesandri VI. p. 250. E. Cf. Theophrastus Hist. pl. VI. 4, 8. cum obss. Schneideri, et laudatus Harduino ad Plinium Galenus de simpl. medic. fac. lib. VIII. T. XII. Lips. p. 128. Ἕρπυλλον et κρῆθμον coniuncta, sed alium in usum, apud Nicandrum Ther. 909. habes. Praeterea ἕρπυλλον commemorat idem Alexiph. 274. Ther. 67. 533. Fragm. II. (Athen. XV. p. 683. F.) 40. Inter edulia ἕρπυλλος est, iuxta corna, punica, papaver, pira, olivas, apud Anaxandridem Athen. IV. p. 131. E. Ad κρῆθμον memorabilis est Schneideri in Lexico gr. observatio, etiam nunc χρίθμον herbam habere Graecos, eaque vesci. Et Hecales mensam inprimis decent facile parabilia undecumque λάχανα τῶν αὐτοχθόνων. Nisi ex hortulo quodam suo profecerit. Cf. si placet, de hortis priscae simplicitati gratissimis atque utilissimis nobile Plinii XIX. 4. (19.) testimonium. Sed fere persuadent laudati ante Plinius et Galenus, sonchum et crethmum non hortensia fuisse, sed agrestia, ἀρουραῖα s. ἄγρια, olera. Atque hoc fortasse est, propter quod Casaubonus ad Athen. VI. p. 250. E. Anim. p. 437. scribit, sonchum fuisse *inter vilissima olera.* Quod apud Plinium XIX. 4. (19.) legitur, *acetaria* vocabulum, cum explicatione Salmasii, eius fortasse aliquis ad nostram disputationem usus est. Scilicet quo ista modo apparata ab Hecale fuerint, serpyllum, sonchus, crethmus, fortasse ab eo pendet, qua anni tempestate Theseum ad Hecalen venisse statueris: de quo ego nihil habeo nisi propositam Cap. III. extr. in Fragm. CLXXX*. opinationem meam. Ergo, quae est non inusitata Theophrasto distinctio, aut ἑφθὰ fuerunt aut ὠμά. Si non cocta, et fortasse simplicitati huius coenae convenit, nihil coxisse Hecalen praeter illud, quod paullo post videbimus: aut cruda appo-

sita fuerunt, ut erant recens collecta, statim edenda, fortasse ex aceto. Aut, quo ducunt olivae muriaticae, et Plinii de crethmo verba, *Servatur etiam in muria:* ἁλμαῖα haec quoque, i. e. postquam per longius temporis spatium in muria, vel aceto, recondita fuissent: qualia, post ἁλμάδας ἐλάας κολυμβάδας, ex Nicandri Georgicis recenset, hiemis maxime in usum destinata, Athenaeus IV. p. 133. D. E. Quam aliam mixturam Nicander in eodem Georgicorum libro ap. Athen. IX. p. 371. C. describit, in qua σόγκος est, utrum decoquenda fuerit, an alio modo apparanda, ambigo. Hic inserendum fortasse Callim. Fragmentum CCCC. ex Plinio, cuius haec XXV. 13. (106.) verba sunt: *Erigeron. Nomen hoc Graeci dederunt, quia vere canescit. Caput eius numerosa dividitur lanugine, qualis est spinae, inter divisuras exeunte. Quare eam Callimachus acanthida appellat, alii pappum. Nec deinde Graecis de ea constat.* In λαχάνοις numeratur a Theophrasto Hist. pl. VII. 7, 1. Comprehendam omnia versu: σόγχον . . . . . κρῆθμόν τ' ἠδ' ἑρπυλλον, ἀκανθίδα τ' ἠριγέροντα. Ita enim interpretor Plinium, non ut quem ceteri ἠριγέροντα, eum Callimachus ἀκανθίδα appellaverit, sed ut ἀκανθίδα epitheton fecerit. Non obstat genus, ὁ ἠριγέρων. Denique Callimachi haec: ἦχι γέγεια ἄνθεα μήκωνός τε Fragm. CCLII. huc illuc versavi, an vellent commoda se praebere ad hanc coenae Hecaleae partem. Sed nihil efficio. Illud sane probabile est, quod emendatione effecit Bentleius, certe nihil inventum a quoquam melius emendatione Bentleiana scio: Callimachi esse tam hoc quam quod praecedit apud Etymologum: ἠ ῥ' ὅτι τῶς ὁ γέγειος ἔχει λόγος. Et fortasse ex eodem opere utrumque. Quod in hoc: ἦ ῥ' ὅτι τῶς ὁ γέγειος ἔχει λόγος, nescio quid epicae indolis animadvertere tibi videaris, id non tantum est, ut Hecalae adiudicari debeat, Aetiis nequeat.

Praeter olivas et praeter herbas s. olera aliquid Hecalen apposuisse amplius, sponte intelligitur, et recte viri docti, Toupius, Ruhnkenius, fragmenta alia circumspexerunt, quibus locupletaretur huius tenuis, sed in tenuitate amplae coenae descriptio. Igitur huc revocarunt Toupius Emendd. in Suid. P. V. Vol. III. p. 182. (II. p. 287. Lps.) itemque Ruhnkenius Epist. crit. II. p. 185. et Epistt. Tittm. p. 20. fragmenta haec, unum Calli-

machi, CLXXVIII.

αὖϑις ἀπαιτίζουσαν ἐτνῶν εὐεργέα λάκτιν.

alterum anonym. apud Suidam v. Κνμαίνει (Fragm. Blomf. CCCCLXXVIII.)

αἶψα δὲ κνμαίνουσαν ἀπαίνυτο χυτρίδα κοίλην.

Et *pultem* quidem sive ἔτνος, sive qua alia appellatione utaris, datam Theseo esse, tam probabile est quam quod maxime. Quodsi alio quodam cibo opus erat, quo satiaretur Theseus, ut fuit opus haud dubie, nullum aptiorem esurienti viatori cibum, nullum qui magis deceat conditionem hospitae, excogitaveris. Priora, olivae, et herbae istae, non satiaverant: de quibus fere id sentiendum esse censeo, quod de lactucis scribit Plinius: *Est quidem natura omnibus refrigeratrix, et ideo aestate gratae stomacho fastidium auferunt, cibique appetentiam faciunt.* Athenaeus IV. p. 133. A. Ἐχρῶντο γὰρ οἱ παλαιοὶ καὶ τοῖς εἰς ἀναστόμωσιν βρώμασιν, ὥσπερ ταῖς ἁλμάσιν ἐλάαις, ἃς κολυμβάδας καλοῦσιν. et similiter paullo post de ἁλμαίᾳ illa Nicandri. Itaque hoc facile credam, aliquid pultis simile adfuisse. Et credam sine diserto testimonio. Quod enim testimonium hanc in rem ex Fragmento CLXXVIII. petas, id non ab omni parte certum tutumque, si quidem ibi ἐτνῶν nihil nisi emendatio Ruhnkenii est, approbata Ernestio. Bentleius in edit. Graevii ex Etymologico corrupte:

αὖϑις ἀπαιτίζουσαν ἔκνων εὐεργέα λάκτιν.

quod Casaubonus emendaverat ἐῆν, Anna F. ἔγνων; Bentleius: *Nescio an legendum sit, αὖϑις ἀπαιτίζουσα νέην εὐλάκτιν: novam truam.* Ruhnkenius, ut dixi, ἐτνῶν: in quo neque numeri pluralis usus idoneus videtur, quod Toupius l. l. sentiens ἔτνους singularem substituit; et displicet minime necessaria in hoc vocabulo correptio prioris syllabae. Correptionis lex Callimachea, quantum ex Hymnis colligitur, haec fuit. In extremis vocabulorum syllabis vis positionis negligitur saepissime, ut in his quae partim sunt auribus elegantiae Homericae assuetis satis durae correptiones, in hymno Iovis: ἐνὶ χρῶτα, ἐγγύϑι Κνωσσοῦ, ἄϊδι κλῆρον, διὰ πλεῖστον. Etiam ante μν, in illo celebrato a Grammaticis τὼς μὲν ὁ Μνησάρχειος — Fragm. XXVII. de quo praeter laudatos Bentleio Hephaestionem, Hortos Adonidis, et Pris-

cianum, cf. loci Prisciani alii apud Gaisfordium ad Hephaestionem p. 17. ed. Lips. Theodosius et Choeroboscus in Bekkeri Anecd. III. p. 1176. et Theodosius Goettling. p. 42. In mediis vocabulis, si Epigrammata excipias, quorum maior licentia est, rarissima correptio. Exempla annotavi a multo tempore, sed non putem multo plura esse: h. Iov. 74. *ἴδρις* priori correpta, h. Del. 241. *κεκρυμμένα*, h. Cer. 36. *ὁπλίσσας*. *ἀλλοτρίῳ* h. Dian. 176. h. Cer. 85. et *Τρινακρίη* h. Dian. 57. (ubi al. *Τρινακίη*) non numero, ut in quibus necessaria correptio. et h. Del. 201. ubi vulgo *κατέφλεξας*, secunda correpta, incertum quid a manu Callimachi fuerit. Eadem res in Fragmentis. In Fragm. CXIV. 2. *ἱκνεῦμαι* priori correpta, in metro dactylico lyrico. Fragmentum CCXXIII. ita concipiendum esse, ut a Bentleio conceptum Valckenario in Callim. Eleg. Fragm. p. 296. placuit, probabile est: *τοῦ τε μεθυπλῆγος φρδίμιον Ἀντιλόχου*, inserta *τε* particula, non *τοῦ μεθυπλῆγος* secunda correpta. Ex Fragmento CCXLVI. correptionis quae possit esse suspicionem, *δίκροον*, paullo ante sustulimus. Post haec periculosum videbitur, correptionem inferre e coniectura velle in Callimachum, et in Hecalen, cuius carminis cur maior hac in re licentia fuisse quam Hymnorum putetur, caussa nulla est. Quare aliam corrupto loco medicinam expeto. Ac mirum, quod ea difficilis ad inveniendum sit, quum tam paucae sint litterae, in quibus mendum latet. Mihi difficiliore aliquo et minus noto vocabulo opus esse videtur, quod fallere librarium potuerit, non tam planis atque expeditis *ἑήν*, *νέην*. Coniicio:

αὖτις ἀπαιτίζουσ' ἀκέων εὐεργέα λάκτιν.

iterum petens sine voce, **h. e. nutu,** ***bene fabricatam truam.*** **Accipio de Hecale, quae truam porrigi sibi ab ancilla iubet. Sano nihil obstat, quominus ancillam fuisse Hecalae statuas. Vel potius probabile est fuisse ancillam tam late hospitalitatem exercenti, cuius officiis, etiamsi non in omnem viatorem eo modo officiosam fuisse, quo se praebuit Theseo, sed plerosque parvo** *ξενίῳ* **donatos dimisisse statuas, ipsa, vetula, vix potuit sola sufficere. Ad rem recordor Moreti v. 92.** ***Et clara famulam poscit mortaria voce.*** **At Hecale truam non** ***clara voce***, **sed** *ἀκέων*. **Nescio an aliis placeat, mihi valde placet Hecale, qualem emendatio**

nostra sistit, tota intenta in ollam suam; tacens, ut nutu tantum gestuque illud, quod requirebatur ad opus, posceat. ἀκέων, ut Homerus loquitur. Favet nonnihil coniecturae nostrae, quod Bentleius ex ipso Etymologico non ἀπαιτίζουσαν, ut est in exemplo Sylburgii Lipsiensi, et in Veneta 1549. sed ἀπαιτίζουσα laudat, sic: ἀπαιτίζουσα ἔκνων. At ex quo Etymologici exemplo? An e Commeliniano Sylburgii? In Veneta quam dixi etiam magis vitiose ἔκνον legitur. Elisionem in ἀπαιτίζουσα, non multum usurpatam, si bene memini, a Callimacho, tamen tuebitur exemplum ex hymn. in Cer. 66. ἁ μὲν τόσσ' εἰποῖσ' Ἐρυσίχθονι. τ. π. et simile φιλέοισ' in Fragm. LII*. Sed invitus, fateor, sustuli tam bellam caesuram trochaicam αὖτις ἀπαιτίζουσαν. Quibus ἐτνῶν placebat, vel ἔτνους, de constructione differebant. Ruhnkenius, puto, ἐτνῶν λάκτιν iungi simpliciter volebat; Toupius ἔτνους εὐεργέα, pultis confectricem truam, iusto artificiosius. Callimachus haud dubie iunxerat εὐεργέα λάκτιν, ut facit Nicander Ther. 108. 9. ἔπειτα δὲ λάζεο τυκτὴν εὐεργῆ λάκτιν. et rursus idem Ther. 708. εὐεργεῖ μάκτρῃ, si forte vera haec scriptura sit, cuius memoria in scholiis: nunc ibi λαεργεῖ exhibetur, quod et ipsum norunt scholia. Observavit Casaubonus, Nicandro in significatione vocis λάκτις convenire cum Callimacho. Scilicet λάκτιν, quum alibi *pistillum* significaret, Callimacho *truam* esse, explicatio Etymologi, τορύνη, et Suidae altera statim proferenda, ζωμήρυσις, docent; ad Nicandrum autem ita scholia: λάκτις δὲ ὁ λεγόμενος παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς ἀλετρίβανος· νῦν δὲ λέγει τὴν τορύνην, τὸ κίνητρον. Etymologo testimonium addendum Suidae est, Callimachum respicientis: Λάκτιν. τὴν λεγομένην κώταλιν, [ἢ] τορύνην. ὅ ἐστι ζωμήρυσιν. εὐεργέα λάκτιν.

Praeterea αὖτις scripsi. αὖτις legitur h. Iov. 21. Lav. Pall. 141. h. Cer. 69. Fragm. CXCV. et quos locos Index Aunae F. monstrat, in quibus vulgo αὖθις legitur, h. Del. 99. 148. 320. Fragm. CXIII. in iis omnibus libri scripti, iique, ut puto, meliores, αὖτις offerunt. Quod ad h. in Del. 320. nihil eiusmodi annotatum, oblivione factum Ernestii arbitror, quem v. ibid. vs. 148. Moneo, ne forte aliquis eam Callimacho observatam differentiam inter αὖθις et αὖτις opinetur, de qua Ammonius p. 27.

Iam etsi sublata emendatione Ruhnkenii nulla diserta ἔτνους mentio restat, semper manet talis cuiusdam ferculi, quale est ἔτνος, index λάκτις. Leguminum, quae fuit usitatissima ἔτνους materia, nullum indicium, quod huc pertineat, in fragmentis Callimachi. Sed quid si leguminum loco frumentum sumpserit Hecale, e. g. hordeum? Fortasse hic recte reponetur Fragm. CCXXXII.

εἰκαίην, τῆς οὐδὲν ἀπέβρασε φαῦλον ἀλετρίς.

Cuius fragmenti etiam Zonaras p. 250. meminit: Ἀποβράσματα, τὰ πίτυρα παρὰ Καλλιμάχῳ· τῆς οὐδὲν ἀπέβρασας φαῦλον ἀλετρίς. Prorsus ut est apud Suidam in Ἀποβράσματα: — τῆς (e libb. Gaisf.) οὐδὲν ἀπέβρασε φ. ἀ. Eodem refero Schol. Aristoph. Pac. 258. καὶ ἀλετρὶς ἡ μυλωθρός, παρὰ Καλλιμάχῳ, non ad Hymnum in Del. 242. ut ibi statuunt Spanhemius, Ernestius. Cum Scholiasta Aristoph. convenit Suidae in Ἀλετρίβανος. ἀλετρίς est, post Homerum, apud Nicandrum Fragm. IV. (Athen. IX. p. 372. F.) 5. ἔνθα τε μέτρῳ ὄσπρια παντοσπερμηδὸν ἐπεγχεύησιν ἀλετρίς. ἔβρασε verbum non usitatum veteribus poetis epicis, si recte memini, apud eundem Alexiph. 25. εἰκαίῃ sc. κοίτῃ apud eund. Ther. 78. εἰκαίης sc. γαίης Ther. 394. Igitur videndum an haec ita ordinanda sint. Apparavit Hecale ἔτνος s. pultem. Primum sumpsit intulitque frumentum, fortasse κριθήν,

εἰκαίην, τῆς οὐδὲν ἀπέβρασε φαῦλον ἀλετρίς.

Coquitur. Ad finem properante opere rursus poscit, cuius iam ante usus fuerat, λάκτιν:

αὖτις ἀναιτίζουσ' etc.

Et versat. Tum statim aufert ab igne foci ollam:

αἶψα δὲ κυμαίνουσαν ἀπαίνυτο χυτρίδα κοίλην.

κυμαίνουσαν, h. e. in qua bulliebat iamque minabatur exitum ἔτνος. Suidas ita: Κυμαίνει. ταράσσει. καὶ ἐπὶ τοῦ ζέειν· αἶψα δὲ etc. Dum lego χυτρίδα κοίλην, nescio quo modo in mentem venit e Nicandri fragmento paullo ante laud. περιχανδέα χύτρον. vel χύτραν.

Haec multum probabilitatis habent, mihi quidem; et fortasse habebunt aliis. Pro certis non vendito, praesertim quum de tribus, quae eam in rem coniunximus, fragmentis nullum diserto

testimonio referatur ad Hecalen, et de uno ne hoc quidem constet, an sit Callimachi. Si tamen ita placuerit, licebit dubio per se fundamento aliud superstrui etiam magis dubium. Ac primum quod aliquis observet, condimento aliquo opus fuisse in pultem, ego minime nego, adfuisse condimentum: fragmentum Callimachi eam in rem nullum praesto est. Ipse quum primum accessissem ad mensam Hecales accuratius cognoscendam, versaremque omnes in partes omnia, de herbis cogitare coepi, quae adhibitae condimenti caussa fuissent, et fortasse illa, ἕρπυλλον, σόγχον, κρῆθμον, vel partem eorum, condimenta fuisse pultis. Quam in rem Plinio XXI. 17. (62.) utebar, de una herbarum earum, quae sunt in mixtura illa Nicandri, ubi σόγχου vel σόγκου mentio, ap. Athen. IX. p. 371. C. D. de ornithogale, testante: *coquitur in pulte.* Et cocto haud dubie ferculo hiemali e cucurbitis, fungis, et contritis leguminibus, in Nicandri fragmento ante laudato IV. Neque obstaret, si quid video, Plinius: cuius verba quidem, supra prolata, hoc loquuntur, ut sonchum atque crethmum per se singula apposita esse existimes: sed accidere potuit ex innumeris excerptis contexenti spissum opus, ut obiter annotata ex Hecale σόγχον et κρῆθμον singulatim memoraret, illud, coniuncta fuisse in unum, ut condimento essent, negligeret. Nunc meliora his et certiora sunt, quae supra proposui: id quod de soncho maxime apparebit comparantibus, praeter Plinium, locos ibi laudatos Antiphanis et Hegesandri. Verum alia est pultem quod attinet, opinatio mea, cui tantum tribuo, ut eam taceri nolim. Odoranti ac pervestiganti quae fragmenta Callimachi ad coenam Hecales apta sint, offertur Fragm. CCV.

καὶ κρίμνον κυκεῶνος ἀποστάζοντος ἔραζε.

e Tzetze in Lycoph. 607. qui ad verba *καὶ κρίμνα χειρῶν* ita: *κρίμνα* (vel *κρίμνον*), *εἶδος κριθῆς. νῦν δὲ τὸ ἀπόσταγμα* (e libris; vulgo erat *ἀπόστομα*) *τοῦ κυκεῶνος λέγει, ὡς καὶ Καλλίμαχος· καὶ κρίμνον* etc. Addo Etymologum, qui ad Callimachum manifesto respicit: *Κρῖ· λευκόν, σημαίνει τὴν κριθήν. ἢ ἀπὸ τοῦ κριθὴ γέγονε κατὰ ἀποκοπήν· ἢ ἀπὸ τοῦ κρῖμνον τοῦ σημαίνοντος τὸ παχὺ τοῦ ἀλεύρου, ὁμοίως κατὰ ἀποκοπὴν κρῖ· ἔστι γὰρ κρῖμνον καὶ γένος κριθῆς. σημαίνει δὲ καὶ τὸ ἀπόσταγμα τοῦ κυκεῶνος.* Scholion Bachmanni unum in

Lycoph. l. l. *καὶ τὰ ἀποστάζοντα τοῦ κυκεῶνος ἐκ τῶν χειρῶν.* Apposui explicationes grammaticorum, ut addubitarem, vel ut interpretarer ambigue scripta. *κρίμνον*, sive *κρῖμνον*, quum varie usurpetur, tamen, quod et etymologia suadet, et usus scriptorum, nisi fallor, omnium confirmat, ubique frumentum, maxime hordeum, vel aliquid de hordeo, significat: ut locis, quos Suidas v. *Κρίμνον* indicat, Leonidae et Babrii. Quare non potest ad *κυκεῶ* relatum significare, quod docere grammatici videntur, quicquid *ἀπὸ τοῦ κυκεῶνος* destillat; multo etiam minus *liquorem*, ut vertitur in fragmento Callimachi: sed haud dubie de parte *κυκεῶνος* hordeacea accipiendum est. Et quum alii *κρίμνον* s. *κρίμνα* interpretantur *κλάσμα*, ut Etymologus Gud. p. 347, 37. non omne *κλάσμα* intelligendum putem, sed *κλάσμα* rei ex frumento factae, e. g. panis: quemadmodum germanice *brocken* dicitur. Est *κρῖμνον hordeum* apud Nicandrum in Georg. Fragm. I. (Athen. III. p. 126. C. D.) ubi Athenaei non negligenda paraphrasis. Callimachi fragmento fortasse accommodatissima est explicatio vocis ea, quae in Scholiis Hom. Iliad. V. 196. *κρίμνον δὲ τὸ λεπτὸν ἄχυρον τῆς κριθῆς.* Ita enim acceperim Callimachum: *κυκεῶ*, dum coquitur ac fervet, eiaculari *κρῖμνον*, i. e. *τὸ λεπτὸν ἄχυρον τῆς κριθῆς.* *ἀποστάζοντος* haud dubie significatione quae dicitur activa: cf. h. Apoll. 39. h. Dian. 118. Nunc dicendum, quo consilio ita explicatum fragmentum hoc loco inseruerim. Coniectura mea est, agi verbis hisce, *καὶ κρῖμνον κυκεῶνος ἀποστάζοντος ἔραζε*, de eo quod paullo ante *ἔτνος* sive pultem appellavimus Hecales. Id iam *κυκεῶ* appellari malim, vocabulo magis poetico, quippe multa vetustate sancito. Et quantumvis spissum, tamen ita comparatum fuisse puto, ut biberetur. Sane bibitur Homericus *κυκεών*: idemque fere vocabuli eius usus apud recentiores poetas observatur, Apollonium IV. 157. Nicandrum Alexiph. 129. et in fabula Mismes, Orpheum Arg. 323. 329. Nonnum V. 273. XXII. 77. XLVII. 88. Quo rusticus Hecales *κυκεὼν* ab Homerico, aliis, differt, hoc est, quod, ex hac quidem mea explicatione, coctus fuit. Res non inaudita. Quem Graeci, Homerus, Nicander, coctum fuisse non dicunt, aut negant, nobilissimum Cereris *κυκεῶ*, Ovidio Romano Metam. V. 450. coctus dicitur: *lymphamque roganti Dulce dedit, tosta quod*

coxerat ante polenta. Aqua coxisse suum κυκεῶ Hecalen, et quae addita ad frumentum condimenta, simplicissima fuisse, non est quod dubites. Haec si probabiliter disputavi, proximo loco ante Fragm. CLXXVIII. inseri poterit hoc Fragm. CCV. καὶ κρῖμνον κυκεῶνος ἀ. ἐ. Ac bene conveniet his, καὶ κρῖμνον κυκ. ἀ. ἐ. ut est a nobis κρῖμνον explicatum, cum illis: . . εἰκαίην, τῆς οὐδὲν ἀπέβρασε φαῦλον ἀλετρίς.

Satis amplam, ut pro conditione Hecales, coenam apparavimus Theseo. Vidimus quae acuerent appetentiam cibi, titillarentque palatum, olivas. Herbas s. olera. Vidimus quem κυκεῶ dixi, qui si satis spissus fuit, non solum siti exstinguendae idoneus, sed ventri κακῆς ἀλκτήριον λιμοῦ usque ad satietatem fuit. Desideratur *panis.* Eum ipsis Callimachi verbis praesto, feliciter, ni fallor, in unum coniunctis Fragmentis tribus CCCCLIV. CLVII. CXC.

ἐκ δ' ἄρτους σιπύηθεν ἅλις κατέθηκεν ἑλοῦσα,

. . . .

οἵους βωνίτῃσιν ἐνικρύπτουσι γυναῖκες,

δείελον αἰτίζουσιν, ἄγουσι δὲ χεῖρας ἀπ' ἔργου.

Fragmentum CCCCLIV. ex Hecale esse, coniectura est Ruhnkenii, qui illud primus e Lexico MS. Bibl. Reg. et ex Apollonio eruit. Cum Lexico MS. Paris. convenit Zonarae Tittmanni p. 1645. Ad σιπύην cf. Iacobs. in Leonid. Tar. Ep. IX. Animadv. Vol. I. P. II. p. 71. add. Leonid. Ep. XIII. A. Pal. I. p. 285. ὀλιγησιπύου. Ad Fragm. CLVII. Boissonadii p. 202. annotatio est: Οἵους, *nempe* ἄρτους. Iam habes ἄρτους, ex mea versuum compositione. Callimachum respicit Suidas: Βουνιτῇσι. τοῖς βουκόλοις. τοῖς βοηλάταις. ubi memorabilis est, Albertio ad Hesych. v. Βωνίτας observata, dialecti varietas, βουνιτῇσι vel βουνίτῃσι, quum sit β ω ν ί τ ῃ σ ι ν apud Etymologum, β ω ν ί τ α ς apud Hesychium. Cum Suida facit MS. Coisl. ap. Gaisf. Zonaras: Βωνίτης. ὁ βουκόλος. Fortasse βωνίτῃσιν, dorice, propterea maluit Callimachus, quod aliud vocabulum βουνίτης, (Panis epitheton ap. Zonam IV. Anal. Br. II. p. 81. Anth. Pal. I. p. 221.) alia significatione, a βουνός, exstare recordaretur. Quamquam neque hoc incredibile est, formam primitus doricam, βωνίτης, multo ante Callimachum tempore in communem receptam usum fuisse. Ut dubites, an hoc

non pertineat ad dorismum Callimachi, de quo Cap. IV. p. 105. Valde insolenter Euphorio in poemate dialecto communi poetica scripto haud dubie, Mopsopia, Fr. XXVII. *βωσίν* ausus est, dorice, pro communi et Homerico *βουσίν*, recordans fortasse non satis opportune *βῶν* Homericum. si tamen vera est emendatio Meinekii: vulgo apud Choeroboscum *βῶν* legitur sine metro. Ad vocabulum *βωνίτης* Albertius l. l. Kusterus, itemque Ruhnkenius in Epistt. Tittm. p. 102. alteram quoque glossam Suidae *Βώνυσοι* referunt. In Etymologico autem Gudiano p. 118, 33. *Βωνίτης, γῆ βωτιανείρη, παρὰ τὸ βῶ* etc. error est et duarum glossarum confusio: cf. Etymol. Magn. v. *Βωτιάνειρα.* At enimvero, ut fateamur quod verum est, in voc. *βωνίτης* s. *βουνίτης* neque de significatione neque de origine vocis ita constat, ut nihil dubites. De significatione dubitasse grammaticos, discas ex Hesychio: *Βωνίτας. τοὺς ἐν ἀγρῷ. οἱ δὲ βουκόλους, ἢ ἀγροίκους.* Originem illi quotquot *βουκόλους* vel *βοηλάτας* interpretantur, a nomine *βοῦς* repetere videntur. Quaeritur, quo iure. Certe *βουνίτης, βωνίτης*, multo facilius multoque usitatius a *βουνός, βοῦνις* quam a *βοῦς* fiet. Itaque hoc fere sentio, *βουνίτης* s. *βωνίτης* vocabulum, originem quod attinet, nihil differre ab altero illo *βουνίτης* Panis epitheto; significare autem Callimacho *τὸν ἄγροικον.* Quomodo autem hoc significare possit, non satis liquet. Et fortasse ausum est Callimachi, a *βοῦνις terra* facientis *βουνίτην* s. *βωνίτην agricolam.* At ipsum *βοῦνις terra*, quantum nobis quidem constat, debili auctoritate nititur. Est quidem apud Etymologum p. 208, 3. *Βοῦνις, καὶ βουνῖτις, ἡ γῆ*, et apud Hesychium *Βουνίς. γῆ.* sed utrumque ad Aeschylum Suppl. 117. 128. 776. referendum haud dubie, ubi non *terram* in universum significari, sed eam quae *βουνούς, colles*, habeat, nunc communis est interpretum sententia. Schneiderus Lex. v. *Βωνίτης* in Callimacho *βωλίτῃσιν* tentabat. In Fragmento CXC. neque Valckenarii in Callim. Eleg. Fragm. p. 295. emendatione, sed admodum modeste proposita, *ἔχουσι*, neque Buttmanni puto opus esse, qui ad Schol. Hom. Odyss. XVII. 599. ex corrupta Eustathii in eund. locum scriptura, *δειελίην αἰτίζουσιν*, eruebat *δειελίην αἰτοῦσιν.* Mihi *δειελίην* Eustathii nihil videtur nisi vitium esse, ortum fortasse ex praeced. *δειλινῆς τροφῆς.* Non

intelligo, unde sibi persuaserit Buttmannus, *αἰτίζειν* ubique et necessario *mendicare* esse. Nam ita disputat, *αἰτοῖσιν* scribendum esse, non *αἰτίζουσιν*, quia homines operarii cibum sibi debitum non *mendicent*, sed *poscant*. Ut saepe de mendicando dicatur *αἰτίζειν*, et sane dicitur tam ab Homero quam ab aliis, atque ipso Callimacho h. Cer. 116. tamen non semper, neque necessario. Vidimus paullo ante *ἀπαιτίζουσα*: cf. h. Dian. 32. Et post Callimachum *αἰτίζειν*, *ἀπαιτίζειν*, *petere*, *poscere*, frequentat Nonnus II. 545. VIII. 339. 348. 366. XX. 7. XXIV. 211. 302. alibi. *τὸ δείελον* pro *τροφῇ δειλινῇ* qui dixerit, neminem habeo praeter Callimachum. At nec Buttmannus, puto, habebat, quo suam *δειελίην* communiret, nisi Dammii auctoritate, et ex interpretatione verbi Homerici *δειελιήσας*. In sermone nihil inest, cur coenam vespertinam *δείελον* significare nequeat. est enim *δείελον* adiectivum: ut *δείελον ἦμαρ* Theocrit. XXV. 86. *δείελον ὥρην* Apoll. Rhod. III. 417. Nonnus VII. 284. et Evang. Io. XIX. 31. *δείελον φάος* Orpheus Arg. 1124. (1131.) cf. Aratus 118. 826. (94.) Maximus 329. Nonnus XLII. 165. Evang. Io. XIX. 38. Non tacebo tamen explicationem, quae ad manum est, alteram. Quid si *δείελον* Callimachus *vesperam* dixerit, adiuncta notione finiendi eo tempore operis? Germanice: die Feierabend verlangen. Ipse unum mihi sumpsi atque ausus sum, ut *αἰτίζουσιν* et *ἄγουσι* pro participiis habeam, quum qui proferunt ea verba, aliter accepisse videantur. Schol. Hom. l. l. — *ἔνιοι δὲ (δειελιήσας) τὴν δειλινὴν τροφὴν αἰτῶν. καὶ Καλλίμαχός φησι, δείελον αἰτίζουσιν, ἄγουσι δὲ χεῖρας ἀπ' ἔργου, τὴν πρὸς τῇ δειλινῇ τροφὴν αἰτοῦντες.* vel *ζητοῦντες*, ut est apud Bentleium. et sic Eustathius appositis a se verbis Callimachi addit: *τὴν πρὸς δείλην δηλαδὴ τροφὴν αἰτοῦντες.* Sed facile intelligitur, constructionem verborum Callimachi neglexisse hos recentiores grammaticos eo in loco, quem non ipsi ex carmine Callimachi eruissent, sed accepissent ab alio adscriptum antiquiore grammatico. Si tamen malit aliquis, statuat versum intercidisse huiusmodi: *quo tempore fessi diurno labore* *δείελον αἰτίζουσιν* etc Mihi dativi illi placent. Et sunt minime inusitati. Ut apud Nicandrum loco mox laudando: *κεχρηόσι δαίτης*. Idem Fragm. X. ex Athen. lib. III. init. *κιβώρια δαινυμένοισιν ἐς χέρας ἠϊθέοισι*

πάλαι ποθέουσιν ὀρέξης. Non expedio quid sit, quod Anna Fabri p. 166. (p. 368. ed. Ern.) duo priora verba, *δείελον αἰτίζουσι*, *ex Etymologico* profert, et Spanhemius p. 282. ed. Graev. (p. 392. ed. Ern.) diserte ea verba *adduci ab Etymol. M. in Δείελον* monet. Nihil tale in Etymologico reperio.

Quum poeticum Callimachi artificium, et quid bene administrasse poetam, in parvis rebus magnum, partim ipsa per se fragmenta singula doceant, partim concepta animo fragmentorum in unum corpus compositio tamquam per umbram monstret, ubique, ut decet, sentiendum lectoribus sensu poetico imbutis relinquamus, semel iuvat verbo monere, quam iucunde poeta, ubi de pane incidit mentio, arrepta ea occasione, obiter suavem simplicitate sua imaginem vitae agrestis, mulieres cibum apparantes redituris ab opere hominibus rusticis, intexat. Et in universum quidem nota inde ab Homero imago est, *δρυτόμος* qui *δεῖπνον* sibi instruit, solvens boves arator, vel expetens *βουλυτόν*: cf. Apollon. Rhod. I. 1172. sqq. III. 1341. sq. IV. 1630. Virgilius Ecl. II. 10. *Thestylis et rapido fessis messoribus aestu Allia* et q. s. etsi ibi de suspenso opere rustico recreandisque per meridiem hominibus sermo est, apud Callimachum de finito opere ciboque vespertino. Nicander Fragm. III. 17. (Athen. IV. p. 133. F.) *ὥριον ἀλμαίην ἄμυσαι* (vel *ἄρυσαι*) *κεχρηόσι δαίτης*. Coenantes *ἀεργοί* sive *ἀεργέες* hiberno tempore *οἰκουροί*, *δμῶες*: apud eund. ibid. et Fragm. IV. (Athen. IX. p. 372. F.) Panem describi Fragmento CLVII. eum, qui usitate *ἐγκρυφίας* dicitur, Bentleii observatio est. Latine *subcinericium*, auctoritate, ut puto, Isidori Origg. XX. 2, 15. Bentleius et Casaubonus in Athen. III. Animadv. p. 209. appellant. De pane *ἐγκρυφίᾳ* aliquoties Athenaeus libro tertio p. 110. A. B. 112. B. 115. E. ita ut nunc improbetur nunc commendetur. Nec mirum: differebat haud dubie pro cautione ac diligentia, quae in eo pane conficiendo vel maior vel minor ponebatur; tum maxime materia, quae nunc vilior nunc delicatior. *ἐγκρυφίαν* simpliciter dictum improbat Philistio p. 115. E. Tegeaticum, *σεμιδάλεος υἱόν*, probat laudatque Archestratus p. 112. B. Sunt alii panes, tam simili appellatione, ut difficile videatur, qua re ab *ἐγκρυφίᾳ* diversi fuerint, definire. Dico hos: *ἐπανθρακίδα*, vel *ἀπανθρακίδα*, de qua

p. 110. B. Diocles Carystius: *ἔοικε δὲ καὶ οὗτος ἐπ' ἀνθράκων γίνεσθαι, ὥσπερ καὶ ὁ παρ' Ἀττικοῖς ἐγκρυφίας.* et *σποδίτην* p. 111. E. quique ibi statim subiungitur, *ἀποπυρίας*, qui et ipse *ἐπ' ἀνθράκων ὀπτᾶται.* Et *ἐγκρυφίᾳ* omni, nam suas quasdam species habuisse hoc genus, suis singulas nominibus distinctas, indiciis quibusdam intelligitur, hoc proprium, ut appellatio loquitur, *ἐγκρυφίας*, et Callimacheum verbum *ἐνικρύπτουσι*, quod totus in cinere, hoc est, etiam superne tectus cinere coqueretur: *τὸν ἐν σποδῷ γενόμενον, ἐν σποδῷ κεκρυμμένον*, explicant alii quod non inest in his appellationibus, *ἐπανθρακίς* s. *ἀπανθρακίς*, *ἀποπυρίας*. *σποδίτην*, quae per se tam generalis appellatio, ut nihil inde ad accuratiorem definitionem efficias, Lexicographi recentiores vulgo omnes eundem esse, qui *ἐγκρυφίας*, statuunt. Favorinus: *Σποδίτῃ ἄρτῳ τῷ ἐγκρυφίᾳ καλουμένῳ. παρὰ τῷ Ἱπποκράτει.* Hippocratem *ἐγκρυφίου* et *ἐγκρυφιῶν*, numero plurali, mentionem facere scio, ut eo loco, quem Casaubonus in Athen. Animadv. p. 209. laudat, qui est *Ἐπιδημ.* lib. VII. p. 637. T. III. ed. Lips. et alibi; illud, *σποδίτην* eundem et *ἐγκρυφίαν* dici, a Favorino putem, non ab Hippocrate esse. Sed concedo probabiliter ita statui, eundem esse. Ad nostram rem dignum fortasse memoria est, quod Diocles l. l. p. 110. B. scribit: *ὥσπερ καὶ ὁ παρ' Ἀττικοῖς ἐγκρυφίας*: unde aliquis occasionem petat laudandi Callimachum, quod in fabula Attica bene morem observaverit atticum. Quamquam aliis quoque populis notum *ἐγκρυφίαν* fuisse credo, atque ipse Diocles statim aliquem eius panis usum etiam apud Alexandrinos esse addit. Nisi, quae Sturzii de dial. Alexandr. p. 69. sententia, quod Diocles scribit: *ὃν καὶ Ἀλεξανδρεῖς* etc. ad commemoratam antea epanthracida pertinet. Praeterea Callimachum quod attinet, est aliquid, nisi fallor, discriminis inter panes eos, quos Theseo Hecale apponit, et illos, qui afferuntur in comparationem, *οἵους βωνίτῃσιν* etc. Namque *βωνίτῃσι* qui apponebantur ab opere redeuntibus panes *ἐγκρυφίαι*, plerumque, ut credere par est, subito atque ex tempore facti, statim ut proveniebant e cinere, apponebantur calidi. Idque inest, si verba rimeris, in loco Callimachi: condunt mulieres panem in cinere, iam reditum parantibus *βωνίτῃσι*. Usum atque amorem panis calidi testimoniis non paucis, poetarum maxime,

comprobat Athenaeus III. p. 109. et sqq. At Hecale suos ante factos secum habebat in panario, σιπύῃ. Materia autem utrique, tam Hecales panes, quam rusticorum quos in mente poeta habet, haud dubie vili erant. De qua, ut de forma panum, monitum fuisse coniicio versu, qui intercidit, inter ἐκ δ' ἄρτους et οἵους. Fuit quum suspicabar in versu eo fuisse Fragm. CCCXXXVII. φθοίας (f. φθοῖας, vel φθόϊας): sed nihil est quod confirmet suspicionem.

Non dico exhaustam hac recensione copiam esse Hecales. Suppleantur alia, si placet, coniectando, maxime ex illis Philemonis et Baucidis epulis. *Serpylli* per se mentio etiam *herbosum*, ut Ovidius Fast. IV. 367. ait, *moretum* in mentem revocare posset, in quo usum serpylli fuisse, nota res ex Virgilio Ecl. II. 10. *Thestylis et rapido fessis messoribus aestu Allia* serpyllumque *herbas contundit olentis*. At sonchi et crethmi usum in moreto fuisse non reperio; et quod aliquis coniiciat, in Hecale ponendum esse Fragmentum CCLXXXII. ἣν ἐτρίψαντο μυσσωτόν, sic, *quod triverant moretum* (scil. Hecale et ancilla Hecales), vana suspicio foret, quum alias id fragmentum explicationes admittat. Ut minime inepta est Scaligeri ad Moretum p. 158. explicatio, proverbii in modum dictum fuisse a Callimacho: *exedere hos decuit, sibi quod tritere moretum*. Carni si locum esse in mensa Hecales constaret, non aegre ferrem huc relatum Fragmentum CCL. ὅν τε μάλιστα βοῶν ποθέουσιν ἔχῖνον, cum explicatione Ernestii. Meursii mirus error est, in Theseo c. 10. ad coenam Hecales revocantis narrationem de Theseo Lyncei Samii apud Athenaeum VII. p. 295. B. Ea quid sibi velit, indicatum est Cap. III. p. 88. Quod autem singularem fabellam dixi, non tam obscoenum istud commercium mirabar, cuius alia exempla prostant in aetate heroica, vel antiqua, vel afficta ei aetati per temporis posterioris libidinem, quam hoc, ubi illud actum fuerit inter Tlepolemum et Theseum. Dixeris, in Rhodo insula, quia Rhodius piscis fuit γαλεός, Archestrato teste, propter cuius versus historiam istam suam proferebat Lynceus; et nota Tlepolemi in Rhodo habitatio. Sed nolo sapere supra Casaubonum, qui eam historiam neque Plutarcho in vita Thesei, neque veterum cuiquam, eorum qui ad nos pervenerunt, narratam esse, quod qui-

dem ipse meminerit, pronunciat. Illud non multum moror, quod secundum temporum rationes, quales e. g. ex Homero Clemens Strom. I. p. 381. (321. sq.) efficit, Theseus maior Tlepolemo, eoque minus aptus ad rem istam videatur.

Do potu nihil constat. De aqua cogitabam supra p. 124. Quo tamen non excluditur alius quidam potus. An *lac*, ut apud Bronchum? Vinum non putaverim. Verum quum scribo *non putaverim*, neque quod mihi persuasum sit, neque aliis scriptum ad persuasionem volo. Scilicet simplicitatem propositam mihi habui in adornanda coena Hecales. At fuit vinum pauperibus Philemoni et Baucidi; ac fuit fortasse apud Hecalen, non cuivis apponendum viatori, sed reservatum nobilioribus: nullum autem nobiliorem Theseo hospitem habuit. *Κυκεῶ* illum eo modo, quo factum est, accipere quam huc referre malui, quoniam, si de sola siti exstinguenda ageretur, minus convenisset *κυκεών*, qualis Fragmento CCV. significatur, recens coctus, calidus ab igne. Qui est apud Ovidium, coctus ante adventum Cereris, iam refrixerat, quum dea biberet.

VI.

Interea medias fallunt sermonibus horas. Colloquia serentem cum Theseo Hecalen, Theseum cum Hecale, aliquoties audire mihi visus sum, dum lego Fragmenta Callimachi. Ea colloquia, quum apparatum coenae, coenamque ipsam, uno narrationis tenore, non interrupta sermonibus insertis serie, decucurrisse probabile sit, partim ante coenam partim post eam collocabimus. Itaque differt aliquid inter Callimachum et Ovidii versum, quo decorare capitis huius initium volui.

Quae in ipso adventu Thesei, ante coenam, dicta fuerint, conieci Cap. V. p. 124. seqq. Quibus nunc addo Fragm. XLIX.*

ναὶ μὰ τὸ ῥικνὸν
οὖφαρ ἐμόν, ναὶ τοῦτο τὸ δένδρεον αὖον ἐόν περ.

ad quod fragmentum Ruhnkenius Epist. crit. II. p. 179. *δένδρεον baculum* esse, quo Hecale nitebatur, animadvertit, ductumque esse locum ex Homero Il. I. 234. *ναὶ μὰ τόδε σκῆπτρον, τὸ μὲν οὔποτε φύλλα καὶ ὄζους φύσει.* Observetur singularis iurandi

simplicitas, ne humilitatem dicam, *per suam cutem, per baculum*. In qua poeta haud dubie aliquid Hecalae proprium inesse voluit. Vulgo, ut fert natura rei, per sacra iurabant: quo etiam pertinet, quam per suum sepulcrum mortua: Dioscorid. Epigr. XXVI. 5. Aut per res magnas, ut Achilles per sceptrum, alii per hastam; per caput oculosve. In hymno Mercurii Homerico 460. Apollo: *ναὶ μὰ τόδε κρανέϊνον ἀκόντιον*. At *per suam cutem*, fere ridicule sonat. Sed ita consulto, ut dixi. Non prorsus dissimilis simplicitas Hymni apud Nonnum ita iurantis: *ναὶ δαμάλη*, *ναὶ μόσχε*, XV. 262. iterumque 271. Ut taceam *Ῥαδαμάνθυος ὅρκον*, Lamponis, Socratica illa, et quae statim suppeditat Suidas: *ἐπὶ χλευασμῷ* dictum, *ναὶ ναὶ μὰ μήκωνος χλόην*, per ianuam, ex Menandro; et Aristophanea Av. 194. 1335. 1611. *σῦφαρ* Siculum primitus vocabulum, ut aiunt, Sophroni usitatum, illustrant Toupius Emendd. in Hesych. P. I. p. 277. Schneiderus ad Schol. Nicand. Alexiph. 91. et accentum quod attinet, Bachmannus ad Lycoph. 793. Eiusmodi cutem describit Apollonius: *πίνῳ τέ οἱ αὐσταλέος χρὼς ἐσκλήκει, ῥινοὶ δὲ σὺν ὀστέα μοῦνον ἔεργον*, II. 200. ubi est etiam baculi mentio, et *ῥικνοῖς* vocabulum, illustratum ibi a Brunckio ex Oppiano Hal. V. 593. Iuliano Aegyptio Epigr. XXVII. et exemplo Apollonii altero I. 669. *γήραϊ δὴ ῥικνοῖσιν ἐπισκάζουσα πόδεσσι, βάκτρῳ ἐρειδομένη*. Add. Oppianus V. 406. Cyneg. II. 346. *ῥικνῆεν γῆρας* Nicander Ther. 137. et *γήραϊ ῥικνήεντι*, fortasse e Nicandro, Christodorus *Ἐκφρ.* 340. Addam scriptores epigrammatum: Leonid. Tar. XXXVII. 6. LXXVIII. 7. Zonas Sard. VI. 2. Hymn. in Bacch. Anal. Br. II. p. 517. (Anth. Palat. T. II. p. 186.) 18. *ῥικνώδεα*, Agathias XIII. 4. (Anth. Pal. T. I. p. 168.) *γήραϊ ῥικνώδης* ex emend. Iacobsii, *Ἀδεσπ.* CCLXXIII. 5. Epigr. Syllog. Welcker. 54. p. 79. Denique Gregorius Theologus, qui Nazianzenus dicitur, Carm. I. 307. et saepe alibi. Et de verbo *ῥικνοῦν*, *ῥικνοῦσθαι*, Intpp. Moeridis p. 335. sq.

Fragmentum Callimachi XLIX*. priori colloquii parti, quae fuit in ipso adventu Thesei, ante coenam, propterea assignavi quod melius *καὶ τοῦτο τὸ δένδρεον αὖον ἐόν περ* tum dicitur, quum nondum deposuisset baculum. Quamquam sentio id argumentum non esse inexpugnabile.

Similitudinis caussa subiicio neglectum Bentleio Fragm. CCCCXXX.*

ναὶ μὰ τόν.

Male ibi haec proferuntur tamquam Suidae verba: *Καλλίμαχος Ἑκάλῃ εἶπε· ναὶ μὰ τόν.* Suidas in *Ναί μὰ τό* primo illud fragmentum Hecales, *ναὶ μὰ τὸ ῥικνὸν σῦφαρ* etc. apponit; deinde, aliis interiectis, pergit: *καὶ Ἑκάλῃ εἶπε· ναὶ μὰ τόν· καὶ οὐκ ἐπάγει τὸν θεόν. ῥυθμίζει δὲ ὁ λόγος πρὸς εὐσέβειαν.* sic, *Ἑκάλη*, non *Ἑκάλῃ*. Recte Hemsterhusius apud Gaisfordium: *Hecalen intellige sic locutam apud Callimachum, in cuius fragmentis has voces omiserunt.* Quando autem, et qua occasione, non definio. Dixeris, quum bis iurantem habeamus, *ναὶ μὰ τὸ ῥικνὸν* etc. et *ναί μά τόν*, usitatum Hecalae Callimacheae, et propriam quasi senili consuetudini notam fuisse, iurare. De iurandi modo elliptico, *ναὶ μὰ τόν, οὐ μὰ τόν*: Iacobsius in Anth. Gr. Animadv. Vol. I. P. II. p. 330. et quos laudat idem Vol. II. P. III. p. 89. Add. Valckenar. Callim. Eleg. Fr. p. 21. Excitantur autem testes praecipue hi: Aristophanes, et scriptores Epigrammatum Philodemus, Strato, Diogenes Laertius vel poeta apud Diogenem, Anth. Pal. T. I. p. 338. Add. Agathias LXXXVIII. (A. Pal. T. I. p. 474.) 2.

Vix dubitaverim quin Hecale dixerit, etsi ubi dixerit nescio:

γρῆες ἐμέν.

Sic, non *ἔμεν*: Fragm. CCXCIV. quod Eustathius ad Odyss. III. 71. p. 1457, 50. ex Aristarcho refert. Et habet Herodianus *π. μονήρους λέξ.* p. 24, 3. Quibus nunc accessit cuius sunt *Ἐπιμερισμοὶ* Homerici in Crameri Anecdotis Graecis Vol. I. p. 207, 18. in v. *Ἴστω*: — *παρὰ τὸ ἔω τὸ παραγωγὸν ἐμί, τὸ πληθυντικὸν ἐμέν· γρῆες ἐμὲν ὁ Κυρηναῖος Καλλίμαχος, ἀντὶ τοῦ εἰμέν· τοῦ ἐμὲν τὸ προστακτικὸν ἔθι, καὶ πλεονασμῷ τοῦ σ ἔσθι· Ἑκαταῖος· ἐνθάδι* (sic) *ἔσθι· ὅπερ οἱ Ἀττικοὶ ἴσθι κατὰ τροπήν, ὥσπερ τὸ ἔσχω ἴσχε· ἴσχε τέκος μὴ πῖθι.* Quorum postremum una cum Choerobosci, ab eodem Cramero editi, Vol. II. p. 250, 8. observatione (si tamen ea ad Callimachum spectat) de v. *πῖθι*, adhibendum ad superiorem disputationem nostram Cap. V. p. 124. *Ἐμέν* quod attinet, e grammatico Crameri illustrandus Etymologus in *Εἶναι* et *Ἔστω*: non dubium enim quin eundem velit

locum Callimachi. Cf. et Favorinus tam in Lexico v. *'Εμέν*, quam in Eclogis p. 169, 36. p. 172, 11. ed. Dind. De *ἐμέν* Sophocleo multa est dubitatio. Dicit autem Hecale: *γρῆες ἐμέν*, aut de se sola, *anus sum*, insolenter; aut aliquid tale: *nos quotquot anus sumus*. Subiicio fragmentum, quod sola coniectura ductus Ruhnkenius Epistt. Tittm. p. 21. Callimacho tribuit, posuitque inter Fragmenta Callimachi Blomfieldius, CCCCLXXXV. Suidas: *'Αείπλανα· πεπλανημένα, φλύαρα, πλήρη φλυαρίας.*

ἀείπλανα χείλεα γρηός.

Si enim e Callimacho, de quanam anu prius cogitabitur quam de Hecale? Atque haec sententia Ruhnkenii fuit haud dubie. Ne quis, quod verba quidem per se ambigua permitterent, errantia labra, i. e. senili infirmitate, ut fit, trementia, insuavem imaginem, excogitet, Suidas cavit explicatione sua. Itaque sermo erit de se monentis: *futile garrit vetula*. Contrarium, fortasse factum ad similitudinem Callimachi, Nonnus: *χείλεσιν ἀπλανέεσσι*, Evang. Ioann. III. 11. Aliud dignum Callimacho vocabulum fragmentumque est apud Etymologum p. 83, 49. Suidam in *'Αμίσγαλος*, et Zonaram p. 143.

ἀμίσαλλοί τε γέροντες.

Fortasse ex sermone Hecales. Etsi Hecale ipsa quam minime *ἀμίσαλλος* fuit.

'Υποκορισμῶν, quos aliquis exspectet, Hecales nullum superesso vestigium in Fragmentis Callimachi monui Proleg. p. 15. Neque in propriis nominibus neque in aliis. Videbar mihi *Θησείδιον* legisse apud aliquem grammaticum. Nisi somnium fuerit: non reperio enim locum. Sane quo pueri maxime puellaeque (Etymol. M. p. 782, 39.) delectantur, usus *ὑποκοριστικῶν*, neque anum dedecet, et potuit modicus quidem placere in carmine. Verbum quo ea in re Plutarchus utitur: — *'Εκαλίνην ὑποκορίζόμενοι, διὰ τὸ κἀκείνην νέον ὄντα κομιδῇ τὸν Θησέα ξενίζουσαν ἀσπάσασθαι πρεσβυτικῶς, καὶ φιλοφρονεῖσθαι τοιούτους ὑποκορισμοῖς*, facit ut recorder Fragmenti Callim. CCCCXXVII.

ἀσπαστύς.

ex Suida: *'Ασπαστοί· — παρὰ δὲ Καλλιμάχῳ ἀσπαστύς, ἀσπαστύος· τουτέστι, προσηγορία φιλία.* Sed quis unum quoddam

vocabulum in Hecale fuisse, non alibi, praestet? Et quis, ut fuerit ibi, locum praestet? Veluti aptum ἀσπαστὺς loco superiori, ubi primum salutatum esse ab Hecale Theseum narro. Ἑκαλίνης appellatio si fuit in poemate, id quod credo, fuit in extremo poemate. Blandientis sunt, sed eadem verissima, si reputes anum agere cum iuvene, τέκος, in illo ἴσχε τέκος, μὴ πῖθι, et mox proferendum τέκνον.

Haec ego, ni fallor, satis probabiliter omnia. Etsi insunt dubia, sed quae ipse fassus sum esse dubia. Nunc, antequam ad alia, quorum commune quoddam fundamentum est, accedam, nonnulla inseram prorsus incerta. Sunt enim in reliquiis Callimachi nonnullae tam generales tamque habiles omnem in partem sententiae, ut merito ineptum dixeris, si quis Hecales esse sententias, non alius cuiuspiam personae Callimacheae, contenderit. At neque hoc quisquam contenderit, non esse Hecales. Talis est gravis sententia, et venuste enunciata, in Fragmento quod Ernestio Ruhnkenius (Epistt. Tittm. p. 117.) indicaverat, CCCCXVIII.

ἐπεὶ θεὸς οὐδὲ γελάσσαι
ἀκλαυτεὶ μερόπεσσιν ὀϊζυροῖσιν ἔδωκε.

ἀκλαυστί unus testis, commendante Boissonadio Callim. p. 214. et ante ad Herodian. Epimer. p. 257. Sed tamen alter auctor, Schol. Victor. Homer. Iliad. VI. 484. Heynio et Bekkero testantibus, ἀκλαυτί (ap. Blomfield. ἀκλαυτεί) habet. Et in hymno Dian. 267. ἀκλαυτεί libri, quos quidem novimus, omnes. Ut, Callimachum quod attinet, fere haec tantum dubitatio restet, utrum ἀκλαυτεί an ἀκλαυτί. Quod enim alibi significavi, aliquid cerni inter Hymnos et carmina poetae alia differentiae, et singularia, audacter dicta, minori numero in Hymnis fuisse quam alibi: id non spectat ad tam minutam differentiam, ἀκλαυτί (sive ἀκλαυτεί) et ἀκλαυστί; neque credibile est, alium colorem uni carmini ex ἀκλαυτί (s. ἀκλαυτεί) alium carmini alteri ex ἀκλαυστί quaesivisse poetam. Ἀκλαυστί Suidae (et Apollonii Dysc. Exc. p. 434. C.) e Callimacho esse quis pro certo affirmet? Cf. Blomfieldio annotata in Gloss. Prom. Aesch. 216. Et de ἄκλαυστος an ἄκλαυτος, quae cognata quaestio, docte diligenterque, ut solet, exponentem Ellendtium in Lexico Sophocleo. Ad sententiam Fragmenti CCCCXVIII. propius etiam quam laudati Ruhn-

kenio Apollonius IV. 1165. Ovidius Metam. VII. 453. accedit Quintus Smyrnaeus VII. 635. ἐπεὶ οὔποτε φῦλ' ἀνθρώπων νόσφι γόου ζώουσι, καί εἴ ποτε χάρμα φέρονται. Caeterum non necesse est, a persona hoc dici poetica, ἐπεὶ θεὸς etc. Fortasse pronunciata a poeta ipso inter narrandum sententia est. Ut similes illae Apollonii, Ovidii, Quinti. Aliud est, restitutum a me olim Fragmentum CCCCLI. (coll. Ruhnken. Epp. Tittm. p. 116. et Etymol. Gud. p. 163, 22.):

ὀκκόσον ὀφθαλμοὶ γὰρ ἀπευθέες, ὅσσον ἀκουὴ
εἰδυλίς.

Quo etiam spectant, si qui alii εἰδυλίς vocabulum laudant grammatici, Etymol. M. (Hesych. c. intpp. in Εἴδαυλος et Εἰδυίη) Suidas, et (e corrupto Suida, vel simili Suidae lexico) Zonaras p. 629. Moschopulus Titzii p. 51. tum Suidae glossa: Ἀπευθέες· ἄπειροι, ἀπαίδευτοι, quo modo, post Callimachum, ἀπευθέες dictum Dionysio Perieg. 194. Theophani Anth. Palat. T. II. p. 600. et ἀπευθής Epigr. ἀδεσπ. CCCCXCV. (A. Pal. T. II. p. 717.) 1. Nonnus Evang. Io. I. 31. ubi sane melius ἀπευθέα λαόν quam quod alibi apud eundem legitur ἀπειθέα λαόν et ἀπευθέες coniectura Hermanni in IX. 21. ubi vulg. ἀμεμφέες. Aliud, Fragm. CCLXXIII. (Valck. Call. Elegiar. Fr. p. 297.) elegantissime dictum:

τί δάκρυον εὖδον ἐγείρεις;

Aliud est nondum relatum in ordinem Fragmentorum Callimachi, apud Diomedem Bekkeri Anecd. Gr. II. p. 946, 17. et quem Diomedi nuper admoverunt Lexicographi, Suidam v. Βάλε:

βάλε μοι βάλε τὸ τρίτον εἴη.

expressum ex noto multumque celebrato Alcmanico: βάλε δὴ βάλε κήρυλος εἴην. Cognatum ἀβάλε, e. g. in Callim. Fragm. CCCCLV.

ἀβάλε μηδ' ἀβόλησαν:

dividendum esse, ἆ βάλε, nunc idonea auctoritate Herodiani apud Choeroboscum Crameri in Anecd. Gr. Vol. II. p. 183, 1. (cf. Vol. I. p. 265, 1. Bekker. Anecd. Gr. II. p. 946, 9. 14.) constat. Etsi facile largior Boissonadio in Callim. p. 216. fuisse et ἀβάλε in usu, maxime recentiorum. Alia dictionis huius, ἆ βάλε s. ἀβάλε, exempla, et quo quasi tramite a docto poeta Alexandrino usque ad observatum a me Cap. II. Apollinarem (Ps. LXVII.)

et recentissimos, non sine significationis varietate, devenerit, discat qui volet ab eruditissimo Hasio in Thes. Steph. et ex Anthologia: in qua quod scripsit Agathias LXXVIII. 1. Anth. Pal. T. I. p. 484. Ἄβαλε μηδ' ἐγένοντο γάμοι: conflatum est e Callim. Fr. CCCCLV. et eiusdem Callimachi Epigr. XVIII. 1. Ὤφελε μηδ' ἐγένοντο θοαὶ νέες. At quis tandem

βάλε μοι βάλε τὸ τρίτον εἴη,

utinam mihi, utinam sit tertium, et quo sensu dixit? Proverbii hoc speciem habet de trino numero absoluto, fausto. An Hecale dixit (Cap. VII.) in loco de ominibus? Ubi bonae mulieri lucernam observanti, quae iam bis sternutamentum edidisset, et exspectanti tertium, tamquam fausti ominis complementum, non male conveniret: βάλε μοι βάλε τὸ τρίτον εἴη. Marcus Argentarius: Ἤδη φίλτατε λύχνε τρὶς ἔπταρες· ἦ τάχα τερπνὴν εἰς θαλάμους ἥξειν Ἀντιγόνην προλέγεις. Sed hoc ego quasi per lusum. Neque convelletur tam levi coniectura quod nuper, in retractata parte Capitis VII. ea, quae est de ominibus, posui, de fausto sternutamento nihil indicatum esse in Fragm. XLVII*. Sunt aliae sermonum particulae, quae unde sint, nemo unquam divinatione assequetur, at praebent, quantumvis minutae, disputandi et docendi scitu digna materiam. Ut quod Herodiano περὶ μονήρ. λ. p. 9. debetur: — καὶ καθόλου τὰ διὰ τοῦ ηδων καὶ ιδων, εἴτε ἀρσενικὰ εἴτε θηλυκά, διὰ τοῦ ο τὴν κλίσιν ποιεῖ. τὰ γὰρ παρὰ τῷ Κυρηναίῳ,

τὰ δὲ νῦν πολλὴν τυφεδῶνα λεσχαίνεις,

ἕνεκα μέτρου τὸ ω ἐφύλαξεν. Ubi quum λεσχαίνεις haud indignum hoc poeta vocabulum, cui geminum λεσχάζειν apud Theognidem, et quum umbram quasi sententiae, *nunc multum vaporem s. fumum fabularis*, et metri speciem heroici, τὰ δὲ νῦν πολλὴν τυφεδῶνα | λεσχαίνεις, videam: ego hanc maxime speciem metri fallacem esse arbitror. Callimachus ubi versum hexametrum vocabulo concludit tetrasyllabo, ionicum faciente (vel, quod rarum, molosso: h. Iov. 41.) diligenter curat, ut quod praecedit vocabulum, aut monosyllabum sit, aut spondei mensuram ut excedat, et sit trisyllabum (molossus), tetrasyllabon (choriambus), vel etiam, quod saepe fit, longius. Et sane ita multo laetiores fiunt numeri quam praecedente disyllabo spondeo. Id latini

quoque poetae perceperant. Simul noster eo plerumque hoc lucratur, ut suavis illa caesura trochaica prodeat. Ut in his: ἄλλεκα χρυσείῃσιν ἐεργομένην ἐνετῇσιν, et Αἴθρην τὴν εὔτεκνον ἐν ἀγρομένοις ὑδέοιμι, et in hoc, quod annumero, quia duo vocabula ὑπὸ πέτρῃ instar unius tetrasyllabi sunt: κολουραίῃ ὑπὸ πέτρῃ. Sed etiam cum caesura altera: ἐν στομάτεσσι νεὼς Ἀχεροντείας ἐπίβαθρον. Rarum est eo in loco vocabulum anapaesti mensuram habens: ἀρετήν τ' ἄφενός τε h. Iov. 94. cf. ibid. 36. σκολιοῦ λαβυρίνθου h. Del. 311. Nam ibid. 43. oculi tantum anapaestum vident, aures choriambum audiunt: καὶ ἐξ Ἐφύρης ἀνιόντες. Disyllabi vero quod, si discesseris a Wernickii Tryphiod. p. 292. in h. Dian. 160. coniectura, quam nunc ipse, si viveret, damnaret Wernickius, unicum exemplum est, h. Del. 291. ἀπὸ ξανθῶν Ἀριμασπῶν, etiam ipsum, quum bona pronunciatio proxime iungat ἀπὸ ξανθῶν, lenius fluit quam τὰ δὲ νῦν πολλὴν τυφίδωνα. Haec obiter, ut novo exemplo appareret, quanta Callimachus diligentia non solum vitandis iis, quae vitiosa habentur in re metrica, sed etiam praeferendo meliora bonis, elegantiora iis, quorum minor elegantia, curaverit, ut versus faceret rotundissimos. Ad dispellendam speciem, quam dicebam, metri in fragmento illo non opus erat hac demonstratione, quum satis doceat prosodia refragari τυφεδῶνα metro heroico. Unum habeo, sed parum locupletem auctorem, Gregorium Theologum, qui in τύφος saepe corripit priorem, et quidem, uno loco Carm. LII. 30. excepto, constanter, ut appareat hanc illi legitimam correptionem visam esse. In Callimachi loco manifesta sunt alius metri vestigia. Veluti pulcher versus erit:

τὰ νῦν δὲ πολλὴν τυφεδῶνα λεσχαίνεις.

Denique inter Fragmenta Callimachi ponendum erat monstratum a Ruhnkenio Epist. crit. p. 177. ex Apollonii Dysc. Excerptis p. 433. A.

ἐὰ κήδεα λέξον.

Erat ponendum, inquam: maxime ab eo, qui alia non pauca sola Ruhnkenii auctoritate, non iubentis, sed tantum suadentis, et modeste suadentis, in ordinem recipienda duxisset. Nunc, postquam editus a Bekkero liber Apollonii de Pronomine est, reciperem quidem illud, si mihi Fragmenta edenda Callimachi essent,

sed cum dubitatione. Ita enim ibi p. 399. editum: — ἀντὶ τοῦ τεά τοι κήδεα λέξον. εὰ παρὰ Καλλιμάχῳ, καὶ πάλιν παρ' αὐτῷ ἀντὶ τοῦ σφωϊτέρου. quae iam metrum efficiunt certe non usitatum Callimacho, ἑά τοι κήδεα λέξον. Similitudo quaedam horum est, sed fortuita, ut puto, cum verbis, quae idem Apollonius ibid. in disputatione alia, Excerpt. p. 432. C. apud Bekkerum p. 396. C. profert, Alcmanis: τὰ Fεὰ κάδεα.

Sequuntur quae paullo ante promisi, quorum commune quoddam fundamentum est. Ea dico, quae ad personam resque Thesei pertinent, vel eo referuntur demonstratione probabili.

Primum horum esto Fragmentum CCCXI.

τὸ δ' ἐγχυτὶ τέκνον ἐκέρσω.

Quod ita accipio, Hecalen postquam diu secum mirata esset in Theseo singularem capillorum habitum, nunc, quum venit tempus secure atque otiose colloquendi, ita exordiri colloquium, ut interroget, unde sit habitus iste. Praeter Suidam in v. Ἐν χρῷ respicit Callimachum idem Suidas v. Ἐγχυτί. tum Lex. MS. Reg. Paris. apud Ernestium et Zonaras Tittmanni p. 612. sic: Ἐγγυτί. ἀντὶ τοῦ ἐγγύς. οὕτως Καλλίμαχος. denique Ioannes Dindorfii p. 37, 12. 38, 23. apud quem utrobique σὺ δ' et ἐγχυτί habetur. Cf. et Hesychius. Etymologo p. 311, 40. tantum Archilochum (p. 91. ed. Liebel. Fragm. XCVII. ed. Gaisf.) obversari, non Callimachum, puto. Differre inter Archilochum et Callimachum de ι littera quam ille producit, hic corripit, monitum a Blomfieldio in Gloss. Aesch. Prom. 216. Coniiciebam aliquando, adiuvante aliquatenus Ioanne grammatico: τί δ' ἐγχυτὶ τέκνον ἐκέρσω; Sive hoc legas, sive τὸ δ', utique videtur interrogatio esse. Tonsuram intelligo, quae propria Theseo, tonsura inde Θησηΐς dicta. Plutarchus Thes. c. 5. (cf. Tzetz. in Lycophr. 1133.) Ἔθους δὲ ὄντος ἔτι τότε τοὺς μεταβαίνοντας ἐκ παίδων, ἐλθόντας εἰς Δελφούς, ἀπάρχεσθαι τῷ θεῷ τῆς κόμης, ἦλθε μὲν εἰς Δελφοὺς ὁ Θησεύς, καὶ τόπον ἀπ' αὐτοῦ τὴν Θησείαν ἔτι νῦν ὀνομάζεσθαι λέγουσιν· ἐκείρατο δὲ τῆς κεφαλῆς τὰ πρόσθεν μόνον, ὥσπερ Ὅμηρος ἔφη τοὺς Ἄβαντας· καὶ τοῦτο τῆς κουρᾶς τὸ γένος Θησηΐς ὠνομάσθη δι' ἐκεῖνον. Cf. Eustathius ad Il. II. p. 165, 7. De loco, Delphis an Delo, differentiam observavit Meursius in Theseo c. 2. In eo tonsurae genere pars capitis ante-

rior si non rasa ope novaculae, ut nunc barbam radere solemus, tamen coma ita detonsa ac decurtata, ut ἐγχυτὶ κεκαρμένος recte diceretur, qui eo genere utebatur. Scilicet, quae apud Abantes caussa atque origo tonsurae huius ab ipso Plutarcho, a Strabone X. p. 714. A. ed. Almel. et ab Interpretibus Homeri ad Il. II. 542. perhibetur, ne in conflictu corporum hostis apprehendere capillos posset. Idem consilium Theseo diserte tribuit Polyaenus Strateg. I. cap. 4. Aliud est quum mater Thesei Aethra assidet ἐν χρῷ κεκαρμένη Pausan. X. 25, 7. *tonsa*, indicium servitutis. De Abantibus obiter addo Nonnum XIII. 166. Χαλκίς, ὀπισθοκόμων μητρόπολις Ἑλλοπιήων: cf. 420. et ὀπισθοκόμων μερόπων Evang. Io. II. 2. Quod aliquis obiiciat, repugnare haec supra a me scriptis Cap. III. p. 90. ubi prodeuntem Theseum comparatum cum iuvenili Apollinis specie esse conieci: etsi in tam lubrico argumento, ubi plurima sunt in coniecturis posita, minime puderet de eadem re diversa sibique contradicentia protulisse, quo liberum lectori esset, aut hoc, aut alterum amplecti contrarium: tamen re vera non repugnant, si quidem non requirebatur in comparatione illa, ut Theseus per omnia similis Apollini esset. Pausanias autem quod tradit I. 19, 1. de puellari primum introeuntis in urbem Thesei specie, πεπλεγμένης ἐς εὐπρεπές οἱ τῆς κόμης, aut alienum est a Callimacho, aut hoc quoque qui volet, cum tonsura Θησηΐδι conciliabit: plexam fuisse ab occipitio defluentem Thesei ὄπιθεν κομόωντος comam. Fragmento CCCXI. non inepte praemittetur Fragm. CCXCIX.

τόδ' ἔχω σέβας.

in quo Suidas, scilicet graviorem aliquanto, quae apud Homerum obtinet (σέβας μ' ἔχει εἰσορόωντα, vel εἰσορόωσαν), significationem vocis respiciens, diserte τὸ θαῦμα significare σέβας monet. *miror quis hic sit ornatus comae.*

Respondebat Theseus, explicabatque tonsurae eius occasionem et fortasse caussam. Qua in explicatione fortasse hoc legebatur:

ἔτι πλοκάμοιο περίθριξ.

Thesei verba, quae est coniectura mea, de tempore, quo puer fuit intonsus. Si Callimachi haec sunt, quae sine nomine leguntur apud Suidam in Περίθριξ. De scriptura frustra, si quid

video, addubitabat Schneiderus in Lexico. At Suidae interpretatio: Περίθριξ· ὁ ἀπὸ γενετῆς πλόκαμος, ὁ μηδέπω καρείς, non bene convenit in poetam, qui magis voluit, quod germanice reddas: noch lockenumbaart. Sed quid si alius poetae, non Callimachi, verba sint? Fateor enim, quod in Epistolis a Tittmanno editis Ruhnkenius, ubi ἀποσπασμάτια quaedam Suidae suppresso poetae nomine citata ad Callimachum refert, de se scribit p. 22. amabili modestia: *Facile me in nonnullis horum coniectura fallere potest: sed qui utramque Anthologiam et editam et ineditam, itemque ceteros poetas* accurate cum Suida contuli, *videor mihi de his aliquanto certius posse pronunciare:* id si de me dicere velim, plus me mihimet arrogaturum esse quam verum est. Ego memor Hecales poetas legi, eos maxime, quorum aut argumenta aut genus dicendi ad morem Callimachi accedunt propius: quo quidem etiam Anthologia pertinet. Suidam pervolutavi non indiligenter. Et quoniam Anthologiae mentionem feci, cuius ingenium moremque spirare ista, ἔτι πλοκάμοιο περίθριξ, videantur, nihil esse apud Suidam ex Anthologia desumptum, quod me lateat; non spondeo: at tantum spondeo, in Anthologia neque hoc, ἔτι πλοκάμοιο περίθριξ, reperiri, neque quae alia ἀποσπασμάτια anonyma, ex Suida maxime, sive ipse sive aliis praeeuntibus vindicavi Callimacho. Praeter unum, Suid. v. Φιληδῶν, quod ego, Diogenis Laertii et Anthologiae Palatinae tum quidem immemor, Callimachi esse nimis credulus Ruhnkenio (Epistt. Tittm. p. 21.) concesseram et ad elegos retuleram infeliciter in editione Capltis VII. prima. Hic animum addit, utque confidentius cogitem de Callimacho, facit peritus stili Callimachei arbiter, Toupius, qui et ipse in isto, ἔτι πλοκάμοιο περίθριξ, Callimachum agnoscere sibi visus erat, ut nunc disco ex Gaisfordio. Itaque ut aliquid ludens effingam, quod Callimachum spiret, potuit ille de Theseo ita, eleganter repetito ἔτι: — ἔτι παιδνός, ἔτι πλοκάμοιο περίθριξ. vel ἔτι κοῦρος. Miscui colores partim ex Apollonio I. 508. II. 43. 4. (coll. 779.) Cyneget. IV. 347. Epigr. ἀδεσπ. DCXCV. 1. Anth. Pal. T. II. Append. p. 854. et si dignus sit mentione Gregorius, Gregorio Carm. XI. 84. partim e Callim. h. Iov. 57. h. Dian. 5. 14. 43. 72. Et ἔτι κοῦρος apud Nonnum IX. 201. XIII. 90. 549. XVIII. 220. XXV.

184. qui rursus ad Callim. h. Dian. 5. accedit his: IX. 246. XIV. 154. XLVII. 679. Evang. Io. XXI. 18. ἔτι παιδνὴν Christod. 410. In Coma Berenices, de qua Toupius cogitabat, vix locum inveniet ἔτι πλοκάμοιο περίθριξ, nisi forte in versu 77. *Quicum ego, dum virgo quondam fuit:* et ne hunc quidem satis idoneum. Facilius crediderim e Coma Berenices esse, ad versum 82. referendum, praetermissum a Bentleio aliisque fragmentum Callimachi, quod ex Achillis Tatii in Arat. Isag. Valckenarius in Argumentis Elegiae Callimacheae p. 42. protulit:

πρὶν ἀστέρι τῷ Βερενίκης —.

Scilicet quum diversae sint virorum doctorum sententiae, una eorum, qui libere versatum esse Catullum in vertendo Callimacho; altera eorum, inter quos Boissonadius p. 202. Fussio maxime, ni fallor, obsequutus, nomen profitetur suum, qui Catullum fidum fuisse interpretem et verbum fere verbo reddidisse statuunt: mihi quae supersunt Comae Berenices fragmenta graeca tria, certa atque agnita ab omnibus, aliquid in utraque sententia veri inesse probant. Estque hoc etiam per se probabile. Illud optabile, ut si quando liberius egisse poeta latinus deprehendatur, idonea ratione, cur ita egerit, monstretur. Quale exemplum fortasse ante manus est. Catullus inde a v. 80. ita: *Non post* (novas nuptas alloquitur Coma) *unanimis corpora coniugibus Tradite nudantes reiecta veste papillas, Quam* (vel *Quin*) *iucunda mihi munera libet onyx.* His igitur postremis satis apta esse puto graeca illa. Nam quod aliquis opponat, nimium hoc verborum esse, πρὶν ἀστέρι τῷ Βερενίκης —, in tam arctis distichi cancellis, ubi Catullus uno brevissimo verbo *mihi* defungatur: ego reponam, hic fortasse eum locum esse, in quo poeta latinus aliquid sibi licentiae sumpserit. Certe *nudantes reiecta veste papillas* eam speciem habet, ut propriae Catullo lasciviae super exemplar graecum luxuriantis tribuendum esse dicas; Callimachus hoc fortasse brevius ac modestius. Quamquam nec Valckenarium reprehendo, qui alterius carminis, non Comae, fragmentum esse πρὶν ἀστέρι τῷ Β. statuebat. Perstringam hac occasione quae alia fragmenta Callimachi eam prae se speciem ferunt, ut a cupidiore ad Comam Berenices referantur. A cupidiore, inquam: nullum est enim, de quo probabilis res sit. Fragmentum

CCCV. ita constitutum: δέδαεν δὲ λαχαινέμεν ἔργα σιδήρου, aptum videbitur ad Catull. v. 49. ego illud supra Aetiis vindicavi. Fragmenti CCXCVII. ἤδεα μᾶλλον ἐγώ κοτε — (ἤδεα μᾶλλον ἔγωγε Bekker. Anecd. Gr. III. p. 1287. extr.) et Fragm. CCLV. λύχνα φανείη, similitudo quaedam est, sed ea levissima et fortuita, vel re vera nulla, cum Catulli locis qui sunt v. 25. 6. et v. 79. Denique ad Catull. 12. *Vastatum finis iverat Assyrios*, retulerunt, non primus Blomfieldius, sed ante Blomfieldium Anna Fabri, fragmentum Callimachi CLII. ἡ ἀπὸ (vel ἡ ἀπ') Ἀσσυρίων ἡμεδαπὴ στρατιή. Repugnat Boissonadius p. 202. Et Blomfieldius quidem eum in finem tentat, Porsoni legens vestigia, quod mihi quoque ante multos annos in mentem venerat: ἤϊ' ἐπ' Ἀσσυρίων ἡ. στ. Ego nunc neque coniecturae isti confido, neque aliud habeo, quo necessitudinem intercedere cum eo Comae loco (aut, de quo alius cogitet, cum v. 36.) verbis hisce persuadeam.

De tonsura capitis non iuraverim plane illud ipsum prodidisse poetam, quod narrantem Plutarchum audivimus. Deinde, quod plus est, frustulorum tam minutorum, τόδ' ἔχω σέβας, et ἔτι πλοκάμοιο περίθριξ, interpretationes meas qui dicet somnia esse, me ipsum non vehementer reluctantem habebit. Mea in talibus laus esto, ut bene sequutus esse filum fabulae Theseae, utque dicar proposuisse haud indigna Callimacho.

Praeterea de tonsura quod fuit, utrum nexum cum iis, quae statim sequentur, an seorsum positum, utrum ante coenam insertum fuerit, an post eam, dubium est.

Nam post coenam longum quoddam colloquium, vel potius, ut statim declarabitur, longam narrationem fuisse, tam persuasum mihi est, quam quod maxime in hac saepe difficili carminis deperditi per partes suas dispositione. Ita decebat, colloqui hospitem cum hospita. Nihil autem magis consentaneum quam narrasse nonnulla Theseum avide audienti hospitae suae. Hecale quae narraret non multa habebat. Nisi huc retrahere placeat supra a me pertractata

ἐκ με Κολωνάων etc.

et

δινομένην ὑπὸ βουσὶν ἐμὴν ἐφύλασσεν ἄλωα.

Theseus multa et magna, et digna tractatione poetica. Atque

sic fragmenta non pauca, partim Hecales, h. e. quae ad Hecalen diserte referunt testes antiqui, non facile illa alio modo redigenda in ordinem, partim apta ad Hecalen, ordino aptoque huic carmini.

Itaque haec ego appello

ἐπεισόδια.

vel, si quis malit, quoniam singula Episodia communi quodam vinculo inter se nexa fuisse probabile est, ἐπεισόδιον. De ambitu eius partis quivis coniecturam ex mensura carminis faciet. Veluti, ut ego meam faciam, multa potuit Theseus et accurate ducentis narrare versibus. Formam narrationis quod attinet, mihi fragmenta nonnulla hoc sonant, ut ipsum narrantem suis verbis Theseum audire mihi videar. Sed tamen non negaverim unum alterumve factum brevitatis caussa altero narratum modo esse, ut poeta breviter referret, quae narrasset Theseus: qui est modus in Odyss. XXIII. 310. sqq. alibi. Apparet autem, quam commodam exspatiandi occasionem poetae fecerit secura apud hospitam commoratio Thesei, et quam scite in medio fere poemate insertum Episodium fuerit, ut callide differretur magnus exitus, pugna Marathonia, deque heroe ut praeclara excitaretur exspectatio.

Initium faciam ab eo Fragmento, quo Hecale, ut mihi quidem videtur, cupiditatem audiendi suam declarat, CCLXI.

μύθου δὲ πασαίμην
ἥδιον.

sic, *μύθου*, ut est apud Athenaeum I. p. 24. A. *θύμου, thymo*, Ruhnkenii emendatio, recepta adeo ab Ernestio, Blomfieldio, Boissonadio, metrum pessum dat illata caesura trochaica, de qua satis dictum Cap. I. p. 32. sq. Neque video quid tam male habeat viros doctos in dictione hac, *μύθου πάσασθαι, sermone satiari.* Hoc enim consilio laudat Callimachum Athenaeus, ut doceat *πάσασθαι*, quum alibi sit *ἀπογεύσασθαι*, apud recentiores esse *πληρωθῆναι, satiari.* Si quis tamen pervicaciter resistat, contendatque *πάσασθαι* proprie tantum de vera satietate, quae edendo efficitur, recte dici, facile hoc quicquid est duritiae emollietur ita constituta sententia, ut significatio verbi non

propria nexu atque opposito illustraretur. Ut si Hecale invitanti ad communionem coenae Theseo responderit, nullam sibi cupiditatem cibi esse: *sermonibus se satiatum iri iucundius.*

Iam de eo, quid narraverit Theseus, quid non narraverit, quo recte statuas, iudicio opus est ad leges artis poeticae consuetamque poetae doctissimo elegantiam quam fieri possit optime conformato. Sic male Theseus omnes res suas, parentes, pueritiam, adolescentiam, et facta usque ad eum diem, ordine exponeret Hecalae. Quanto melius nos, separatione facta, partem horum communicatam a poeta cum lectoribus eo loco, esse, qui nobis est Caput tertium, statuimus. De parentibus Thesei fando audiverat haud dubie Hecale, et tamquam notum sibi exceperat Theseum. Ne quis forte ab Hecale prolatum, originem percontante Thesei, coniiciat Fragmentum CCXLI. (coll. Hesych. v. *Γένη*): *τὴν δὲ γενὴν οὐκ οἶδα.* Nunc, per Episodium, accipit recentissima, et quae iucundissimum erat ab eo ipso accipere, qui tam praeclara gessisset. Igitur, quae mea sententia est, narrabatur iter, quo Theseus Troezene Athenas profectus est, et coniuncta cum eo itinere facinora. Illud quoque, de tonsura capitis, seorsum ponere quam cum reliquis coniungere malui, quoniam ad pueritiam pertinet.

Curavimus Cap. II. p. 56. omnibus ut in memoriam revocaremus iter Thesei, factorumque ordinem. Et sunt quae addas prolatis ibi testimoniis. Schol. in Plat. Leg. p. 229. Ruhnk. p. 452. Bekk. disertissime: *πρὸς τοῦτον* (Cercyonem) *τὸ πεμπτὸν ἆθλον ἐν Ἐλευσῖνι παλαίων διηγωνίσατο Θησεύς.* Prorsus ut duodecim numerantur *ἆθλοι* Herculis. Verum certior in Theseo res est quam in Hercule. Nam Herculis laborum ordinem variant mythographi: de quo docto exposuit Zoega, Bassirilievi T. II. p. 45. sqq. p. 48. sqq. non immemor ille Callimachi h. in Dian. 109. ubi tamen quod traditur, Cervam *ultimum*, *ὕστατον*, fuisse *ἀέθλιον* Herculis, ita est reliquorum auctorum narrationibus, variantibus quidem illis, ut dixi, sed tamen in multa varietate unum alterumque magno consensu attestantibus, contrarium, ut non inepte interpretes Callimachi de emendatione cogitaverint, *ὕστερον* ex Schol. Apollonii; aliam viam iniit censor Blomfieldii Passovius, Ephem. litt. Ien. Octob. 1819. num. 193. At Thesei

laborum ordo, illorum quos vidimus, qui adstrictus ordini locorum geographico est, mature et prius, quam Herculis labores coepissent in ordinem numerumque redigere, talis factus atque constitutus est, neque variatur ab iis quidem qui accurate agunt. Suidas quoque in v. *Θησεῖα*, ubi facta Thesei recenset obiter ac negligenter, ea tamen, quibus ille *τὸν ἀπὸ Τροιζῆνος χῶρον ἅπαντα ἄχρις Ἀθηνῶν* purgaverit, *λῃστῶν ἔμπλεων ὄντα*, distinguit ab aliis, et quinque (omissa Sue) hos, Cercyonem, Scironem, Sinnin, Peripheten (*Περίφαντον*), Procrusten, inter se iungit proxime. Quid lateat sub illa expeditione Thesei, latronumque excidio, coniectura assequi conatur Müllerus Doriens. I. p. 238. sq. satis ingeniosa. Verum id, quidquid est, non spectat ad Callimachum, qui recensere facinora singula atque exornare more poetico satis habuit.

Igitur cogitetur ingressus suum iter Theseus.

Periphetae *τοῦ Κορυνήτου* nullum in Fragmentis vestigium reperio. Nisi de Peripheta accipiendum sit Fragm. CCCCXXXIV.

ἵν' ἔλλερα πολλὰ τέλεσκεν.

ubi cum Lexico Reg. MS. ex quo primus hoc publicavit Albertius ad Hesych. (cf. Ruhnken. in Epistt. Tittm. p. 103.) convenit Zonarae Tittmanni p. 689. Verum *ἵν' ἔλλερα πολλὰ τέλεσκεν* eodem iure de aliis perdomitis a Theseo sceleratis, de Sinide, Procruste, Scirone, Cercyone dictum esse potuerat, vel alio in poemate. Hoc tenuerim, si fuerit in Hecale, aptius de Peripheta, vel Sinide, et quos memoravi alios, dici quam de sue Cromyonia vel tauro Marathonio. Certe quibus vocabulis *ἔλλερα* vocem Hesychius ibique apud Albertium alii interpretantur: *ἐχθρά, πολέμια, ἄδικα*, magis hominis ferocis mala facta quam bestiae significare videntur. Quamquam ne hoc quidem ab omni parte certum est, si recte grammatici ab occisa Chimaera appellatum Bellerophontem, *Ἐλλεροφόντην*, tradunt. Ad verba simile est Callim. h. in Dian. 123. *ἀλιτήμονα πόλλ' ἐτέλεσχον*, ubi ex libris restituendum *πολλὰ τέλεσχον*. et de bestiis usitatum *κακὰ πολλά*: Hom. Il. IX. 540. *σῦν — ὃς κακὰ πόλλ' ἔρδεσκεν*. Hom. h. in Apoll. 302. *δράκαιναν — ἣ κακὰ πολλὰ ἀνθρώπους ἔρδεσκεν ἐπὶ χθονί*. et 355. *ἣ κακὰ πόλλ' ἔρδεσκε κατὰ κλυτὰ φῦλ' ἀνθρώπων*. Hecataeus Geneal. lib. II. apud Steph. Byz. v. *Ψωφίς* (Fragm. 344. ed.

Klausen.) *Κάπρος* (Erymanthius) *ἦν ἐν τῷ ὄρει, καὶ τοὺς Ψωφιδίους κακὰ πόλλ' ἔοργεν.* Potest fieri ut non semper annotem, ubi nove atque insolenter loquentem Callimachum video. At *ἔλλερα* fortasse primus ac solus ausus est scribere, ex dialecto quadam, de qua obscurum apud Eustathium in Iliad. VI. 181. p. 635, 5. indicium: *Βελλεροφόντης — Ἑλλεροφόντης, ἤτοι φονεὺς κακίας· ἔλλερα γάρ φασι κατὰ διάλεκτον τὰ κακά*: vel sola fretus analogia nominis *Βελλεροφόντης*, quod ipse cum aliis interpretaretur e coniectura: *Ἑλλεροφόντης, φονεὺς κακίας.* De Zenodoto gravo est testimonium Eustathii, quod apud Heynium ad lib. VI. ubi exspectes, non reperio: in Iliad. II. 569. p. 289, 38. *καὶ ὁ Βελλεροφόντης δέ φασιν Ἑλλεροφόντης ἐν τοῖς Ζηνοδότου εὕρηται.* Unus fortasse praeter Callimachum *ἔλλερα* poeta dixit is, ex quo apud Suidam corrupte: *Ἔλεῤῥα ἔργα.* ubi nunc Gaisford. *Ἔλλερα ἔργα.* In Lexico Reg. MS. apud Albertium ad Hesych. v. *Ἔλλερα* et apud Zonaram sic: *Ἔλλερα. φόνια, χαλεπά, κακά. ἔλλερα ἔργα,* et apud Favorinum: *Ἐλλέρα, φόνια, χαλεπὰ ἔργα.* Nisi hoc quoque ad Callimachum pertineat: *ἔργα* fortasse appositum ab aliquo grammatico explicationis caussa. Sed praestat pro poetae alicuius verbis haberi *ἔλλερα ἔργα.* At Hesychii glossa: *Ἔλλερα· ἐχθρά, πολέμια, ἄδικα,* ad Callimachum spectat haud dubie, qui *ἔλλερα πολλά* absolute scripsit, *multa noxia.* ut alibi *ἀλιτήμονα πολλά.* Originem rarae vocis si scruteris, nihil est veri magis simile, quam esse, ut Etymologus p. 331, 32. statuit, *ὀλλύντα.* Sed audiamus Etymologum, qui fortasse aliquid docet amplius: *Ἐλλέρα — ὀλλίρα τινὰ ὄντα, ὀλλύντα καὶ ἔῤῥειν ποιοῦντα.* Eadem Lexicon illud MS. Reg. et Zonaras cum aliqua accentus varietate. In quibus mihi *ἔῤῥειν* verbum statim audaciam Callimachi aliam, quam supra Cap. I. p. 48. mirati sumus, in mentem revocavit, Fragm. CCXCII. *ἔλλετε* pro *ἔῤῥετε.* Ergo mihi haec sese illustrare invicem, et cognata esse *ἔῤῥειν, ἔῤῥετε, ἔλλετε, ἔλλερα*, tam inter se quam cum forma altera *ὄλλυμι* videntur.

Quod alterum loco laud. Cap. I. tractavi fragmentum Callimachi, nunc ut de dialecto Callimachi, h. e. verbis formisque verborum, quae ex dialectis derivavit paullo audacior poeta, nonnulla disputem obiter, admonet. Scilicet in Fragmento CXXI.

(Valcken. Call. Eleg. Fr. p. 276. sqq. Wakefield. Silv. crit. P. I. p. 10. sq. Porson. Not. br. ad Toupii Emendd. p. 472.) ubi tum quidem placebat coniectura, si opus coniectura esset, sane omnium maxime probabilis, ἴλατε, postea intellexi fortasse nulla nisi accentus mutatione opus esse, sic:

ἔλλατε νῦν, ἐλέγοισι δ' ἐνιψήσασθε λιπῶσας
χεῖρας [ἐμοῖς], ἵνα μοι πουλὺ μένωσιν ἔτος.

vel quod alii voluerunt: χεῖρας, ἵν' . . . πουλὺ μένωσιν ἔτος. Mihi μοι vel ἐμοῖς, vel utrumque, valde commodum videtur, ne dicam necessarium. Callimachus in Heraclitum poetam: αἱ δὲ τεαὶ ζώουσιν ἀηδόνες. Ad extrema pentametri fortasse respexit Thallus Epigr. I. (Anth. Pal. T. I. p. 262.) 6. εὐχομένοις ἡμῖν πουλὺ μένοις ἐπ' ἔτος. Et νῦν scripsi, sed ea significatione, quam alibi νυν encliticum habet. ἔλλατε autem (pro eo quod ap. Schol. Pindari, ἐλλᾶτε) ex uno tum mihi quidem noto testimonio Etymologici Gud. v. Χίλιοι p. 566, 32. de Aeolensibus: — ἀλλ' ἰστέον, ὅτι σπανίως τὸ ἰῶτα ἐκτεταμένον τρέπουσιν εἰς ε, οἷον, ἵλαθι ἔλλαθι, χίλιοι χέλλιοι. coll. Etymol. M. in ead. v. et cuius ad eum locum Etymologi Magni verba profert Peyronus, Charace in Orthographia. Verum iam exposuerat memorabilem Aeolismum Seidlerus meus in docta atque eleganti dissertatione de Sapphus et Alcaei fragmentis, deque dialecto aeolica, p. 180. Et est forma illa certa et minime dubia eo, quod qui eam proferunt grammatici, quippe assueti regulae in universum verissimae, aeolicum $\overline{\epsilon\lambda\lambda}$ $\overline{\epsilon\mu\mu}$ $\overline{\epsilon\nu\nu}$ $\overline{\epsilon\rho\rho}$ non fieri nisi ex diphthongo $\overline{\epsilon\iota\lambda}$ $\overline{\epsilon\iota\mu}$ $\overline{\epsilon\iota\nu}$ $\overline{\epsilon\iota\rho}$, quam regulam unus nuper a Cramero editus Choeroboscus locis fere innumeris inculcat: duo haec, ἔλλαθι sive ἐλλαθι, et χέλλιοι, cum admiratione proferunt tamquam singularia. Choeroboscus p. 275. in Χίλιοι, et p. 224, 16. (coll. Anecd. Bekker. III. p. 1366.) ita: Εἴλαθι: οἱ Αἰολεῖς γὰρ ἔλλαθι λέγουσιν. ubi εἵλαθι fortasse nihil nisi ficta a Choerobosco, vel antiquiore grammatico, forma est, scilicet ficta ab explicaturo, quomodo aeolicum oriri ἔλλαθι potuerit, quum secundum regulam illam ex ἵλαθι non fiat ἔλλαθι, sed, qui alius aeolismus est, ἴλλαθι: ut ἴλλαος ex ἵλαος testante eodem Choerobosco p. 225, 6. et in Anecd. Bekker. I. l. p. 1367. Verumtamen semper mirum, vel adeo temerarium videbitur, quod illud totum aeolicum

ἔλλατε Callimachus suam in poesin receperit. Est enim in his modus quidam. Audacter usurpatum vidimus Cap. V. p. 124. genitivum doricum ἀσκάντα, ἀράχνα. Enimvero satis mihi tueri se invicem videntur tria: ἀσκάντα, ἀράχνα (de quo dubitant Iacobsius in Anthol. Gr. Animadv. Vol. II. P. I. p. 29. Bernhardy in Suid.), Ἐχέμμα in Epigr. Callim. LXXII. (Anth. Pal. T. I. p. 226.) si est Callimachi, ut tribuitur illi in Palatino. In Fragmento CCXXXVII. morabatur me aliquando non ἀσκάντα, sed producta per ν paragogicum ultima in κάθισεν. Nunc video exempla eius productionis apud Callimachum satis multa esse, ut ea, nisi alia accedat suspicio, qualis in Fragm. CCXLVIII. accedit, nihil dubitationis habeat. Ergo iucunda imago et digni hoc poeta numeri forent: τὸν μὲν ἐπ' ἀσκάντα κάθισεν [περιπηχύνασα]. Mos blandientis, amplecti eum, quem considere volumus, et infigere sellae, quasi per vim, sed eam lenem. Fragmentum CCCXLIV. περιπηχύναντες e Suida, ad h. lov. 46. referendum esse non credo Ruhnkenio, Ernestio. πήχυνα — κοῦρον ἀγοστῷ et similia, modus dicendi Nonno usitatus: III. 340. 398. IV. 152. V. 417. 451. 547. VIII. 187. alibi; aliquanto rarius medium: IX. 30. XI. 391. XIV. 152. alibi. Quamquam nihil nisi lusum esse apparet, quod περιπηχύνασα supplevi ex ingenio; neque facile refutabitur, qui servandum esse, quod illic apud Etymologum legitur, καί, et fuisse tale quid: — καὶ τὸν μὲν ἐπ' ἀσκάντα καθίσασα — coniiciat. Sed coeperamus nonnulla recepta Callimacho e dialectis colligere. Sic pro dorico habetur, et habebitur, donec alius antiquior Pindaro formae eius sponsor inventus fuerit, breviter observatum supra ὀκχῇ Fragm. CCCCLXXXIV. et ὤκχησεν. Item pro dorico, non tentandum cum viro docto apud Santenium, et Blomfieldio, διδυματόκος h. Apoll. 54. sive id poeta primus ipse ex dorica dialecto (cf. Theocrit. III. 34. V. 84.) suum in usum asciverit, sive alii praeiverint non Dorienses. Callimachus in eo obsequentes habuit Philippum Thess. VII. (Anth. Pal. T. I. p. 218.) 5. Manethonem IV. 455. 590. Orpheum Hymn. XXXV. (34.) 1. Epigr. ἀδέσπ. DCCXXX. non habuit Nonnum, neque Ioannem Gazaeum, siquidem quod apud Nonnum semel III. 388. legitur, διδυματόκος, vix dubium quin aliis ex locis διδυμητόκος scribendum sit: quae etiam Graefii sententia.

Ac mirum quodammodo διδυματόκοι apud Philippum est, qui poeta alias η littera in tali formatione delectatur: ἀφρηλόγον, γυρητόμον (γυιητόμον), καλαμητομίης, κρηδόχον, λειψανηλόγους, λαιμητόμα, πυρηφάτον, πυρητόκον (?), πυρηνέμους (?), στελεχητόμον, ὑλησκόπῳ, ut praeterea trita et multum etiam aliis usurpata θαλαμηπόλε, θυηπολίας. Cf. Lobeck. in Phrynich. p. 660. seq. Modicus dialecti usus, quippe munitus antiqui poetae epici auctoritate: ὗδος. Si tamen hoc aeolicum, quod unus, quem meminerim, Tzetzes tradit ad Hesiodum: caeteri, Suidas, Etymologi, et quos laudaturus sum alios, non dicunt. Habet etiam Theognis. Praeterea Callimachus ὗδος fortasse non usurpaturus fuisset alibi, at usurpavit, et cupide usurpavit eo in loco, cuius etiam alia quaedam cum loco Hesiodeo similitudo esset. Nam ita Callimachus Fragm. CCCCLXVI. ed. Blomf. sed ubi pars tantum prostat e Constantino Lascare, integrum ex Choerobosco Bekkeri A. Gr. III. p. 1209. appono:

ἔστιν ὗδος καὶ γαῖα, καὶ ὀπτήτειρα κάμινος.

De figulo aliquo, ut puto. Et de figulo, Vulcano Pandoram efficturo, Hesiodus Opp. 61. γαῖαν ὕδει φύρειν. Apud Bekkerum una syllaba deficiente ὀπτῆρα legitur. ὀπτήτειρα meum inventum est, in quo duplicem elegantiam, et fortasse proprietatem poetae huius, observari velim. nam et forma haec, ὀπτήτειρα, aliquid elegantiae habet: cui geminae sunt in reliquiis quas nunc habemus Callimachi, ἐπιθυμήτειραι, θηρήτειρα, ἀρήτειρα, λήτειραι, ἐμπελάτειρα. et exquisita est coniunctio: ὀπτήτειρα κάμινος, ut h. in Del. 230. κύων — θηρήτειρα, h. in Dian. 207. θηρητῆρε - κύνε. Senserat elegantiam Nonnus, qui et nomina in ειρα multa habet, quorum nonnulla multum frequentat, et partem etiam communicavit cum sectatoribus suis, Paullo, Ioanne Gazaeo, Colutho: ἀλεξήτειρα, ἀπειλήτειρα, γενέτειρα, δμήτειρα, ἐλάτειρα, ἡγήτειρα, θρέπτειρα, κατευνήτειρα, κυβερνήτειρα, ναέτειρα, ὀλέτειρα, παιδολέτειρα, πανδαμάτειρα, προηγήτειρα, τιθηνήτειρα, ὑποδρήστειρα, (ἀρήτειρα apud Musaeum et Christodorum); et amat talia: ἀλεξήτειραν ἰωήν XXIII. 162. ἀλεξήτειραν ἀνάγκην XXXVI. 142. ψυχὴν - ἀλεξήτειραν Evang. Io. XV. 13. ἀπειλήτειραν - ἰωήν XXX. 40. XXXVII. 306. Ev. Io. II. 18. ἀπειλήτειρα γενέθλη Ev. Io. XV. 20. ἀστεροπὴν ὀλέτειραν VIII. 390.

ut omittam ea, in quibus pendens a nomine verbali genitivus accedit, et, quorum infinitus numerus, ubi eodem modo versat masculina: ut *ἀμιλλητῆρι-ταρσῷ*, *σιδήρῳ*, *παλμῷ*, *χαλκῷ*, *πόθῳ*, *χορείῃ*, *δίφρον ἀμιλλητῆρα*, *γρῦπας ἀμιλλητῆρας*; *ἀπειλητῆρι-πήχει*, *δεσμῷ*, *ὄμβρῳ*, *χαλινῷ*, *κορύμβῳ*, *παλμῷ*, *δαλῷ*, *ὁλκῷ*, *μύθῳ*, *ὀδόντι*, *αἰθερεῶνι*, *ἀπειλητῆρα-ταῦρον*, *μῦθον*, *δοῦπον*, *πυρσόν*, *δεσμόν*, *τίγριν*, *ζωστῆρα*, *ἀπειλητῆρος ὀνείρου*, *ἀνθερεῶνος*, *ἀπειλητῆρας ὀφθαλμούς*, *ἀπειλητῆρες κεραυνοί*. Sunt alia magis mira quam *ὗδος*, apud Callimachum. Ut de quibus Buttmannus Lexil. I. p. 43. egit, *βιοπλανές*, et *Μάλοες* in Fragm. ap. Bekker. A. Gr. III. p. 1187. Neque *δρομέσι* Fragm. CCCCXCVIII. Blomf. (Const. Lascaris in binis locis, *Περὶ τῆς πέμπτης κλίσεως*, et *Περὶ τῶν πέντε κλίσεων τῶν συνῃρημ. ὀνομ.* haud dubie ex Choerobosco suo: Bekk. A. Gr. III. p. 1185.) non sapit dialectum. Prolatum alibi *βωνίτῃσιν*. At *περιαγέες* Fragm. CCCCXXIX*. neque mihi se approbare potuit, et nunc feliciter expulsum ab Hermanno est: v. Cap. IV. p. 105. Adhuc de formis verborum disputatum est. Aliud est quum verba Callimachus e dialectis assumit integra. Ut *σῦφαρ*. Sed hoc tamen antiquioris scriptoris auctoritate, eiusque magni. *Εἴρενα* fortasse sine ulla scriptoris, h. e. eiusmodi scriptoris, qui praeire hoc poetae posset, auctoritate. Non puto enim *εἴρενα* Callimacho Lacedaemonium *εἴρενα* sive *ἰρένα* esse, sed quemvis iuvenem ea aetate. Certe id non superat audaciam huius poetae. Ex loco ipso Callimachi, quem post Blomfieldium (Fragm. CCCCXCVII.) pleniorem ex Choerobosco Bekkerus A. Gr. III. p. 1198. et in Epimerismis Homericis Cramerus A. Gr. I. p. 413, 22. protulerunt, nihil certi efficio. Et Bekkerus quum exhibuisset *ἀλλ' ἀντὶ βρεφέων πολλῶν εἴρενα μέσσων* (sic, imperfecto versu), Cramerus versum in suo grammatico multo esse emendatiorem dicit:

ἀλλ' ἀντὶ βρεφέων πολιὸν νέον εἴρενα μέσσον.

Ex parte verum. Sed praeter *πολιόν*. Quid enim *πολιὸν νέον* esse censebimus? *canum iuvenem*, ut sunt nonnunquam viri iuvenes cani? Cf. ut afferam quae statim ad manum sunt, Gregorius Theol. Carm. II. 704. (et L. 221.) At tamen non *εἴρενες*, viginti annorum, ut spero. Nisi quis huc revocet *πολιοκροτάφους* Hesiodi, de quibus nuper Hermannus Opusc. Vol. VI. P. I. p. 169.

Mihi semper illud ἵηρὸς — πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων ante animum versatur, et sententia talis: multorum infantium instar haberi iuvenem adultum. Qualem sententiam etiam ad Theseum accommodabit, qui volet. μέσσον quoque non putaverim μέσον esse, sed a μέσσων i. e. μείζων, insolenter. Etsi fateor nullum me formae huius, μέσσων, certum exemplum, praeter grammaticos qui ea in explicanda forma altera μείζων utuntur, habere. Et sic quidem ἀλλ' ἀντὶ βρεφέων πολλῶν νέον εἴρενα μέσσω, vel etiam μέσσον neutrum, — bene illustrabitur ex Sophocle Antig. 182. καὶ μείζον' ὅστις ἀντὶ τῆς αὐτοῦ πάτρας φίλον νομίζει. Alia audacia est, vocabula barbara inferre, graece flexa. Βάκαλ, βάκαλες: Fragm. ex Choerobosco ap. Bekker. Anecd. Gr. III. p. 1174. extr. et Goettling. in Theodos. p. 234. cf. L. Dindorfius in Thes. Steph. v. Βάκαλ. Et δανάκης.

Redeo ad Hecalen et res gestas Thesei.

Fragmentum est inter Bentleiana CCCXVI.

ὁ δ' οὐκ ὄθετ' αἴσυλα ῥέζων.

quod, ut ἵν' ἔλλερα πολλὰ τέλεσκεν, aptum ad Periphetae historiam, sed aptum itidem ad latrones a Theseo perdomitos omnes erat. Verum hic mature dubitatio exorta est, an ea Homeri ex Iliad. V. 403. sint, non Callimachi verba. Eandem dubitationem, eorundemque virorum, vidimus in Fragmento CCLXXXIX. Cap. V. p. 132. Et Ernestii in rem, qui utrobique ita sentit, licuisse Callimacho suum facere Homeri aliquod hemistichium, adscripseram sic suum fecisse Callimachum h. in Cer. 116. Homericum αἰτίζων ἀκόλους; et ex utroque Agathiam LXVI. 6. αἰτίσσας ἀκόλους. Finge intercidisse hymnum Callimachi in Cererem, at conservata ex eo a grammatico quodam haec esse: αἰτίζων ἀκόλως (vel ἀκόλους)· Καλλίμαχος. Quis non erroris argueret grammaticum, et Homeri verba esse Od. XVII. 222. diceret? Certe multi dicerent, neque refutari ea sententia posset, et tamen fallerentur. Rursus Ruhnkenii Epistt. Tittm. p. 103. sententiae, qui ex Homero esse ὁ δ' οὐκ ὄθετ' αἴσυλα ῥέζων, et errasse grammaticum, censebat, novam paraveram commendationem ex eo, quod nunc edocti scholiis apud Heynium et Bekkerum antiquis scimus, fuisse qui pro vulgata ibi eaque vera scriptura, ὃς οὐκ ὄθετ' αἴσυλα ῥέζων, legerent: ὅτ' οὐκ ὄ. αἰ. ῥ. Apparet

quam facile ὅτ' in ὅδ' abicrit. Iam de Fragmento CCLXXXIX. rem incertam reliquimus, et relinquemus in futurum. De Fragm. CCCXVI. aliud idque inexspectatum docet editus nunc integer a Cramero in Anecdotis Gr. Vol. I. Grammaticus, ex quo Callimacheum hoc apposuerat Bentleius, et quem non esse Herodianum viderat: p. 51, 25. in v. Ἄξυλος: κανὼν γ'. τὰ τριγενῆ παροξύνεται (Cod. προπαροξ.)· οἷον, ἀγκύλος· καμπύλος·

στρογγύλος ἐστι λίθος

Καλλίμαχος· σεσημείωται τὸ αἴσυλος· οὐ οὐδέτερον τὸ αἴσυλον· ὅδ' οὐκ ὄθετ' αἴσυλα ῥέζων.

Ergo Callimacho quod dandum erat, omisit, et pro eo illud dedit Bentleius, quod Homeri erat. Homericum iterum profert idem Grammaticus p. 73, 27. ita scriptum: ὡς οὐκ ὄθετ' αἴσυλα ῥέζων. Et festinanter ista exscripsisse Virum magnum, vel semel lecta referre memoriter, etiam reliqua documento sunt: concisum enim atque contractum dedit locum grammatici ita: Ἄξυλον. — Καλλίμαχος, οὐ τοῦτο. Ὁ δ' οὐκ ὄθετ' αἴσυλα ῥέζων. Novum fragmentum Callimachi,

στρογγύλος ἐστι λίθος,

quum primum oculis vidi, statim ad narrationem de πέτρᾳ κολουραίᾳ, et de gladio calceisque, referendum conieci, quae est Cap. III. p. 72. Ac bene ἐστι, non ἦν: monstrabatur enim non solum Callimachi aetate, sed etiam Pausaniae. Praeterea vidimus ibi explicationem vocis κολουραία unam, στρογγύλη. Neque λίθος non conveniret, ut puto: κολουραίῃ ὑπὸ πέτρῃ et λίθος στρογγύλος non male variata dictio. Sed fatendum est, facile res alias narrationesque excogitari, ad quas accommodata fuerint tam pauca verba στρογγύλος ἐστι λίθος.

Agro Epidaurio, in quo habitaverat Periphetes, ager conterminus Argivus est (Pausan. II. 26, 1.), per quem dum iter faceret, fortasse ad *Asterionem* fluvium se pervenisse narrabat Theseus. Ut hic ponendum sit Fragm. CLXVI.

καὶ δόνακι πλήθοντα λιπὼν ῥόον Ἀστερίωνος.

Quo versu utuntur ad adstruendum hunc dativi usum Eldikius Susp. Spec. p. 10. Schaeferus ad Longum p. 410. De Asterione fluvio vicino Mycenis Pausanias II. 15, 5. 17, 1. 2. qui quod scribit: ὁ δὲ Ἀστερίων οὗτος ῥέων ὑπὲρ τὸ Ἡραῖον ἐς φάραγγα

ἐπιπίπτων ἀφανίζεται, nescio utrum magis rapidum, torrentem significet, an tarde profluentem et stagnantem fluvium, qualem fuisse Asterionem ex verbis Callimachi *δόνακι πλήθοντα* colligas. Aliud est quod de *πόᾳ* in ripis eius fluminis proveniente narrat Pausanias. Statio in Thebaidos quarto Asterion primum *celer* v. 121. alibi v. 713. *aequus fluctibus* audit. Eundem magnum nobilemque fecit, nescio quo iure, Nonnus XLVII. 493. *Ἀστερίων δ', ὅθι πολλὰ θαλύσια μείζονος ἥβης ἠϊθέων κείροντο λιπότριχος ἄνθεα κόρσης, αὐτοὺς παῖδας ἔδεκτο, καὶ οὐκέτι βόστρυχα χαίτης*. Qua in re fortasse melius et usitatius fuisset *Inachi* mentionem facere, vel propter Aeschylum: sed Inachum versibus praecedentibus nominaverat alia in re, et placuit haud dubie docto poetae tam doctum *Asterionis* nomen. Deinde Theseus *Lyrceum* se mentem conspexisse narrabat. Fragm. LV.*

Λύρκειον, ὄρος Ἄργους· Καλλίμαχος Ἑκάλῃ.

Argicum montem cum Stephano Byz. Scholia in Apollonium I. 125. Lyrceum dicunt, itemque, ut videtur, Sophocles ap. Strabon. VI. p. 271. Fragm. 265. Dind. Hesychius quoque tam in v. *Λύρκιον*, quam in glossa ad Sophoclem referenda *Λυρκίου δῆμον*. *Arcadicum* facit Strabo VIII. p. 370. (569. A.) Mitto alios qui laudantur ad Stephanum Byzantium et a Tzschuckio in Strab. T. III. p. 219. Neque multum interest. Ut enim concedamus Arcadicum fuisse, certe haud longe abfuit ab oppido cognomine Lyrcea, quod Argivis vindicant Pausanias II. 25, 4. 5. et ipse Strabo VIII. p. 376. (578. A.) ex emend. Casauboni. Quum in agro versemur Argivo, et in montibus Argivorum, quaeram an ad eiusdem itineris Thesei descriptionem pertineat Fragmentum, neglectum a Bentleio, apud Interpr. vet. Statii Theb. IV. 46.

Neris. *montis nomen Argici, ut ait Callimachus.*

Ea vero prorsus incerta res est, quum de Argis, montibusque eius regionis, dicendi multa occasio, non uno in carmine poetae fuerit; ut Arachnaei montis mentionem in Aetiorum libro primo fuisse scimus, Fragm. XIV. Deinde *Neris* mons qua in parte agri Argivi quaerendus sit, eamque partem an attigerit suo itinere Theseus, non constat. Quin ipsum hoc, *montem* fuisse, solus tradit e Callimacho interpres ille. Nam Statius quum scribit: *Quaeque pavet longa spumantem valle Charadron Neris,*

manifesto oppidum intelligit, non montem. Id oppidum vel is vicus, cui montem proximum fuisse cognominem non incredibile est, Pausania lib. II. extr. testante, in confiniis Argivorum, Arcadiae et Laconicae situm erat. Statius, ut videtur, quod interdum accidit poetis exquisitorum nominum amatoribus, ignobili vico nimium dignitatis tribuit. Neque hoc praestiterim, tam vicinam Nerin Charadro fuisse, ut *pavendum* esset. C. Barthius Lutatium aut errare cum toto hoc *monte* suo, et auctore insuper scribendi Callimacho, aut corrigendum esse censebat. Corrigendum autem hoc parum probabili modo: comi *nomen Argiri.*

De Sinide nihil indicatum in Fragmentis reperio. Levis coniectura, si quis conservatum in illis *'Ομήρου 'Επιμερισμοῖς* Cramer. Anecd. Gr. Vol. I. p. 373, 29. fragmentum Callimachi,

κούρη δὲ παρείατο δακρυχέουσα:

de filia accipere Sinidis, Perigune (Plut. Thes. 8. Pausan. X. 25, 7.), vellet. Memorabilis utique locus propter *παρείατο. Παρείατο: Καλλίμαχος, κούρη δὲ παρείατο δακρυχέουσα. τινὲς πλεονασμὸν ἡγήσαντο τοῦ α· ἀντὶ τοῦ παρῆν γάρ ἐστιν καὶ παρεκαθέζετο· οὐκ ἔστιν δὲ πλεονασμὸς ἀλλὰ πληθυντικὸν ἐστὶν ἀντὶ ἑνικοῦ τεθειμένον, ὡς τὸ,* (Odyss. VIII. 503.) *οἱδ' εἴατ' εἰν ἀγορῇ.* Etymol. M. p. 653, 20. *Παρείατο δακρυχέουσα, ἀντὶ τοῦ παρῆν ἡ κόρη δακρύουσα. Ἕω τὸ κάθημαι,* et quae seq. Et ex Etymologico Favorinus in Lexico, tum plenius in Eclogis p. 343, 15. Dind.

Neque de sue Cromyonia quicquam. Memorabile est, quippe insignitum quasi illa doctrinae Alexandrinae et Callimacheae nota: *ἐῤῥαος, aper*, Fragm. CCCXXXV. sed quod eo consilio adscripsi, ut monerem alienum videri ab Hecale. Nam vocem inferre in Hecalen velle hac sola de caussa, quod doctrinae notam habeat, id hariolari est. Praeterea bestiam Cromyoniam, si recte memini, omnes *suem* vocant, et *Phaeam:* praeter Hyginum, qui *aprum.* Et omnino quibus verbis Tzetzes utitur: *ἐῤ-ῥάου) τοῦ κριοῦ. ὁ δὲ Καλλίμαχος λέγει τοῦ κάπρου* —, ea, ni fallor, non tam hoc sonant, usum esse aliquando voce *ἐῤῥαος aper* Callimachum, quam, disputavisse alicubi de significatione eius vocis, et docuisse, *aprum* esse *ἔῤῥαον.* Quaerebam, an forte Fragm. CCCXXXV. nectendum cum Fragmento CCCCIII.

esset. *Cromyoniam* scribo, una littera *m*, maxime propter versum certatim laudatum a viris doctis, Ovidii VII. 435. *Quodque Suis securus arat Cromyona* (vel *Cremyona*) *colonus*. Vulgo in libris auctorum veterum, quantum quidem mihi de libris compertum est, Plutarchi (e. g. in edit. Aldina), Diodori, et putaverim etiam Strabonis, scriptura praevalet altera *Κρομμυών*; et *Κρεμμύων* est apud Stephanum Byzantium. Ut fere hanc usitatam fuisse et scriptionem et pronunciationem existimem, *Κρομμυών*; utque eum usum etiam Pausaniam sequutum esse credam eo in loco qui est I. 27, 9. Ovidius, praeeunte, ut videtur, poeta graeco, qui fortasse fuit Callimachus, *Cromyona:* bene illi, et suo iure, si, quae minime contemnenda coniectura est, nomen loco *κρόμμυα* dederunt. Sin a Cromo nomen, quae Pausaniae II. 1, 3. sententia: Cromum hunc *Κρόμον* fuisse, atque inde *Κρομυῶνα*, editores statuunt Pausaniae, non *Κρώμου* et *Κρωμύων*, ut est in libris. Quod scripsi, nihil me de Sinide et de Sue indicatum in Fragmentis reperire, nolim ita accipi, ac si mirer hoc, atque inde coniiciam mentionem horum apud poetam aut nullam aut tantum brevissimam fuisse. Fuerunt apud Callimachum monstra illa omnia. Cuius longior historia fuerit, cuius obiter tantum facta mentio: ut sane probabile est, in uno poetam diutius moratum esse quam in altero: id nunc dignosci nequit. Viam Thesei et non multum inter se loco distare Cromyonem et Scironis Sinidisque habitationem discas ex Strabone, VIII. p. 380. (583.) et lib. IX. init. Cf. Pausan. II. 1, 3. 4.

Scironem habemus: Fragm. CCCLXXVIII. ex Hecale, ut conlicio, et ex hac in qua nunc versamur parte. Schol. Eurip. Hippol. 979. (976. Matth.) *Σκειρωνίδες. ὁ Σκείρων ἐν Μεγάροις ἦν, τύραννος ξένος* (*ἄξενος* coni. Valcken.), *ὃν τῇ χελώνῃ ἔῤῥιψεν ὁ Θησεύς. Σκειρωνίδες δὲ πέτραι καλοῦνται, ἀπὸ τοῦ Σκείρωνος, ὃς τὴν χελώνην ἔτρεφεν, οὗ μέμνηται Καλλίμαχος. οὗτος ἠνάγκαζε τοὺς παριόντας νίπτειν τοὺς πόδας, καὶ λακτιζομένους ὑπ' αὐτοῦ βρῶμα ἐποίει γίνεσθαι χελώνης. Θησεὺς δὲ τοῦτον ὑπεράνω τῆς κεφαλῆς ῥίψας εἰς τὴν θάλασσαν ἐποίησε βρωθῆναι ὑπὸ τῆς χελώνης.* Adscripsi omnia, quia ista fere omnia, quae sunt in scholio posteriori: nam apparet duo esse scholia: complexum esse Theseum Callimachi brevi, sed

luculenta narratione, doctisque verbis, existimo. Mirum commentum, dignus artificio Callimacheo locus propter insolentiam inmanitatis. Cf. in Lucianum disputata Prolegg. p. 9. Qui multi Scironem commemorant, inter quos tamen non reperitur in partes vocatus Natali Comiti Sosicrates, Meursio in Theseo cap. 6. Salvagnio in Ovid. Ib. 409. Bachelo de Meziriac ad Epistt. Ovid. T. I. p. 142. Valckenario in Eurip. Hippol. 977. 1207. laudati (cf. Cramer. Anecd. Gr. II. p. 261, 27.), non omnes illi testudinis memores, in eo consentiunt, ut in scopulis habitasse Scironem tradant: v. maxime Strabo IX. p. 391. (600. A.) et Hemsterhusius in Lucian. Dial. marin. VIII. Vol. II. Bip. p. 369. sq. quos scopulos etiam posteriori tempore opportuna latronibus latibula fuisse ostendunt Wesselingius ad Diod. Sic. IV. 59. Siebelis ad Pausan. I. 44, 12. Quo statim utar ad explicandum vindicandumque Hecalae versum quendam Callimachi. Nam ex Thesei hac de re narratione primum puto hoc esse:

Ἀκταίην τις ἔναιεν —

Fragm. CCCXLVIII. Scil. Sciron. Si recte ibi Ernestius Ἀκταίην edidit. In Etymol. MS. Paris. Ἀκταίη erat, ut est in Etymol. Gud. v. Ἀττική p. 91, 6. Et in hoc quidem sic: Ἀρκταίη τις ἔναιεν. Sane Ἀκταῖοι etiam Attici sive Athenienses dicti sunt, testantibus tum ipso Etymologo Gudiano glossa ea quae praecedit, tum Etymol. Magno in v. Ἀττικός, et Stephano Byz. in Ἀκτή: atque observavi eum usum apud poetas Maximum π. καταρχ. 494. Nonnum XXVII. 282. XLIV. 265. Ut ita accipi liceat Ἀκταίη τις ἔναιεν: *Actaea quaedam* (mulier) *habitabat.* At tamen commendant scripturam Ernestianam ipsi qui laudant poetam grammatici, Eustathius et Etymologi illi. Veluti Gudianus ita: Ἀττική, παρὰ τὸ ἀκτήν, καὶ γὰρ παραθαλασσία. Καλλίμαχος: Ἀ. τ. ἔ. Ad eundem locum revocandus Interpres Virgilii apud A. Maium, in Georg. IV. 463. *Atticae quae Acte aliquando vocata est, ut Callimachus et alii tradiderunt.* Similia Iun. Philargyrius et Pomponius Sabinus, sed absque nomine poetae. Crebrum nomen in poesi latina. Ut Petronius: *Qualis in Actaea quondam fuit hospita terra Digna sacris Hecale.* Deinde quum de Scirone accipio verba Callimachi, Ἀκταίην interpretor non omnem Atticam, sed, id quod nomen sonat, tractum Atticae

littoralem inclusa, ad quam Sciron et petrae pertinent Scironides, Megaride. Non obstat, quod *'Ακταίην* Etymologi et Eustathius *Ἀττικὴν* interpretantur. Fuit quum ita scribendum: *'Ακταίην τίς ἔναιεν*, coniiciebam, *qui habitabat*. *τίς* cum accentu, ut sit idem quod *ὅστις*, satis notum e Callimacho: *οὐδὲ κελεύθῳ χαίρω, τίς πολλοὺς ὧδε καὶ ὧδε φέρει*, ex Nosside, aliis. Cf. nunc Iacobs. in Anth. Palat. Not. crit. p. 88. 740. Pro simplici *ὅς*, ut in hac dictione: *Sciron, qui habitabat*, rarum, ne dicam suspectum. Affertur Callim. Fragm. CCLXXII. *ὑπεὶρ ἅλα κεῖνος ἐνάσθη, Αλκάθοον τὶς ἄπυστος* —. Melius utique hoc in loco, quem nunc tractamus, *τις* sine accentu. Et omnino ne altera quidem libertate illa abutendum est. Quod factum a Brunckio et Th. Burgessio in Callim. h. Iov. 93. ubi mihi quidem interrogationes accumulatae: *τεὰ δ' ἔργματα τίς κεν ἀείδοι; οὐ γένετ', οὐκ ἔσται· τίς κεν Διὸς ἔργματ' ἀείσει;* si placere dicerem, mentirer, at anhelanti alacritati, quam affectat hic illic in Hymnis Callimachus, sunt accommodatissimae. Similis interrogationis cupiditas cernitur in Oraculo Milesiis dato, apud Diogenem Laert. I. 28. *"Εκγονε Μιλήτου, τρίποδος πέρι Φοῖβον ἐρωτᾷς; τίς σοφίῃ πάντων πρῶτος; τούτου τρίποδ' αὐδῶ.* quod paene praetulerim tam aliorum scripturae auctorum veterum: *ὃς σοφίῃ πάντων πρῶτος*, quam Hübnerianae: *τίς σοφίῃ* —. Et Gregorius in Carm. LXIII. 275. maluit: *τίς πρῶτος χροίησε θεοῦ πλάσιν; ὡς ἀπόλοιτο πρῶτος ἀναιδείην χρώμασιν ἐγκεράσας*: quam *τίς πρῶτος — πλάσιν*, sine interrogatione. *'Ακταίην τις ἔναιεν* in mentem revocat supra Cap. IV. p. 100. indicata initia Homerica. Quod deest ad versum, quaerebam an adscito Fragmento CCCCXXXIV. supplendum esset, ita:

'Ακταίην τις ἔναιεν, ἵν' ἔλλερα πολλὰ τέλεσκεν.

Verum si hoc, non ipsum initium putem narrationis de Scirone esse, sed praecessisse tale quoddam vocabulum, quale est *λῃστής, ὑβριστής. latro quidam Actaeam habitabat, ubi* etc. Nunc talis fere confirmatio loci obversatur: *'Ακταίην τις ἔναιεν ἀτάσθαλος, αἰσυλοεργός*. Dico conformationem: verba non praesto. Deinde Fragmentum est a Ruhnkenio publicatum CCCCXXXVIII.

ὅς δ' ὥστ' ἐξ ὀχεῆς ὄφις αἰόλος αὐχέν' ἀνασχών.

ingeniosa emendatio Ruhnkenii in Epistt. Tittm. p. 35. in Callim.

Ernest. p. 574. et Epist. crit. II. p. 189. Ernestius male et contra mentem Ruhnkenii pro ὥστ' edidit ὡς. Vulgo, in Orionis Etymologico: — *Καλλίμαχος· οἱ δ' ὥστ' ἐξ ὀχεῆς σοφίσαι ὅλως αὐχέν' ἀναυχῆν.* Ubi ὥστε et αὐχένα ἀναύχην in ed. Sturz. p. 165. Ruhnkenii emendationem Toupianae Emendd. in Suid. P. III. Vol. II. p. 253. sq. (T. I. p. 481. Lips.) etiam Valckenarius praetulerat ad Theocr. Adoniaz. p. 255. A. etsi, ut verum fatear, non perspicio quid reprehendi in coniectura Toupii, *οἱ δ', ὡς ἐξ ὀχεῆς ὄφις αἰόλος αὐχέν' ἀνέσχεν*, debeat. Et Toupius quidem ita a se scriptum de Hercule et Iolao in hydra occupatis intelligi volebat. Ruhnkenius suum de quo viro aut monstro acceperit, non prodit. Ego narrantem Theseum, quomodo e saxis Sciron sive in ipsum Theseum, sive ante in viatores alios proruperit, agnosco, ὅς δ' i. e. ὁ δέ, si non obvium alibi apud Callimachum, cuius unum tantum exemplum recordor Fragm. CCLXXXVIII. ex mea (Cap. IX.) coniectura, at usitatum aliis, ut Theocrito XXV. 142. Bioni I. 82. 83. 85. Meleagro II. 5. ex emendatione satis probabili Graefii, qui id saepe inveniri in Anthologia observat; et apud Nonnum ὁ μὲν — ὅς δὲ innumeris locis, et ὅς μὲν — ὁ δέ. Annotavi obiter Anthologiae locos, sed omissis iis, qui multi sunt, ubi nominativus est, ὅς δέ, quod omnium frequentissimum, et ubi ὅς μέν. ᾧ δέ Alexander Anth. Palat. T. I. p. 243. 182, 5. Alcaeus ibid. p. 244. 187, 5. 6. Meleager T. II. p. 479. 94, 3. ᾗ δ' 'Αδηλ. T. II. p. 667. 135, 3. ἃ μὲν — ἃ δὲ 'Αδηλ. ibid. p. 706. 265, 7. 9. ὃν δ' Antipater Sid. T. I. p. 189. 14, 5. Zosimus p. 243. 184, 5. ὃν μὲν — ὃν δ' Onestes T. II. p. 101. 292, 1. ὧν μέν Argentarius T. II. p. 286. 18, 3. οἷς μέν Macedonius ib. p. 327. 27, 5. ἃς μὲν — ἃς δέ Meleager ibid. p. 489. 127, 5. Semper conditione hac, ut δέ sequatur aut μέν. Igitur hac quoque ex parte laborat dudum alia de caussa repudiatum commentum in Epigr. ἀδεσπ. CCLI. (A. Pal. T. II. p. 682.) Brunckii: ὅς θύρσῳ δεινός, ὁ δὲ ῥοπάλῳ. Semel ὅς γάρ repperi, 'Αδεσπ. A. Pal. T. II. p. 218. 615, 7. Hic est satis constans eorum usus, qui Epigrammata scripserunt. Quem tamen non contendo semper observatum esse ab omnibus. Fortasse iam antiqui aliter hic illic. Et recessit Gregorius Theologus in Carminibus, apud quem ὅς hic

etiam solum reperitur, quo Brunckius modo in Epigr. ἀδεσπ. CCLI. volebat, et ὃς γάρ, et ὅς τε — ὅς τε, *hic* — *ille*, et ὃς λόγος *hic sermo*. Mitto qui prosa oratione ὅς illud usurparunt, etiam recentiores: ut Aristaenetus ex admonitione Boissonadii p. 387. ὀχεή: Aratus 1026. (294.) et ubi ὀχῆς, 956. (224.) Nicander Ther. 139. ubi ὀχεῇσιν de latibulis serpentis, ut apud Callimachum. Orphei Arg. 79. locus dubius. χειαῖς Nicander Ther. 79. χειή, post Homerum, Oppian. II. II. 291. IV. 618. Cyneg. I. 522. II. 238. Orph. Lith. 467. Nonnus XII. 327. et ex probabili emendatione, XXV. 537. Nonno XII. 327. ubi: πετραίην βαθύκολπον ἐδύσατο γείτονα χειήν, Εὔϊον ἀθρήσας, ὄφις αἰόλος: Ruhnkenius versum obversatum esse Callimachi putabat. ὄφιν αἰόλον etiam Orpheus Lith. 704. αὐχέν' ἀνασχών alio sensu Gregorius Theologus Carm. arcan. VIII. 94. Denique quod Pausanias I. 44, 8. narrat: τὰς δὲ μετὰ ταύτην (petras) νομίζουσιν ἐναγεῖς, ὅτι παροικῶν σφίσιν ὁ Σκίρων, ὁπόσοις τῶν ξένων ἐπετύγχανεν, ἠφίει σφᾶς ἐς τὴν θάλασσαν. χελώνη δὲ ὑπενήχετο ταῖς πέτραις τοὺς ἐσβληθέντας ἁρπάζειν: in his illa avide adnatans testudo dignam carmine, et dignam Callimacho imaginem praebet. Non dico a Callimacho id habere Pausaniam, sed fortasse eadem Callimachus usus imagine est. Alia imago, vel etiam coniungenda cum illa, in Ciri est: *infestum Megarensibus dirae testudinis Spelaeum*. Enatabat e spelaeo, quoties novam devolutam praedam senserat.

Moranti in fabula Scironis, et in tractationem eius poeticam, quae quidem potuerit esse, inquirenti curiosius non incredibile videbitur, brevi ante Fragm. CCCCXXXVIII. spatio, duorum versuum, vel unius tantum, antecessisse Fragmentum CCLXXVII.

μαστύος ἀλλότ' ἔκαμνον ἀλητύϊ.

vel ex speciosa Eldikii Susp. Spec. Cap. IV. et Iacobsii Anth. Gr. T. IX. p. 145. emendatione:

μαστύος ἀλλ' ὅτ' ἔκαμνον ἀλητύϊ —.

ἀλλά secundo loco positum ex usu Callimachi, h. Iov. 18. Epigr. V. II. Crebrum in Anthologia: Iacobs. in Anth. Palat. Not. crit. p. 535. cui, ut ipse monet multos alios locos esse, statim tria quae addas unus suppeditat Crinagoras XII. 5. XXIV. 5. XXXIII. 5. Non attinet reliquos addere, inter quos sunt tam antiqui quam

Damagetus, Philodemus. Aratus v. 648. ex emendatione Buttmanni. Magis audacter, sed tamen cum nescio qua elegantia, Moschus III. 50. *λυπεῖσθε, πελειάδες, ἀλλὰ καὶ ὑμεῖς.* Callimachus h. in Del. 118. *Πήλιον, ὦ Φιλύρης νυμφήϊον, ἀλλὰ σὺ μεῖνον.* Scio aliunde locupletari atque illustrari hanc quaestionem posse, et ex antiquioribus, e. g. ex Tragoedia. Meam in rem plerumque sufficit, aequales Callimacho aut suppares aetate, et vero arte, poetas apposuisse. Quaesiverat, ut coniicio, Theseus Scironem per rupes et antra. Tum fatigato repente apparuit famosus latro. At sentio quam hoc dubium sit: minus dubia priora de Fragm. CCCXLVIII. et CCCCXXXVIII. Sed omnino illud recte statuo in universum, Theseum non inopinantem, dum iter faceret, incidisse in latrones, feras: quaerebat eos per occasionem itineris, ut exstirparet. Ut Callimachus *μαστύος ἀλητύϊ*, ita Nonnus I. 45. coniunxit *μαστῆρος ἀλήμονος Κάδμου.* cf. ibid. 365. *ἀλητύος* Manetho III. 379. usurpat sive a Callimacho acceptum sive a se suum in usum factum. Scilicet effingendi talia libertatem etiam recentioribus fuisse putem: ut *ποθητὺν* ex uno Cynegeticorum scriptore II. 609. annotatum habeo. Delectari nostrum formis ionicis in *τύς* (*ἀλητύς, ἁρπακτύς, ἀσπαστύς, γελαστύς, διωκτύς, μαστύς*, et fortasse *ἀφραστύς*, et similis magis quam vere cognata, sed non suspecta, ut Siebelisio in Istri Fragm. videbatur, forma *τριττύς, θυσία*: Callim. Fr. CCCCIII.) monitum Cap. III. p. 82. sq. Eorum nominum quantitatem ut attingam obiter, admonet facta ex hoc Callimachi loco ingeniosa Toupii coniectura in Soph. Philoct. 43. *ἀλλ' ἢ 'πὶ φορβῆς μαστὺν ἐξελήλυθεν.* Ubi Hermannus non abhorruisse ab huius formae usu Atticos apto exemplo Platonico, *σωφρονιστύς*, ostendit. At sapienter idem de eo dubitationem esse significat, an non recte *μαστὺν* corripiat ultimam. Scilicet quotquot post Brunckii factas non uno loco observationes, et maxime post diligentiores Spitzneri, Wernickii disputationes (Graefii commemorata ab Iacobsio in Anth. Pal. Not. cr. p. 692. non ad manum est), certa prostant correptionis huius ex poetis Atticis et recentioribus quibusdam exempla, et quae his addas exempla, fere omnia in nominibus eiusmodi versantur, quae cum nominibus ionicis in *τύς* non ab omni parte recte compares. Si in

νηδύν corripere ultimam Euripidi Androm. 356. Cycl. 574. licuit, non sequitur necessario, idem licuisse Sophocli in nomine verbali raro, ionicum in modum formato, μαστύς. Ut taceam, etiam illo in genere, ex quo νηδύς est, fortasse praevaluisse usitatum antiquis poetis epicis productionem: νηδύν est ultima producta apud Aristiam Athen. XV. p. 686. A. tum apud recentiores multos vel plerosque, Nicandrum Alexiph. 416. Oppian. H. II. 580. Cyneg. III. 150. 157. Orph. Lith. 273. Quint. Sm. IX. 189. Alcaeum Mess. XIV. 2. Philodem. XXVIII. 3. Crinagoram XIII. 6. Contra Callimacho h. in Dian. 160. si νηδύς ultima correpta placuit, ut placuisse certum est grammaticorum testimoniis et propter Nonnum XLVI. 318. cum Ioanne Gazaeo et Agathia, ut mittam Apollinarem, Gregorium, Palladam: num propterea eidem ἀκοστύς Epigr. XLVIII. (XLIX.) 7. placere eadem conditione debuit? Unum est verbalibus, quale μαστύς, aequiparandum κλιτύς, κλιτύν, ultima correpta, apud Sophoclem Antig. 1144. Trach. 271. Euripidem Hippol. 227. Bacch. 409. Nicandrum Alexiph. 34. apud Lycophronem bis, et Nicium in epigrammate, sed in quo vocabulo fortasse multus usus fecerat, ut negligeretur mos antiquus producendi. Et θελκτύν apud Apollonium I. 515. ex emendatione, sed non ita certa, ut nihil dubites, Brunckii. Mitto recentissimos, ut Apollinarem, qui in ἐλεητύς, ἐλεητύν, ultimam corripit saepissime; Gregorium, qui in ἐδητύν Carm. XLIX. 31.

Contemplandum mihi sumpsi Alpum Nonni XLV. 173. sqq. et alibi, an forte factus ad similitudinem Scironis Callimachei videretur. Sed nihil video, quod iste crudelis aeque ac ridiculus terrae filius commune cum Scirone habeat, praeterquam quod rupium habitator fuit, ut Sciron, et quod terriculamentum viatoribus.

De Cercyone etiam magis probabilia, vel, quatenus quidem aliquid in his rebus certi est, magis certa quam de Scirone habeo. Primum quo unius nominis, sed vetusti ac reconditi, memoria conservata est, Fragmentum LIV.*

Ἰαπίς,

et ipsum planissimum est, et multam recte intellectum lucem omni disputationi huic affert. Narrat Theseus ex Megaride so

in agrum penetravisse Eleusinium. Ibi *Iapis*. Stephanus ita: *Ἰαπίς, χαράδρα Ἀττικὴ εἰς Μέγαρα ἀπάγουσα, ὡς Καλλίμαχος Ἑκάλῃ.* ubi tam rarum nomen felici coniectura A. Berkelius, I. Gronovius p. 798. ed. Pined. et aliquanto plenius in ed. Berkel. Append. p. 17. a. itemque Holstenius, e Stephano restituerunt Scylaci binis locis: *Παράπλους δὲ τῆς Μεγάρεων χώρας μέχρι Ἰαπίδος, ἔστι γὰρ οὗτος ὅρος τῆς Ἀθηναίων χώρας, στάδιοι ρμ′.* et paullo post in descriptione Atticae: *Ἀπὸ Ἰαπίδος χώρας ἐπὶ Σούνιον στάδια* — utrobique vulgo *Ἄπιδος* legitur. Recte hoc quoque Gronovius, quod quam *χαράδραν* Stephanus, eandem Scylacem potuisse *χώραν* vocare animadvertit. Tum haec quae tradidimus e Stephano et Scylace, facile conciliantur cum determinatione finium vulgari Strabonis IX. p. 395. (604. D.) Plutarchi Themist. c. 13. qui montibus duobus, *Κέρατα* appellant, Megarenses dirimi ab Attica scribunt. Scilicet per *Κέρατα* lapis ducebat *χαράδρα*. Nisi viae fuerunt duae. Apud Pausaniam I. 39. fines non determinati diserte, sed proximae finibus Megarensium regioni agri Attici, et quidem Eleusinii, assignatur Cercyon, dum haec ordine enumerantur Eleusine proficiscenti versus Megaridem obvia: *φρέαρ Ἄνθιον, ἱερὸν Μεγανείρας, τάφοι τῶν ἐς Θήβας, Ἀλόπης* (Cercyonis filiae) *μνῆμα*, denique ultimo loco *Cercyonis palaestra*. *καὶ ὁ τόπος οὗτος παλαίστρα καὶ ἐς ἐμὲ ἐκαλεῖτο Κερκύονος, ὀλίγον τοῦ τάφου τῆς Ἀλόπης ἀπέχων.* Eo igitur Theseus se pervenisse per lapidem narrabat. Sequitur Fragm. CXLIII.

ὅς ῥ' ἔφυγεν μὲν
Ἀρκαδίην, ἡμῖν δὲ κακὸς παρενάσσατο γείτων.

Praeclare Ruhnkenius: *Hi versus ad Hecalen referendi sunt, cui Theseus suam cum Cercyone pugnam narravit.* Epist. crit. II. p. 183. Adstipulatur Boissonadius p. 201. Non tacendum est, apta etiam Hecalae verba esse, tali quodam nexu: novi te, Theseu, vel: saluto te victorem ac vindicem; tu enim Cercyonem perdomuisti, illum, ὅς ῥ' ἔφυγεν etc. Sed praefero narrationem Thesei continuam; atque egregie ἡμῖν dicit Theseus, etsi tum quidem, quum congrederetur cum Cercyone, nondum civis fuit Atticus: at nunc est, suamque merito patriam facit Atticam, dum narrat ante gesta. *παρενάσσατο* usitate. Memorabile est quod

aequales Callimacho poetae, et posteriores, ita utuntur verbo νάσσατο, et ipso hoc παρενάσσατο, ut sit, quod vulgo dicitur, transitivum: de quo Brunckius ad Epigr. ἀδέσπ. XVIII. 6. p. 260. ad Apollon. Rhod. I. 1356. Scire me velim, an quid Ruhnkenius, quum illud paullo ante commemoratum scriberet, coniunctum eum ea disputatione aliud in mente habuerit. Fortasse illi haec, quae expono de Cercyone, omnia obversabantur. Certe idem in Epistt. Tittm. p. 21. sq. et rursus ad Callim. Fr. CCXLVII. ed. Ern. coniectura admodum felici ad Callimachum retulit poetae non nominati fragmentum apud Suidam v. Ἔαρ et v. Ἄξεινος:

ἧχι κονίστραι
ἄξεινοι λύθρῳ τε καὶ εἴαρι πεπλήθασιν.

Fragm. Call. Blomf. CCCCXCII. Quod hoc in nexu sententiarum, quo est a me positum, nemo non ex Hecale esse, et de palaestra intelligendum Cercyonis coniiciet. Blomfieldius ne hoc quidem operae impendit, ut Suidam inspiceret annotationemque Kusteri, qui testimonium addit minime contemnendum Eustathii in Odyss. XVIII. 367. p. 1851, 43. Ἰστέον δὲ καὶ ὅτι Ὀππιανὸς μὲν καὶ τὸ αἷμα ἔαρ ἔφη διὰ μόνου τοῦ ε ψιλοῦ, ἕτερος δέ τις διὰ τῆς ει διφθόγγου ὁμοίως τῷ αὐτῷ, ἔνθα περὶ ληστηρίου γράφει τὸ ἧχι κονίστραι ἄξεινοι λύθρῳ τε καὶ εἴαρι πεπλήθωσι. Ex Suida haud dubie: illud autem, de quo nihil apud Suidam, ἔνθα περὶ ληστηρίου γράφει, non dubito quin de suo addiderit Eustathius coniectura sane non infelici. Apud Suidam in Ἄξεινος, quem locum nunc uncis inclusit Gaisfordius, πεπλήθωσι legitur, ut apud Eustathium; et ante Gaisfordium ἄρεϊ pro εἴαρι. In v. Ἔαρ semper recte εἴαρι πεπλήθασι. Et sunt idonea formae huius πέπληθα exempla Pherecratis, Antimachi, Arati, apud Buttmannum, ubi de verbo πίμπλημι agit; tum haec, Theocrit. XXII. 38. Dionys. P. 1100. Oppian. H. IV. 691. V. 178. Maxim. 318. Maneth. IV. 82. Quint. Sm. IX. 393. XI. 160. Formae Blomfieldianae, πεπλήθουσι, non item, nisi eo aliquis trahi πεπλήθωσιν Arati 841. (109.) iusserit. Quo Callimachum agnovit Ruhnkenius, ἔαρ maxime est, sive εἶαρ, dilectum doctis poetis, quibus, ut meum faciam verbum Salmasii, γλωσσήματα cordi, (τοῖς νεωτέροις Schol. Nicandri) vocabulum: Callimacho Fragm. CCXLVII. et de oleo Fragm. CCI. tum Euphorioni Fragm. XXXVIII.

3. Nicandro Ther. 701. ex emend. Schneideri, Alexiph. 314. et de oleo ibid. 87. denique Oppiano II. II. 618. Cf. praeter laudatos Ruhnkenio Scaligerum in Manil. V. 212. p. 367. Hemsterhusium in Lucian. Deor. dial. p. 241. (Vol. II. Bip. p. 292.) Salmasius Exerc. Plin. p. 906. b. Toupius Addend. in Theocrit. p. 405. Animadv. in Schol. Theocrit. p. 218. Wakefieldius Silv. cr. P. II. p. 112. et indicatae ab Hemsterhusio glossae Hesychii, illa quoque, quae valde antiquum sonat, *ἰαρπάλαμος*. et de voc. *εἰαροπῶτις* Schol. Hom. Il. XIX. 87. Townl. et Vict. *ἑαρόχροον* cur *ἴασπιν* Lithicorum scriptor v. 264. appellet, dubium inter Tyrwhittum Ruhnkeniumque, qui *viridem* interpretantur, et Wakefieldium l. l. qui *purpuream*. Et Wakefieldii sententiae quodammodo Dionysius Perieg. 724. ubi *ἠερόεσσαν ἴασπιν*, quod *ἀερώδη, σκοτεινήν*, interpretantur, et magis etiam Plinius II. N. XXXVII. 8. (37.) favet, maxime ubi scribit: *Optima ergo* (iaspis), *quae purpurae quicquam habet.* *ἑαρόχροον*, ab *ἔαρ ver*, non tam id dici putem, quod *viride* est simpliciter, quam quod, ut Hemsterhusii in Luciani Nigrin. p. 247. Vol. I. Bip. verbis utar, *grata colorum varietate vernat:* cf. Nonnus X. 189. XXXIV. 109. Atque haec videtur vocis *ἑαρόχροος* potestas apud Paullum Silentiarium esse *Ἀμβ.* 259. Fuit etiam *εἰαρίτης*, h. e. *αἱματίτης, λίθος*. Scholion est in Nicand. Alexiph. 314. inter ea, quae sunt in margine apud Aldum, quod scholiorum genus nimis neglexit Schneiderus: — *εἶαρ δὲ τὸ αἷμα φησὶ παρὰ τὸ ἐν ἔαρι πλημμυρεῖν.* *Ἀγλαΐας δὲ εἰαρίτην τὸν αἱματίτην λίθον φησί.* In Scholio Alexiph. 87. ubi vulgo: — *καὶ Καλλίμαχος ἐλαίας τὸ αἷμα τὸ δαυὸν εἶπε*, ante Bentleii ad Call. Fragm. CCI. emendationem, quae talis est: *καὶ Κ. ἔλαιον τὸ αἷμα τοῦ λύχνου εἶπε*, Casaubonus in Suet. Octav. 67. tentaverat: *καὶ Κ. ἐλαίας αἷμα τὸ ἔλαιον εἶπε.* Quod e cod. Gotting. Schneiderus p. 296. profert, *ἐλαίου τοῦ αἵματος*, in neutram sententiam proficit. Igitur Callimachus quum meminisset Homericum *αἵματι καὶ λύθρῳ πεπαλαγμένον*, unde ipse *λύθρῳ πεπαλαγμένα τεύχεα* scripsit in Lavacro Palladis, et quum posset *λύθρῳ τε καὶ αἵματι πεπλήθασιν*, praetulit magis exquisitum *λύθρῳ τε καὶ εἴαρι*. Cum Homero Nonnus XXV. 68. *λύθρῳ — καὶ αἵματι*, et IV. 447. *αἵματος — λύθρῳ*, XXXVI. 199. *φόνου — λύθρῳ*.

et τεύχεα — πεπαλαγμένα λύθρῳ Quintus X. 60. cf. id. IX. 147. XI. 14. 473. κονίστραι idem Callimacho, quod Pausaniae παλαίστρα Cercyonis. Grammaticus Crameri Anecd. Gr. Vol. III. p. 412, 23. Ὁ Κερκυὼν ἄδικος ὤν, πάντα τὸν μὴ βουλόμενον παλαίειν αὐτῷ καὶ νικῶν ἀπέκτεινεν· διὸ καὶ ὁ τόπος ἐν ᾧ ᾤκει Παλαιστήριον ἐκαλεῖτο· ἀπεκτάνθη δὲ ὑπὸ Θησέως καταπαλαισθεὶς σοφίᾳ. Ladatur Lycophro v. 866. 7. ἥξει δὲ ταύρου (Erycis) γυμνάδας κακοξένους πάλης κονίστρας. ubi quae a Bachmanno proferuntur verba Eustathii: κονίεσθαι γὰρ τὸ ἀγωνίζεσθαι, ὅθεν καὶ κονίστρα ἡ κατὰ τὴν παλαίστραν μάλιστα παρὰ τοῖς ὕστερον, aut ad Lycophronem spectant, aut ad locum, quem non ignotum fuisse Eustathio vidimus, Callimachi. Sic quam alii, ut Philostratus in Imaginibus, *palaestram* dixerunt Antaei, poetae latini nonnulli *pulveris* significare mentione satis habent: Gronov. Diatr. in Stat. III. 1. p. 143. Ac Lycophroni fortasse obversabatur Callimachus illud scribenti: satis inter se similia κακοξένους κονίστρας et κονίστραι ἄξεινοι. ἄδικος εἰς τοὺς ξένους Cercyon etiam Pausaniae audit. Ne quem temporis significatio praesentis, πεπλήθασιν, male habeat, tenendum est, describi locum, qualem accedens ad Cercyonem viderat Theseus, et rursus qualem victo Cercyone reliquerat: *ubi* (etiamnum) *palaestra inhospitalis caede et sanguine horret ac repleta est.* scilicet hospitum cruore, quos ad luctandum Cercyon cogere invitos, et postquam vicisset, occidere solebat. Nam ita hoc accipiendum haud dubie. ut non prorsus recte Schol. Platon. p. 229. scribat: οὗτος γὰρ τοὺς παριόντας ἠνάγκαζε παλαίειν, καὶ π α λ α ί ω ν ἀνῄρει. Cf. Grammaticus Crameri l. l. Scilicet in eo ludibrium quoddam positum erat luctatoris crudelissimi, quod parem facere conditionem victique ut haud iniuria mori viderentur. Idem paullo ante commemorati Erycis mos fuit, et Amyci: quamquam de genere certaminis diversa traduntur. Recordor ex Virgilio Caci latronis non palaestram, sed speluncam *Solis inaccessam radiis: semperque recenti Caede tepebat humus, foribusque adfixa superbis Ora virum tristi pendebant pallida tabo.* Quae rursus imago, capita affixa foribus, Antaeum Pindari Isthm. IV. 92. (III. 72.) et commemoratos ibi in scholiis Diomedem Thracem, Evenum Bacchylidis, Oenomaum Sophoclis, et Nonni locos in mentem

revocat tum alios, VIII. 237. XXVII. 219. XLVI. 232. tum hos, in quibus propter magnam rei similitudinem, credibile est ductos e Callimachi loco de Cercyone colores esse, de Lycurgo lib. XX. (153. 174. 317.) et maxime de Pallenes patre, Sithone, lib. XLVIII. Apponam quae aliquid in verbis similitudinis cum his paucis, quae ad nos pervenerunt, Callimachi verbis habent. XX. 170. *κακοξείνους πυλεῶνας.* 179. *στικτὴ δὲ κόνις φοινίσσετο λύθρῳ δώματος ἀμφὶ θύρετρα.* XLVIII. 96. — *μνηστῆρας ἀπέθρισεν, ὧν ὑπὸ λύθρῳ κτεινομένων καταχηδὸν ἐφοινίσσοντο παλαῖστραι.* 103. *καί μιν ἀγὼν ἐπέβησε κακοξείνοιο παλαίστρης.* 222. sqq. *μνηστήρων σκοπίαζε σεσηπότα λείψανα νεκρῶν,* — — — *ἠνίδε κεῖνα κάρηνα, θαλύσια δεῖο μελάθρων, λύθρον ἔτι στάζοντα κακοξείνων ὑμεναίων.*

De Cercyone narrationem aut praecedere aut proxime sequi debuit, sed puto praecedere, Fragmentum quod nunc est LVI.*

Μελαινεῖς, δῆμος τῆς Ἀντιοχίδος φυλῆς. Καλλίμαχος δὲ Μελαινάς φησι τὸν δῆμον ἐν Ἑκάλῃ.

ἐν Ἑκάλῃ ex emendatione, cui diffiderem, desumptumque locum, ut vulgo legitur — *τὸν δῆμον κεκλῆσθαι,* ex alio opere Callimachi, prosa oratione scripto, ut Fragmentum CCCLXVII. existimarem, nisi *ἐν Ἑκάλῃ* vestigiis niteretur librorum scriptorum. Sic e cod. Rehdig. annotatum *τὸν δῆμον καὶ κεκάλη.* Conficit rem, quod ipsa poetae verba nuper reperta sunt. Etymol. Gud. p. 300, 11. — *χωρὶς τοῦ πτώξ, πολυπτώξ, ὡς παρὰ Καλλιμάχῳ*

πολυπτῶκές τε Μέλαιναι.

Μέλαιναι δέ εἰσι τόπος τῶν Ἀττικῶν. Et Choeroboscus Bekkeri Anecd. III. p. 1191. et in Annotatt. ad Etymol. M. subiectis Etymologico Gud. p. 886. — *χωρὶς τοῦ πτώξ πολυπτώξ, πολυπτῶκές τε Μέλαιναι. τὸ δὲ Μέλαιναι τόπος ἐπὶ* (vel *ἐστὶ*) *τῆς Ἀττικῆς.* In Etymol. Magno bis est *πολυπτώξ,* p. 435, 35. 639, 21. in eadem disputatione, et haud dubie ex loco eodem. Simul docemur hoc fragmento, non requiri, ut propria his Melaenis fabula quaedam eruatur. *πολυπτῶκές τε Μέλαιναι* qui legerit, extemplo sentiet, ni fallor, loca enumerari praeter Melaenas alia; et loca quidem, ut ego censeo, quae apparuerint iter facienti Theseo, sive adeunda per occasionem itineris, sive dextra sinistrave parte relinquenda. *Melaenas* ut in hac parte itineris po-

nam, primum Statius facit, Theb. XII. 618. 9. *Mittit in arma manus genialibus hospita dicis Icarii, Celeique domus, viridesque* Melaenae. ubi Icarii Celeique habitationi, quorum hunc communis fabula Eleusini assignat, non temere adiunctae *Melaenae* videntur. Etsi non decet accuratam topographiae observationem exspectare a Statio, qui paullo post, aliis locis interiectis, iterum diserte *Eleusinem* infert, v. 627. Deinde cum interpretibus Stephani, Berkelio, Holstenio, et Valesio in Harpocrat. p. 429. Vol. II. Lips. easdem Callimachi *Melaenas* esse et *Melaenas* sive *Celaenas* statuo illas, de quibus bellum olim gessisse Athenienses cum Boeotis, victoriamque miro quodam eventu obtigisse duci Atheniensium narrant Polyaenus I. 19. Scholiastes Aristophanis Pac. 890. Acharn. 146. Suidas v. *Ἀπατούρια* et v. *Κελαιναί*, Etymologus v. *Κουρεῶτις* (cf. v. *Ἀπατούρια*, sed ubi nomen non est loci), Mich. Apostolius III. 74. Quum easdem dico, locum fere eundem volo. Nam differt Callimachus a caeteris eo, quod ipse Melaenas *δῆμον* vocat, illi suas *χωρίον*. Praeterea ut de scriptura quaestionem, *Melaenae* an *Celaenae*, aliis disceptandam relinquam, utque mittam differentiam accentus, *Μελαιναί* an *Μέλαιναι*, quorum illud fere magis se commendat, rursus aliud differunt Etymologus l. l. apud quem *Μελαίνης* genitivus, et Harpocratio v. *Ἀπατούρια*, apud quem *τῆς Μελαινίας* (vel *Μελανίας*) *χώρας*. Iam Melaenas s. Celaenas illas quum Polyaenus, caeteri, *χωρίον μεθόριον Ἀττικῆς καὶ Βοιωτίας* vel *χωρίον ἐν μεθορίοις* appellent, quaerenti qua in parte finium, probabilis parata responsio ex Etymologo et Conone est, fuisse *Oenoae* vicinas: nam sic Etymologus: *Ἀθηναίων πρὸς Βοιωτοὺς πόλεμον ἐχόντων περὶ Οἰνόης καὶ Μελαίνης*; Conon autem Narrat. XXXIX. de eodem bello: *Ἀθηναίοις δὲ καὶ Βοιωτοῖς πόλεμος ὑπὲρ Οἰνόης συνίστατο*, omissis Melaenis. Quae *Oenoe* si est, ut est haud dubie, vicinus Eleutheris *δῆμος τῆς Ἱπποθοωντίδος*, de quo demo sunt Strabonis VIII. p. 375. (577. A.) Harpocrationis v. *Οἰνέη* (vel potius *Οἰνόη*) testimonia, et viris doctis, Hemsterhusio in Lucian. p. 438. Wassio ad Thucyd. II. 18. Valckenario ad Herodot. V. 74. disputata, sequitur quod nostram in rem requiritur, fuisse *Melaenas* finibus Boeotiae simulque Megarensium conterminas, vicinas Eleusini.

Propter bellum illud addam iam laudatos Scaligero Anim. in Euseb. p. 57. a. et Valesio l. l. Nonni versus XXVII. 301. sqq. ubi Iuppiter Minervae: *αἰγίδα σεῖο τίνασσε, προασπίζουσα Λυαίου, σεῖο κασιγνήτου μελαναιγίδος, ὃς σέο πάτρην ῥύσεται, ἐξελάσας Βοιώτιον ἡγεμονῆα· καὶ μέλος ἀείσει ζωάγριον ἀστὸς Ἐλευθοῦς, πιστὸν ἀνευάζων Ἀπατούριον υἷα Θυώνης.* ἀστὸς Ἐλευθοῦς, Eleusinius, *civis Cereris.* Sic solet Nonnus: *ναέτην-ἀπειρώδινος Ἀθήνης, σαόφρονος ἀστὸν Ἀθήνης, ἀμήτορος ἀστὸν Ἀθήνης*, XXVII. 110. XLVII. 365. XLVIII. 680, alibi. Dicit tamen etiam altero modo: *Ἰναχίης-ἀστὸς ἀρούρης, ἀστὸν Ὀλύμπου, ναετῆρας Ὀλύμπου, Ἀττίδος-ναέτης, Κεκροπίης ναέτης*, III. 261. VIII. 95. 97. XIII. 258. XIX. 70. 79. et similia. Atque eo referendum XXIV. 96. *ναετῆρα θεοκρήπιδος Ἀθήνης*: ut *Ἀθήνης urbis* nomen sit. Urbem etsi Nonnus *Ἀθήνας* appellare solet usitate, est tamen ubi *Athenen*: XLI. 274. *ἐς εὐρυάγυιαν Ἀθήνην*, ex Odyss. VII. 80. Verum, quod gravius, memorabilis est insolentia, sive errorem dicere malis, sive audaciam ex etymologia (Etymol. M. et Gud. in *Ελευσις*) novum nomen eruentis poetae, sive doctrinam reconditam, sed insolentia utique, quod illic XXVII. 304. *Ἐλευθώ* dixit Cererem. Vulgo *Ἐλευθώ* non Ceres audit, sed Ilithyia. Notum ex Pindaro: cf. Antip. Thess. XXXVIII. (A. Pal. T. II. p. 92.) 3. Paull. Sil. LXXXIII. (A. Pal. T. I. p. 490.) 3. Phurnut. c. 34. Hesych. v. *Ἐλευθώ*. Apud Hesychium in v. *Ἐπιλυσαμένη*, unde nonnulli (Gyrald. Opp. T. I. p. 365. C. Mitscherl. in H. h. Cer. p. 118.) Cereris cognomen *Ἐλευθώ* afferunt, *Ἐλευθώ* Musuro debetur. Ut ad geographica redeam, idem ille Nonnus in Catalogo lib. XIII. ubi loca Atticae varia enumerat, v. 182. quam *Oenoen* debebat, animadvertente Graefio, *Oenonen* vocavit: *Οἰνώνης γόνιμον πέδον.* Non dicam utrum per commoditatem metricam an vetusto errore. Apud Strabonem memini, certe in Tzschuckii T. III. p. 247. sq. libris, constantem scripturam esse *Οἰνώνη* pro *Οἰνόη*. Caeterum, quod iam significatum est, Melaenas ipsas, ut puto, non adierat Theseus, sed per agrum pergens Eleusinium, atque ex Eleusinio agro contra Procrusten, reliquerat in sinistra parte sitas.

Sunt duo alia conservata ex Hecale locorum nomina, reponenda, ut mihi persuasum est, in Thesei, quae fuit de suo itinere,

narratione: sed conditione hac, ut ea loca tantum e longinquo viderit Theseus. Ea sunt *Salamis* insula, et *Colias* promontorium. De *Salamine* fragmentum est, quod me praeterierat, quum primum hoc Caput VI. edidi, sed indicavit mihi Welckerus, erutum ab Osanno in libello, quem de Sophoclis Aiace scripsit, p. 95. e codice ms. Reg. Paris. (n. 451.) Eusebii Praeparationis Evang. In quo ad verba Eusebii IV. 16. p. 155. B. ed. Viger. (p. 92. RSt.) *ἐν δὲ τῇ νῦν Σαλαμῖνι, πρότερον δὲ Κορωνείᾳ ὀνομαζομένῃ:* vetus fol. 276. vers. scholion est:

> *οὐ τὴν πρὸς ταῖς Ἀθήναις Σαλαμῖνα λέγει· αὕτη γὰρ Κούλουρις πάλαι ἐλέγετο, ὡς καὶ Καλλίμαχος ὁ Κυρηναῖος ἐν τῇ Ἑκάλῃ φησίν· ἀλλὰ τὴν κατὰ Κύπρον Σαλαμῖνα λέγει.*

Quod ita accipio, progredienti Theseo conspicuam factam, vel indicatam esse *Κούλουριν* h. e. Salaminem insulam. Memorabile est quod scribit Osannus, eam insulam hodie *Colouri* dici, nomine haud dubie corrupto ex antiquo *Κούλουρις.* Apud veteres scriptores alia eius insulae prisca nomina reperio, *Σκιράς, Κυχρεία, Πιτυοῦσσα, Κούλουριν* non reperio. Sed dignum est Callimacho antiquatum nomen, praesertim in tam antiqua Thesei historia. De situ Salaminis insulae verba maxime Strabonis mihi obversantur: *Ἐν δὲ τῇ παραλίᾳ τῇ κατὰ Σαλαμῖνα κεῖσθαι συμβαίνει τὰ ὅρια τῆς Μεγαρικῆς καὶ τῆς Ἀτθίδος, ὄρη δύο ἃ καλοῦσι Κέρατα.* Cum *πέτρᾳ κολουραίᾳ* Fragm. LXVI. (Cap. III. p. 73.) nihil commune *Culuridi* sive *Coluridi* Salamini est, praeter nomen, cui ego etymon nullum, nisi illud ipsum *κόλουρος*, invenio. Alterum est de *Coliade ἄκρᾳ.* Fragm. DXI.* Addend. Blomf. monstratum ante a Fabricio Bibl. Gr. Vol. II. p. 484. Interpretor: visam esse progredienti Theseo, vel indicatam, *ἄκραν Κωλιάδα*, sive positum in eo promontorio templum Veneris *Κωλιάδος.* Suidas: *Κωλιάς. ναός ἐστι τῆς Ἀφροδίτης οὕτω καλούμενος, ἀπὸ τοῦ συμβεβηκότος τὴν προσηγορίαν λαβών.* sequitur historia de iuvene Attico, qui aliquando raptus a Tyrrhenis, postea liberatus ope puellae, templum hoc Veneri *ἐπὶ τῆς ἀκτῆς, ἀφ' ἧς ἡρπάγη*, condiderit appellaveritque *ἀπὸ τῶν κώλων, ἃ ἐν τοῖς δεσμοῖς κατεπονεῖτο.* alios narrare de accipitre, qui in Ionis sacrificio *κωλῆν* rapuerit:

— ὅθεν ὁ τόπος Κωλιὰς ἐκλήθη· μέμνηται καὶ Καλλίμαχος ἐν Ἑκάλῃ.

Ex Scholiis Aristophanis in Nub. 52. sed e codice his nostris pleniore: deest enim in nostris testimonium Callimachi, pro quo explicationem nominis tertiam subministrant, illis prioribus certe non deteriorem: οἱ δὲ, τόπον ἐοικότα κώλοις ἀνδρός, ἔνθα ἡ θεὸς τιμᾶται. Recte ibi unus scholiastes et scriptores alii Κωλιάδα non templum, sed deam vocant, et promontorium: Ἀφροδίτη Κωλιάς, Κωλιὰς ἄκρα, ἠϊών. V. Pausanias I. 1. extr. et quos ibi laudat Siebelis, et ad Lycoph. 867. Tzetzes, Potterus. Κωλιάδος ῥηγμῖνος Nonnus XLI. 108. ubi notas Veneris sedes recenset: οὐ Πάφον, οὐκ ἐπὶ Βύβλον ἀνέδραμεν, οὐ πόδα χέρσῳ Κωλιάδος ῥηγμῖνος ἐφήρμοσεν. Callimacho etiam sic licuit poetice: *Visa est Venus* Κωλιάς, dea pro templo deae. De situ promontorii: Palmer. Exerc. in A. Gr. p. 315. C. O. Müller. in descript. Atticae, Encyclop. Ersch. et Gruber. P. VI. p. 222. Fabellas attigisse Callimachum, quae sunt apud Suidam, nihil est quod persuadeat.

Procrusten non reperio in Fragmentis Callimachi. Nisi huc retrahendum sit

ἵν' ἔλλερα πολλὰ τέλεσκεν.

Quippe ita ratiocineris: quum Pausanias Procrusten (ut vulgo a specie maleficii sui vocatur: Ruhnk. Auct. Em. In Hes. T. I. p. 883. 1.) proprio nomine Πολυπήμονα appellet, fortasse poetam illa quasi circuitione interpretari nomen Πολυπήμων voluisse. Quamquam nec Plutarchi Hesychiique contemnendum est testimonium, quibus Procrustes proprio nomine Δαμάστης audit. At de *Polypemone* quaestio etiam latius patet. Nam alii, de quo a Meursio in Theseo cap. 5. et 7. Meziriaco in Ovid. Heroid. T. I. p. 139. sq. monitum, habent *Polypemonem* in historia Thesei, sed non ut sit Procrustes. Apollodorus lib. III. extr. *Polypemonis* filium vocat Sinin, itemque Schol. Eurip. Hippol. 974. ed. Matth. si vera est iam proposita a Meziriaco emendatio Πολυπήμονος: vulgo ibi — Σίνις υἱὸς Πήμονος legitur. Distinguendum autem hoc scholion ab eo, quod praecedit: in quo de patre Sinidis nihil, at ipse, quod notatum viris doctis quos dixi, et Salvagnio ad Ibin, confunditur cum Procruste: qui error cum

hoc scholiasta communis, certe ex parte, scholiastae Pindari ei, culus in *Ὑποθέσει Ἰσθμίων* verba sunt: *ἐπὶ Σίνιδι τῷ Προκρούστῃ*. Rursus Interpres Ibidis Ovid. vetus ad v. 409. *Polypemonem* non solum Sinidis, sed Sinidis, Scironis et Procrustis patrem facit: *Sinis et Sciron et Procrustes Polypemonis filii, a Theseo ad Cephisum fluvium cum patre occisi sunt.* ex loco Ovidii, in quo *nati* scriptum, ut fuit in Mediceo Burmanni, ante oculos habebat, sic: *Ut Sinis, et Sciron, et cum Polypemone nati.* At Ovidio ipsi non male convenit cum Pausania. Sive enim *et cum Polypemone natus,* sive legas, quod ego praetulerim cum aliis, *et de Polypemone natus*, certum videtur *Procrusten* intelligendum esse. Itaque quem Pausanias ipsum *Polypemona*, eum Ovidius *Polypemonis* filium: non magna differentia. Scilicet magna erit, si, quod Hyginus Fab. XXXVIII. tradit, *Neptuni* filius Procrustes fuerit: verum iam clarae originis nullum est apud Pausaniam indicium. *Procrusten* ibi intelligere Ovidium, etiam propter locum geminum Epist. Her. II. 69. aut certum est aut veri longe simillimum. Vide quam accurate sibi respondeant: *Cum fuerit Sciron lectus, torvusque Procrustes, Et Sinis, et tauri mixtaque forma viri:* et in Ibide: *Ut Sinis, et Sciron, et de Polypemone natus, Quique homo parte sui, parte iuvencus erat.* Hos versus qui excipiunt, 411. et 412. *Quique trabes pressas ab humo mittebat in auras, Aequoris adspiciens huius et huius aquas,* merito scrupulum iniecerunt Meziriaco p. 139. 141. Salvagnio ad Ibidis v. 411. quandoquidem non intelligitur, quomodo ad commemoratum ante versu 409. *Sinin*, interiecta Scironis, Procrustis, mentione, sic reverti Ovidius: *Quique trabes* etc. potuerit: corruptionis tamen, quae quidem in nomine *Sinis* v. 409. quaerenda foret, nullam suspicionem movent. Itaque aut ab aliena manu illati sunt non indigni tamen, si recte sentio, stilo Ovidiano versus 411. et 412. aut Ovidius, quum incredibile sit errasse tam nota in re Ovidium, et nescio quem alium diversum a Sinide *Πιτυοκάμπτην* somniasse, hoc sibi sumpsit, quod fortasse licere in enumeratione exemplorum tali, quali constat singulare carmen Ibis, putaret, ut bis poneret Sinin, semel obiter coniunctum brevi recensione cum aliis, tum iterum accuratius cum descriptione propriae huic scelerato immanitatis. Similis

est, vel etiam maior, in Propertio, quem Salvagnius comparavit, insolentia, III. 22, 37. *Arboreasque cruces Sinis, et non hospita Graiis Saxa, et curvatas in sua fata trabes.* ubi de Sinide narratio *Arboreasque cruces — et curvatas in sua fata trabes* mirum in modum divisa atque interrupta est interiectis verbis *et non hospita Graiis Saxa*, quae verba neminem non de Scirone admonent. Mihi vero fallax ea recordatio videtur, et de Sinide accipienda omnia. Quid enim pronomine *sua* fiat, nisi pendeat a praegresso *Sinis?* Quomodo autem pendebit ab eo nomine, si *non hospita Graiis saxa*, de Scirone accipiantur? Accusativos *arboreas cruces, saxa, curvatas trabes*, etiam Dorvillius ad Charit. p. 708. (634. ed. Lips.) a verbo quodam intellecto pendere statuebat. Id vero eruendum ex praecedentibus. Nam si *praeterea* verbum, quod suppleri volebat Puccius, vix ferendus *Sinis* genitivus, et scribendum foret: *Arboreasque cr. Sinidis, non hospita* etc. Verum sic rursus *sua* pronomen non usitate positum videbitur. Friderico Iacob, viro eruditissimo, cui placet *curtatas trabes*, ut, quae per se minime inepta sententia est, tres numerentur, Sinis, Sciron, Procrustes, inter alia opposuerim hoc, quod iam monuit Burmannus, non bene *trabes* de lecto Procrustis dici. Contra de arboribus Sinidis *curvatas trabes* optime, ut in Ibidis loco illo v. 411. et Metam. VII. 441. *Qui poterat curvare trabes.* Quum semel in has fabularum tricas me coniecerim, non decet praeterire obscurum Ovidii locum, ubi mutatos in aves, et quidem in Attica, enumerat alios, *Iunixamque novis neptem Polypemonis alis:* Metam. VII. 401. Ibi quaeritur, quae sit *Polypemonis neptis*, qui *Polypemon.* Et hoc quidem statim cernitur, certe pro nostra scientia, quibus multa desunt antiquitatis monumenta, recedere Ovidium eo loco a doctrina illa, quam profitentem in Ibide vidimus, Polypemonis filium Procrusten fuisse. Procrusti nulla, quod sciam, filia fuit. An cum Apollodoro facit Ovidius? Apollodorus, ut vidimus, Polypemonis filium Sinin facit. Ac Sinidi filia fuit satis nota illa Perigune. Verum de ea tradunt alia; mutatam esse in avem nemo. Ergo, quod unum reliquum, Probi doctrinam sequi videtur Ovidius, quae talis est: Polypemonis filium Scironem, Scironis autem Halcyonen filiam fuisse. Fabula ab eo, quod de Scironis filia Endeïde Plutarchus

et Pausanias tradunt, diversa, atque uni propria, quem Constantius Fanensis ad Ovidii locos hunc et Ibidis v. 409. laudat, Probo. Vel potius non Probo, sed referenti narrationem Probi Pomponio Sabino in Georg. I. 399. p. 102. Verba Pomponii: *Varia opinio de origine halcyonis est. in altera Ovidius sequitur Nicandrum, in altera Theodorum, ut Probus meminit. Ceyx Luciferi filius,* (et quae sequuntur, simillima Servianis in eund. Virg. locum, aliorumque, quibus convenit cum Servio, disputatis) — *Aliter sic narratur. Halcyone filia Scyronis fuisse putatur, cui cum pater praeciperet, ut maritum quaereret, arbitrata est promitti* (puto *permitti*) *sibi, ut concumberet cum quibus vellet. ita ab irato patre deiecta fuit in mare, et demutata in halcyonem avem.* Tum post alia: *Scyron Polyphemonis filius fuit, latro nominatissimus in Attica regione. Ab eo Scyronia saxa, ubi latrocinabatur, appellata sunt. a Theseo interfectus fuit.* De Nicandri testimonio an constet aliunde, nunc non memini. Theodorum intelligendum esse eum, quem Plutarchus Parallel. c. 22. p. 311. A. *ἐν ταῖς Μεταμορφώσεσιν*, probabilis est Constantii Fan. sententia. Praeterea quod scriptum est, *deiecta fuit in mare*, observetur non male conveniro cum reliqua Scironis fabula. Quod tot viatores perpessi erant, idem puella ab irato patre. Non mirer autem, quod Ovidius alium in Ibide, alium in altero opere Polypemonem dixerit, et rursus quod eodem in opere halcyonem nunc, libro septimo, ex filia Scironis Halcyone, nunc, libro undecimo, ex uxore Ceycis Halcyone factam tradiderit. Id ferebat natura eius operis. Praeterea Ovidius in libro VII. fortasse consulto non posuit nomen avis. Poetice *κόρη Σκείρωνος* Sosicrati Athen. XI. p. 474. B. *aura* dicitur flans a Scironiis petris.

Medius fere inter Eleusinem et Athenas, ex luculenta Strabonis IX. p. 395. (605.) descriptione, *Κορυδαλλός* est, in quo Procrusten Diodorus ponit. Pausanias I. 38, 5. quum Procrusten Eleusini et Cephisso admovet, et *Erineo*, ubi ipse Plutonem descendisse rapta Proserpina annotat, fortasse non multum discrepat a Diodoro, vel plane non discrepat, si coniicias, quae in promptu coniectura est, in Corydallo demo Erineum fuisse. Ex Ovidio notum: *Vidit et immitem* Cephisias ora *Procrusten. ἐν*

Ἐρινεῷ multa cum probabilitate ex Pausania restitutum Plutarcho est, Thes. c. 11. ubi vulgato *Ἑρμίονι*, *Ἑρμιόνι*, *Ἑρμιόνῃ*, non habeo quid faciam. Frustra aliquis ex iis, quae Toupius Animadv. in Schol. Theocrit. XV. 64. annotavit, novam efficere Atticam *Ἑρμιόνην* conetur. Leopoldus *ἐν Ἑρμεῖ* coniecturam Palmerii edidit.

Neque Phytalidas siluisse Theseum, et antiquam aram Iovis *Μειλιχίου*, arbitror: qui ipsum primi mortalium, ut Plutarchus scribit, comiter atque humaniter exceperant: Plut. Thes. c. 12. et 23. extr. Pausan. I. 37, 4. Quo illi similes Hecalae.

Sic propius propiusque accedenti ad urbem Theseo tandem affulsit e longinquo spectabilis arx Minervae, *Γλαυκώπειον* vel *Γλαυκώπιον*. Tantum elicio ex Fragmento Hecales novo illo, quod Augusto Matthiae debetur, Schol. Eurip. Hippol. 32. e cod. Florentino. Et Euripides quidem ita, de Phaedra: *καὶ πρὶν μὲν ἐλθεῖν τήνδε γῆν Τροιζηνίαν, πέτραν παρ' αὐτὴν Παλλάδος, κατόψιον γῆς τῆσδε, ναὸν Κύπριδος ἐγκαθείσατο, ἐρῶσ' ἔρωτ' ἔκδημον· Ἱππολύτῳ δ' ἔπι τὸ λοιπὸν ὠνόμαζεν ἱδρῦσθαι θεάν.* Scholion ita se habet:

> *Ἱππολ. δ' ἔπι. ἐν γὰρ τῇ ἀκροπόλει ἱδρύσατο Ἀφροδίτης ναὸν ἐπὶ κακῷ Ἱππολύτου. πέτραν δὲ Παλλάδος φησὶ τὸ ἐν τῇ Ἀττικῇ Γλαυκώπειον, οὗ Καλλίμαχος ἐν Ἑκάλῃ* (cod. *Ἑκάβῃ*) *μέμνηται, περὶ τὸ ἱερὸν Γλαυκώπειον καλεῖσθαι ἀπὸ τοῦ ἐπωνύμου.*

Quae duo videntur scholia esse non sic ab eodem scripta. *ἐν τῇ Ἀττικῇ* vix scripturus fuisset, qui paullo ante breviter *ἐν γὰρ τῇ ἀκροπόλει* scripsisset. Ne quis forte in postremis haereat, et quod mihi accidere primum legenti memini, *περί* suspectum habeat, *περὶ τὸ ἱερὸν Γλαυκώπειον καλεῖσθαι* defendo exemplis, qualia sunt apud Schaeferum Ind. Graecit. in Greg. C. p. 986. not. et ad Eurip. Orest. 325. cf. idem apud Siebelis. in Pausan. I. 38, 5. et sic poetae, Apollon. Rhod. I. 216. 237. III. 200. IV. 115. Nonnus Ev. Io. VIII. 20. *Γαζοφύλαξ ὅθι χῶρος ἀκούεται.* Ut sensus sit: *Glaucopium appellari locum, qui est circa templum. templum* autem, *ἱερόν*, intelligi a Scholiasta puto *Παλλάδος*, quod nomen facile suppletur ex Euripide. Sed quemnam locum illum? quod *ἱερόν*? Arcem haud dubie, *ἀκρόπολιν*, vel

partem eius. Recte enim Valckenarium *πέτραν Παλλάδος, κατόψιον γῆς τῆσδε*, h. e. *γῆς* Troezeniae, in Hippolyto, itemque in Ione v. 1434. 1480. *Ἀθάνας σκόπελον*, *arcem Athenarum* interpretari, et mihi certum est, et puto omnibus. Ac praeivit eam sententiam Diodorus Siculus IV. 62. ita velut interpretans, ut bene monet Valckenarius, Euripidea: *Φαίδρα διὰ τὸ κάλλος ἐρασθεῖσα αὐτοῦ, τότε μὲν ἀπελθόντος ἱδρύσατο ἱερὸν Ἀφροδίτης παρὰ τὴν ἀκρόπολιν, ὅθεν ἦν καθορᾶν τὴν Τροιζῆνα.* Neque repugnat, quod Scholiastes Euripidis is, cuius prius scholion est, conditum a Phaedra templum Veneris (de quo testes praeter laudatos Meursio in Theseo c. 21. coll. P. Burmanno in Iove Fulgeratore cap. 8. p. 277. sq. et Valckenario ad Hippol. nullos habeo) *ἐν τῇ ἀκροπόλει*, non *παρὰ τὴν ἀκρόπολιν*, dicit. Accuratius haud dubie Euripides: *πέτραν παρ' αὐτὴν Παλλάδος*, in quo *πέτρα αὐτή* arcem proprie dictam, h. e. summitatem collis significat; Scholiastes in universum *ἐν τῇ ἀκροπόλει*, de toto colle cogitans. Iam si certum est, Euripidi *πέτραν Παλλάδος arcem* esse, sive partem arcis, incredibile est, aliud cogitasse Scholiasten veterem eum, qui de Glaucopio scripsit. Igitur habemus, nisi fallor, unum eorum qui, quod mirante ad Strabon. VII. p. 299. Casaubono, testatur Eustathius in Odyss. II. 399. p. 1451, 61. *Γλαυκώπιον* dixerunt arcem Athenarum. Verba sunt Eustathii: *Ὅτι δὲ ἀπὸ τοῦ γλαυκῶπις Γλαυκώπιον ἡ Ἀττικὴ ἐλέχθη ἀκρόπολις, ἢ καὶ ἡ ἁπλῶς, δηλοῦσιν οἱ παλαιοί.* Non negligenda erat gravior aliquanto auctoritas Etymologi p. 233, 28. et ex eo Favorini: *Γλαυκόπιον* (corrigend. *Γλαυκώπιον*), *τὴν ἀκρόπολιν οἱ ἀρχαῖοι· ἢ τὸ ἐν ἀκροπόλει τῆς Ἀθηνᾶς ἱερόν. ἀπὸ Γλαύκου τινὸς αὐτόχθονος, ἐν τῷ τόπῳ τούτῳ κατοικήσαντος.* Observetur quod Eustathius scribit, *οἱ παλαιοί*, et quod Etymologus, *οἱ ἀρχαῖοι*, pro quo male Sylburgius malebat *οἱ Ἀθηναῖοι*. Nam tenendum est, ad antiquissima tempora priscosque homines eam appellationem revocandam esse: ut mirum non sit, quod apud Pausaniam, qui arcem dudum munitam et condecoratam repletamque innumeris artis operibus ab Ictino, Phidia, aliis, novit, nomen *Glaucopii* non reperiatur. Rursus memorabilis est Eustathii et Etymologi inter se dissensus, quorum ille, quae statim cuivis unice vera videatur explicatio esse, *ἀπὸ τοῦ*

γλαυκῶπις appellatum, at hic *a Glauco quodam autochthone* Γλαυκώπιον docet. Et ne diffidas Etymologo, miram doctrinam Etymologi confirmat atque amplificat non ab omni parte tutus, verba si spectes, librariorum culpa, at quod caput rei attinet, satis idoneus testis, Stephanus Byz. praeclaro testimonio: Ἀλαλκομένιον, πόλις Βοιωτίας, ἀπὸ τοῦ Ἀλαλκομενέως, ὃς καὶ ἵδρυσε τὴν Ἀθηνᾶν Ἀλαλκομενηΐδα. οὐ γὰρ παρὰ τὸ ἀλαλκεῖν, ὡς Ἀρίσταρχος· ἦν γὰρ ἂν καὶ Ἀλαλκηΐς· ἀλλ' ὡς Θησεὺς Θησηΐς, οὕτως Ἀλαλκομενεὺς Ἀλαλκομενηΐς, ὥσπερ καὶ Βρισεὺς Βρισηΐς, καὶ Νηρεὺς Νηρηΐς. ἐκ τοῦ Ἀλαλκομενέως δὲ, καὶ Ἀθηναΐδος τῆς Ἱπποβότου, Γλαύκωπος, ἀφ' οὗ τὸ Γλαυκώπιον, καὶ Γλαυκῶπις. καὶ Ζεὺς Πολιεὺς, καὶ Ἀθηνᾶ Πολιάς. τὸ ἐθνικὸν Ἀλαλκομενεὺς, καὶ Ἀλαλκομένιος, καὶ Ἀλαλκομενία ἡ Ἀθηνᾶ ἐκεῖ τιμᾶται. τοῦ δ' Ἀλαλκομενὴ, Ἀλαλκομεναῖος. Haec vulgo leguntur. In quibus non spoponderim recte se habere omnia. Certe lacuna videtur esse post Γλαυκῶπις. Nam ut de Glaucopio nihil dictum fuerit amplius, tamen dictum esse debuit, fuisse in arce, quo annecterentur illa, Ζεὺς Πολιεὺς, et Ἀθηνᾶ Πολιάς. Similia vel cognata tradentes, de Alalcomeneo autochthone, vel heroe, qui nutriverit Ἀθηνᾶν, vel templum eius condiderit, tum de Alalcomenia Ogygis filia, excitavit Berkelius Pausaniam IX. 33, 5. Etymol. M. v. Ἀλαλκομενηΐς p. 56, 14. et 19. Eustathium in Iliad. IV. 8. p. 439, 33. Comparentur cum Etymologico Schol. Hom. Il. IV. 8. Eudoc. p. 4. sq. Cramer. A. Gr. V. I. p. 76, 25. E recentioribus Müllerus Orchom. p. 213. Pro certo habebitur, coniunctis Etymologi in Γλαυκώπιον et Stephani testimoniis, fuisse qui Γλαυκωπίου appellationem et ipsum adeo Deae cognomen γλαυκῶπις, a *Glaucopo* quodam derivarent: non Γλαυκώπιον a Dea γλαυκώπιδι. Sequitur Strabo, in quem, nisi fallor, ex Etymologi Stephanique disputatione aliquid redundat lucis. Refert autem Strabo VII. p. 299. (459. B.) Apollodori disputationem in lib. II. περὶ νεῶν, et quidem in prooemio: cf. Apollodori Fragm. Heyn. p. 421. καὶ τοῖς μὲν ἄλλοις συγγνώμην εἶναι, Καλλιμάχῳ δὲ μὴ πάνυ, μεταποιουμένῳ γε γραμματικῆς· ὃς τὴν μὲν Γαῦδον Καλυψοῦς νῆσόν φησι· τὴν δὲ Κόρκυραν Σχερίαν· ἄλλους δ' αἰτιᾶται (Apollodorus) ψεύσασθαι περὶ Γερήνων, καὶ τοῦ Ἀκακησίου, καὶ Δήμου ἐν Ἰθάκῃ,

Πελιθρονίου δ' *ἐν Πηλίῳ*, *Γλαυκωπίου* δ' *ἐν Ἀθήναις*. Callimachi illa de Gaudo Calypsus insula et Scheria Corcyra apud Bentleium sunt Fragm. Callim. XXXIX. ex *Ἐθνικαῖς ὀνομασίαις*, vel, ut G. Bernhardy Eratosthen. p. 3. fortasse rectius, ex *Ὑπομνήμασι*; augenda, ni fallor, ex Etymol. Gudiano p. 352, 5. his: *ἐν δὲ καύδῳ* (corr. *Γαύδῳ*) *καὶ καλιψοῦν* (corr. *Καλυψοῦς*) *ἔστιν Ἀφροδίτης ἱερόν*. De *Glaucopio* Strabo non declarat, quos reprehenderit Apollodorus, et cur. Quid si illos, quos *Γλαυκώπιον* et cognomen Minervae *γλαυκῶπις* a *Glaucopo* derivantes vidimus, ipse vero sobria eruditione legibusque interpretationis Aristarcheis imbutus, *γλαυκώπιδα* ab oculis *γλαυκοῖς*, tum ab nomine *Γλαυκῶπις* appellatum *Γλαυκώπιον* putaverit? Quem autem reprehendit, fortasse fuit, quamquam fateor lubricam coniecturam esse, cuius ante commemoratur de insula Calypsus et Scheria error, Callimachus. Non obstat, si quid video, quod Strabo Callimachum se relinquere, et transire ad *alios*, quos reprehendat Apollodorus, significaverat verbis his: *ἄλλους δ' αἰτιᾶται*: potuit enim semel redire ad Callimachum et notatam ab Apollodoro opinionem Callimachi aliam. Quod ad hanc usque partem disquisitionis nostrae certum, ut equidem crediderim, effecimus, hoc est: arcem Athenarum esse *Γλαυκώπιον*, vel partem arcis. Cui sententiae si quid habent contrarium testes, qui mihi ad manum sunt, de *Γλαυκωπίῳ* vel *Γλαυκωπείῳ* alii, non tanti sunt, ut praeferantur illis locupletioribus. Sic repugnat, quod alia ante Matthiaeum nota scholia Euripidis, ad eundem locum Hippolyti, *Γλαυκώπειον ὄρος* vocant *τῆς Ἀττικῆς*. *πέτραν* dicunt arcem; *κολωνόν* et *λόφον* Himerius: *ὄρος* qui dixerit, non habeo statim praeter Proclum hym. Minerv. *Πολυμ.* 26. *ὑπὸ σφυρὸν οὔρεος ἄκρον*. Verum non multum tribuet repugnantiae, qui reputaverit ea scholia manifesto recentiora ac viliora esse il'>, quod primus Matthiaeus protulit, et derivata esse ex illo, et factum esse, dum derivarentur, ut recentior grammaticus de sua imperitia *ὄρος* adderet. Quod viliora dixi, ut uno documento comprobem, quam imperite dictum, quam aperte ignorantiam scribentis arguit, quod ad v. 25. scribitur: *ὥστε καὶ ἐπ' αὐτῷ ἱδρύσασθαι τὸ ἱερὸν ἐπὶ πέτρας τινὸς ἐν τῇ Ἀττικῇ*. Graviorem dubitationem Etymologica iniiciunt, Magnum quod dicitur,

p. 233, 35. et Gudianum p. 126, 5. ubi inter varias explicationes vocis *Γλαυκῶπις* haec: ἡ ἀπὸ τοῦ Γλαυκωπίου ὄρους (τῆς Ἀττικῆς), ὃ Λυκαβηττὸς καλεῖται. *Γλαυκωπίου* e Gudiano, qui etiam τῆς Ἀττικῆς inserit: in Magno et apud Favorinum (edit. Basil.) erat γλαυκοποιόυ. In re error, si est error, ut ego iudico, fortasse ex eo explicandus, quod facile confundebantur arx Athenarum et vicinus arci mons Lycabettus. De Lycabetto, quam prope abfuerit ab arce v. Mülleri in descript. Atticae p 216. et in descript. Athenarum p. 231. sententias. *Arcem* esse πέτραν Παλλάδος, atque hinc *in arce* fuisse Γλαυκώπιον, etiam altero argumento evincitur. Nam esse κατόψιον γῆς τῆσδε, h. e. Troezeniae, longe prospicere in mare subiectum atque in Troezeniam regionem: id tantum de *arce* Athenarum discrte traditur ab idoneis testibus. Notus est colossus artis Phidiacae, Minerva, de quo est a Valckenario adhibitum Euripidi testimonium Pausaniae I. 28, 2. ubi in arce versans recenset opera ex decimis praedae bellicae confecta: ἄγαλμα Ἀθηνᾶς χαλκοῦν ἀπὸ Μήδων τῶν ἐς Μαραθῶνα ἀποβάντων, τέχνη Φειδίου· — ταύτης τῆς Ἀθηνᾶς ἡ τοῦ δόρατος αἰχμὴ καὶ ὁ λόφος τοῦ κράνους ἀπὸ Σουνίου προσπλέουσίν ἐστι σύνοπτα. cf. idem Pausanias IX. 4, 1. Müller. descript. Athenar. p. 239. et ante, de Minerva Poliade p. 19. de Phidia p. 21. De eo fortasse cogitabat Himerius Orat. III. 13. ὅθεν (ex arce) ἡ θεὸς ἐποπτεύει etc. Dehinc quum similia de *templo* praedicantur a scriptoribus: esse in vertice arcis positum, esse e longinquo conspicuum, qualia ex Dicaearcho Athen. XIII. p. 594. F. Lucretio VI. 749. deprompsit docta diligentia Valckenarii: non decernam, maxime in Dicaearcho, utrum intelligant quem Philochorus (coll. Siebelis. ad Pausan. I. 24, 5.) simpliciter τὸν νεὼν τὸν μέγαν dicit, Parthenonem, de quo quidem facile quivis primum cogitet; an templum Minervae Poliadis. In loco Dicaearchi altero, in Excerpt. *B. Ἑλλάδος*, ubi, quae vulgo interpunctio est, distinguuntur, et recte, ut puto, distinguuntur, templa duo, Poliadis et Parthenon, de priori dictum: Ἀθηνᾶς ἱερόν, πολυτελές, ἀπόβιον, ἄξιον θέας· multum exercuit viros doctos. Mihi Marxii coniectura κατόψιον ut non vera: non potuerat enim κατόψιον sic simpliciter dici: ita proxima vero videtur. Placet ἐπόψιον, *conspicuum*. Confecta est, quae una pars

quaestionis non explicata reliqua erat. Fuit *Γλαυκώπιον* Callimacho, et qui pauci appellatione usi sunt alii, *ἡ ἀκρόπολις* proprie dicta, hoc est, vertex collis is, in quo quid Thesei aetate fuerit dici nequit, etsi iam tum sacrum Minervae verticem fuisse probabile est, at posteriori tempore templa Minervae nobilissima fuerunt. Ita definienti *Γλαυκώπιον* in mentem venit, an ambitum fere eundem Strabo verbis *τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ἱερὸν* significet IX. p. 396. (606. C.) ubi de arce: *ἐπὶ δὲ τῇ πέτρᾳ τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ἱερόν, ὅ τε ἀρχαῖος νεὼς ὁ τῆς Πολιάδος, — καὶ ὁ Παρθενών.* certe si unum quoddam Minervae templum intellexerit, mire obscureque dictum erit *τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ἱερόν*, quum statim accurate distincta addat *templum Poliadis* et *Parthenonem*. Alterum, *ἡ Ἀττικὴ ἀκρόπολις - ἢ καὶ ἡ ἁπλῶς*, non credo Eustathio. Sed Dicaearchi verba, paullo ante commemorati, adscribenda esse video, quae egregie illustrant Callimachum, propositamque supra Fragmenti Callimachei explicationem nostram. Diximus affulsisse *Γλαυκώπιον* Theseo ad Urbem appropinquanti ab ea regione, in qua Eleusis. Iam audias Dicaearchum, *ἐν τοῖς περὶ τῆς εἰς Τροφωνίου καταβάσεως*, Athen. XIII. p. 594. F. *ταὐτὸ δὲ πάθοι τις ἂν ἐπὶ τὴν Ἀθηναίων πόλιν ἀφικνούμενος κατὰ τὴν* (emend. Iacobs. vulgo: *καὶ ταύτην*) *ἀπ' Ἐλευσῖνος τὴν ἱερὰν ὁδὸν καλουμένην. καὶ γὰρ ἐνταῦθα καταστάς, οὗ ἂν ᾖ τὸ πρῶτον εἰς Ἀθήνας ἀφορώμενος νεὼς καὶ τὸ πόλισμα*, — *templum et arx*, ut recte interpretantur Dalecampius et Valckenarius. Sententia perspicua: de verbis dubites, quae Valckenarius ita tentabat: *οὗ ἂν φανῇ τὸ πρῶτον εἰς Ἀθήνας ἀφορωμένῳ ὁ νεὼς καὶ τὸ πόλισμα.* Denique hoc in me recipio, ut verba ipsa Callimachi de *Γλαυκωπίῳ*, quae fuerint in Hecale, proferam ac praestem. Longum est in Scholiis Homericis, minoribus sive Didymi ad Iliad. V. 422. in Venetis B. ed. Villois. ad versum eiusd. libri 458. et in Etymologico M. v. *Κύπρις*, scholion de epithetis deorum non *ἀπὸ τῶν ἱερῶν τόπων*, sed *ἀπὸ τῶν ψυχικῶν ἐνεργειῶν*, vel a proprietate quadam corporis, repetendis. Igitur *Κύπριν* non dictam a *Cypro*, *Κυθέρειαν* non a *Cytheris*, *Ἀλαλκομενηΐδα* non *ἀπὸ Ἀλαλκομενίου* (vel *Ἀλαλκομενοῦ*) *τινός*. sequuntur doctiora haec: *οὐδ' ὡς Ἐρατοσθένης παρήκουσεν Ὁμήρου εἰπόντος, Ἑρμείας ἀκάκητα, ἤγουν* (vel *ὅτι*,

vel ὁ) ἀπὸ Ἀκησίου (vel Ἀκακήτου, vel Ἀκακησίου) ὄρους, ἀλλ' ὁ μηδενὸς κακοῦ μεταδοτικός, ἐπεὶ καὶ δοτὴρ ἑάων. πᾶν γοῦν (vel πάντ' οὖν) ἀπὸ τῶν παρεπομένων τοῖς θεοῖς· καὶ γὰρ ἡ γλαυκῶπις οὐκ ἀπὸ τοῦ, ἥ τ' ἄκρην τινὰ γλαυκῶπις ἵζει, ἀλλ' ἀπὸ τῆς περὶ τὴν πρόσοψιν τῶν ὀφθαλμῶν (vel περὶ τὸ πρόσωπον καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς) καταπλήξεως. Fragmentum poetae sic, ἥ τ' ἄκρην τινὰ γλαυκῶπις ἵζει, scriptum in Schol. Ven. B. aliquanto rectius apud Etymologum: *Η τὰ κρηστινὰ γλαυκώπιον ἵζει.* sed verum Scholia praebent quae dicuntur Didymi: ἥτ' ἄκρης θῖνα γλαυκώπιον ἵζει. Cur Homeri fragmentum esse coniiciat Casaubonus ad Strab. l. l. p. 299. et quo iure inter Homeri Fragmenta p. 109. relatum sit a Barnesio, non dispicio. Me partim structurae ratio exquisita illa ἵζει Γλαυκώπιον, partim res, et quod doctiores tantum compertum habuisse de Glaucopio videntur, permovet, ut Callimachi esse fragmentum, illud ipsum quod ante oculos veteri interpreti Euripidis fuit, pronunciem:

ἥ τ' ἄκρης θῖνα Γλαυκώπιον ἵζει.

Theseus: *apparuit*, inquit, ἄκρη, vel πόλις ἄκρη, *et quae cumulum* ἄκρης *Glaucopium insidet*, Παλλὰς Ἀθηναίη, vel similis deae appellatio. Satis poetice dictum pro vulgari *et sacra Minervae sedes*. Habet aliquid similitudinis Proclus hym. in Minerv. Πολυμ. 21. ἢ λάχες ἀκρoπόληα καθ' ὑψιλόφοιο κολώνης. Neque prorsus alienum Homericum, sed de arce Troiae: νηὸν Ἀθηναίης γλαυκώπιδος ἐν πόλει ἄκρῃ. Tryphiodor. 566. ἴαχε δὲ γλαυκῶπις ἐπ' ἀκροπόληος Ἀθήνη. Monuimus frustra quaeri, si quis animum inducat quaerere, quid Thesei tempore in vertice illo fuerit. Fortasse ara, vel quacumque re sacrum deo sive deae esse locum aliquem indicatur. Si tamen iam tum templum ibi fuisse, quod in conspectum venire appropinquanti Theseo posset, statuerit Callimachus, Poliadis templum Minervae in mente habuerit, cuius templi eum Ἐρεχθείῳ coniuncti, iam apud Homerum Il. II. 547. sqq. Od. VII. 81. notitia esse videri poterat. Homerica, ἑῷ ἐνὶ πίονι νηῷ, et Ἐρεχθῆος δόμον, postea exsequutus est, et παρθενεῶνα Minervae, in quo nutritus fuisset Erechtheus, λάρνακα, λίχνον, intulit Nonnus XIII. 173. XXVII. 113. sqq. 320. 1. XXXIII. 124. cf. XLVIII. 954. sq. Caeterum

utrum *Γλαυκώπιον* Callimachus a Minerva *γλαυκώπιδι* dictum, an *Γλαυκώπιδα* et ipsum *Γλαυκώπιον* a *Glaucopo*, crediderit ac tradiderit, non decerno: sed hoc nunc magis probabile ea sola de caussa, quod in universum quo fabula aliqua doctior, vel etiam obscurior, eo fuit Callimacho acceptior. Et tum quidem de Glaucopo aliquid additum fuisse in loco Hecales credibile est. In Scholio illo quod scriptum: *περὶ τὸ ἱερὸν Γλαυκώπειον καλεῖσθαι ἀπὸ τοῦ ἐπωνύμου*, ambiguum est. Sane facile suppleveris cogitando *Γλαυκώπου*. Ex Scholiis Homericis, unde verba desumpsimus Callimachi, nihil eam in rem certi efficias. Neque apparet e Callimacho, quo genere *Γλαυκώπιον* vocabulum usurpaverit, utrum sic, *Γλαυκώπιον* neutrum, an *θῖνα Γλαυκώπιον:* aliis, quos supra laudavimus, est *τὸ Γλαυκώπιον*. De usu verbi *ἵζει* e Callimacho annotaveram similia sive cognata: *ἐφοίτα παίπαλά τε κρημνούς τε*, et *οὔρεα πλαζομένας*, ex hymno in Dian. 194. 235. Euphorio Fr. LXVI. *Ὀρχομενὸν Χαρίτεσσιν ἀφαρέσιν ὀρχηθέντα*: quod Euphorioni praeiverat, paullo minus audacter, Pythia: *δώσω τοι Τεγέην ποσσίκροτον ὀρχήσασθαι.* Prorsus gemina expetenti, quae ipse non statim repperissem, suppeditavit Hermannus quantum satis, nonnulla Euripidis, et Aeschylum Agam. 982. ex emendatione etiam a Porsono recepta: *θάρσος εὐπιθὲς ἵζει φρενὸς φίλον θρόνον.* At insolenter poeta usurpat *θῖνα* de vertice *ἄκρης*. Non tamen ita insolenter, ut haesites, praesertim in docto poeta. Neque si ipse alibi idem *θῖνα, θῖνας*, usitata *littoris* significatione usurpat, alia significatione non potuisse sequitur. Et sine haesitatione Heynius in Iliad. V. 422. Obss. p. 86. ita accipit locum: *quae aggerem*, s. *collem glaucopium tenet.* Haec ego paullo longius, ut significarem non opus esse coniectura Guil. Dindorfii in Thes. H. Steph. v. *Γλαυκώπιον*, commoda illa quidem ad sensum, etiam mihi, sed iusto audaciori. Deinde in his acquiescet, ut spero, Lucas noster, qui cum locum tum edito a. 1831. programmate, de Minervae cognomento *Γλαυκῶπις*, p. 14. tum nuper in eodem argumento docte atque accurate retractato Quaestion. Lexicolog. Lib. I. p. 136. sq. attigit. Annotaveram etiam ex Alcaeo Strabonis XIII. p. 600. (895. C.) templum Minervae Sigeensis, aut *Γλαυκωποῦ ἱρὸν* dictum, ut Seidlero, aut *Γλαυκώπιον*, ut nuper Dindorfio visum est.

Disputationis de Glaucopio nostrae satis ab omni parte munitae auctarium erit non eodem modo certum, sed probabile auctarium complementumque Fragm. Callimachi CCLXXXIII.

Τυρσηνῶν τείχισμα Πελαργικόν.

Quod fortasse ita iungendum cum illo:

Τυρσηνῶν τείχισμα Πελαργικὸν . . . . .
. . . ἥ τ' ἄκρην θῖνα Γλαυκώπιον ἵζει.

Apparuit Tyrrhenorum munimentum Pelargicum, et quae etc. Schol. Aristoph. in Avium v. 833. *τῆς πόλεως τὸ Πελαργικόν*, ita: *ὅτι Ἀθήνησι τὸ Πελαργικὸν τεῖχος ἐν τῇ ἀκροπόλει, οὗ μέμνηται Καλλίμαχος· Τυρσηνῶν τ. Π.* et in v. 837. *ὡς δ' ὁ θεὸς ἐπιτήδειος οἰκεῖν ἐπὶ πετρῶν*. Schol. ex Didymo: *Δίδυμός φησι τὸ Πελαργικὸν τεῖχος ἐπὶ πετρῶν κεῖσθαι. Ἄλλως. τὸ Πελαργικὸν καὶ αὐτὸ τραχύ.* De Pelasgico s. Pelargico veterum locos multos nuper congessit Müllerus in deseript. Athenarum p. 229. sq. Cf. Siebelis ad Pausan. I. 28, 3. Et Müllerus quidem maxime de situ. Historica, ut unum nominem sed heroem, et quid intersit inter Pelasgos et hos Tyrrhenos Pelasgos s. Pelargos, Niebuhrius Hist. Rom. I. p. 45. sqq. ed. tert. ubi casu factum puto, quod p. 47. in Callimachi fragmento hoc nostro *Πελασγικὸν* exhibetur. Idem accidit I. G. Graevio Prooem. in Callim. p. 635. ed. Ernest. Valckenario in Herod. VI. 137. In disputatione Niebuhrii nihil video, cur ille *Πελαργικὸν* dixisse poetam negaverit. A Niebuhrio et Siebelisio assumo testimonium Dionysii Halic. A. R. I. 28. p. 75. R. *Μυρσίλος, τὰ ἔμπαλιν ἀποφαινόμενος Ἑλλανίκῳ, τοὺς Τυῤῥηνούς φησιν ἐπειδὴ τὴν ἑαυτῶν ἐξέλιπον, ἐν τῇ πλάνῃ μετονομασθῆναι Πελαργούς, τῶν ὀρνέων τοῖς καλουμένοις πελαργοῖς εἰκασθέντας, ὡς κατὰ ἀγέλας ἐφοίτων, εἴς τε τὴν Ἑλλάδα καὶ τὴν βάρβαρον· καὶ τοῖς Ἀθηναίοις τὸ τεῖχος τὸ περὶ τὴν ἀκρόπολιν, τὸ Πελασγικὸν* (*Πελαργικὸν* coni. Casaub.) *καλούμενον, τούτους περιβαλεῖν.* Pausaniae I. 28, 3. verba: *Τῇ δὲ ἀκροπόλει, πλὴν ὅσον Κίμων ᾠκοδόμησεν αὐτῆς ὁ Μιλτιάδου, περιβαλεῖν τὸ λοιπὸν λέγεται τοῦ τείχους Πελασγοὺς οἰκήσαντάς ποτε ὑπὸ τὴν ἀκρόπολιν· φασὶ γὰρ Ἀγρόλαν καὶ Ὑπέρβιον. . . .* (nam lacunam esse ego quoque putaverim) *πυνθανόμενος δὲ οἵτινες ἦσαν, οὐδὲν ἄλλο ἐδυνάμην μαθεῖν ἢ Σικελοὺς τὸ ἐξ ἀρχῆς ὄντας ἐς Ἀκαρνανίαν*

μετοικῆσαι. Communis Lexico Rhet. Bekkeri Anecd. I. p. 299, 16. cum Etymologico M. p. 659, 12. λέξις est: *Πελαργικόν· τὸ ὑπὸ Τυῤῥηνῶν κατασκευασθὲν τεῖχος, οὓς θεασάμενοι διὰ τὰς σινδόνας, ἃς ἐφόρουν, πελαργοὺς ὠνόμασαν.* in Etymologico: — *κατασκαφὲν τεῖχος· οὓς καὶ θεασάμενοι τινὲς Πελαργοὺς ὠνόμασαν διὰ τὰς σινδόνας ἃς ἐφόρουν.* Non *τινές*, *nonnulli*, supplendum, si recte video, sed *Athenienses*, ex Photio, qui plenius ita: *Πελαργικόν· τὸ ὑπὸ τῶν τυράννων (Τυῤῥηνῶν) κατασκευασθὲν τῆς ἀκροπόλεως τεῖχος· τούτους γὰρ κληθῆναι Πελαργούς, οἷον Πελασγούς, ὡς πλανήτας τινας· ἢ ὅτι ἰδόντες αὐτοὺς πρῶτον οἱ Ἀθηναῖοι σινδόνας λαμπρὰς περιβεβλημένους, πελαργοῖς εἴκασαν.* *τειχίον* dici ab Hesychio annotavit Müllerus. Callimacho utrum *τείχισμα* ipse murus ille, an sit in universum munita muro arx, incertum est: id certum, si quidem illa recte coniunximus, a muro s. munimento Pelargico distingui partem arcis summam; quam Minerva tenet, Glaucopium. Ne quis forte ita iungendum opinetur: *ἥ τ' ἄκρης θῖνα Γλαυκώπιον ἵζει, Τυρσηνῶν τείχισμα Πελαργικόν.* Hoc neminem latet, quam apte, et quam ex re poetae, antiquissima quaeque nomina multoque tempore obscurissima, *Tyrrhenos*, *Pelargicum*, *Glaucopium*, cumulemus uno in loco. Delectant recondita quaevis Callimachum, et hic quidem rectissime usus esse talibus censebitur, ut in historia Thesei. Nunc de Pelargis Tyrrhenis scripsit Fritzschius in Quaestionibus Aristophaneis, ubi p. 40. sq. de Bachmanno scriptum est, qui Fragmentum CCLXXXIII. ad Hecalen lubens referat. Quaeritur, quo ille sensu modoque: et gaudebo, si Bachmanno haec mea placuerint. De Fragmento CCCCLXXV. Blomf. quod idem Bachmannus, ut narrat Fritzschius, et Callimacho tribuit et refert ad Hecalen, Blomfieldio praeeunte, ego meam dubitationem postea aperiam.

Adventum Thesei in urbem, et quae reliqua Plutarchus c. 12. et 13. sive ex Philochoro sive aliunde narrat, Medeae conatum, venenum, *ἀνεύρεσιν*, Pallantidas (quae duo, agnitio et tumultus Pallantidarum, nescio quam extremae Odysseae partis similitudinem referunt), utrum Callimachus attigerit; deinde si attigerit, ut sane probabile est, quid horum, et quo in loco attigerit, non liquet. Potuit illud, quod quicquid fuerit non longum

fuisse arbitror, hoc loco narrari a Theseo; potuit, quod nunc malim, a poeta loco superiore, qui nobis est Cap. III. Veluti sic, post expositam ibi narrationem de gladio calceisque: *Iamque agnoverat Aegeus filium; et iam dira novercae pocula effugerat Theseus, tendebatque in campum Marathonium.* In universum hoc maxime teneri ac perpendi velim, quam diversae a scriptoribus rerum Atticarum, quos Plutarchus sequitur, vel Theseidos alicuius, rationes fuerint Callimachi, qui ex tanto fabularum numero unam tantum more tractandam epico elegisset: quantum ille eorum, quae a Theseidos auctore, vel Atthidos, narranda necessario et nectenda inter se quavis ratione fuissent, aut obiter indicare brevissime potuerit, vel etiam, ut unum et absolutum in se carmen fieret, in quo nusquam animus lectoris a summa operis et proposito poetae primario avocaretur, debuerit. Sic ego minime spondeo Pallantidarum mentionem immixtam carmini Callimacheo fuisse. Ac ne Medeam quidem spoponderim.

Cognata quaestio est, et commode hic tractabitur, de eo, quo Theseus tempore expeditionem Marathoniam susceperit, vel potius, quo ipse tum, quum susciperet, loco et qua conditione fuerit. Scilicet quum in eo consentiant omnes, ex urbe, Athenis, Theseum contra taurum profectum esse: ut frustra futurus sit, si quis forte Theseum post interfectum Procrusten statim, salutata e longinquo urbe, in campum Marathonium processisse animum inducat: illud quaeritur, utri de duobus, Plutarcho et Ovidio, fides habenda sit: Plutarcho (cum Diodoro), qui statim postquam advenisset Athenas, agnitum esse a patre Theseum, et postea profectum contra taurum tradit; an Ovidio lib. VII. 404. sqq. 425. sqq. qui Theseum suscepisse illud ac perfecisse e mandato quidem Aegei, sed nondum agnitum, significat. Hoc enim efficitur ex accurate accepta narratione Ovidii; et diserte id tradit Mythographus A. Maii prior c. 48. — *Medea autem, repudiata ab Iasone, Aegeo nupta persuasit advenientem iuvenem tauro opponere, qui vastabat Atticam regionem, dicens futurum, ut ab eo privaretur regno. Theseus vero tauro interfecto duplicavit regi timorem. Dein invitatum ad epulas eum perdere voluit. Tandem agnito gladio, quem apud Aethram olim relique-*

rat, libens agnorit filium, et Medeam, quae fuerat insidiarum causa, profugere coegit. Ex qua conformatione fabulae in narrationem Diodori illud a me Cap. IX. annotatum, Plutarcho, quocum in caeteris convenit Diodoro, contrarium fluxisse dixeris: immolatum taurum ab Aegeo esse, non a Theseo, ut Plutarchus et Pausanias. Nam sane si tum nondum agnitus Theseus fuerit, par erat ab Aegeo rege immolari taurum, non ab iuvene ignoto. Iam de fide habenda quod dixi, non est meum, uter illorum, Plutarchus, an quem nunc quidem auctorem contrariae sententiae primarium habebimus, Ovidius, *verum* prodiderit, excutere. Callimachum cum Plutarcho, vel potius Philochoro, fecisse omnia suadent. Veluti, ut documenta afferam, scivisse Hecalen, quantum et quam nobili origine hospitem secum haberet, vix cuiquam dubium erit. Ergo Theseum putabimus, antequam agnitus fuisset a patre, illud de origine sua, quippe secretum, in aures insusurrasse Hecales? Indecorum. Deinde quum in extremo carmine haud dubie Thesei victoris in urbem introitus et sacrificium fuerit, cum introitum factum esse ab ignoto, et sollemne sacrificium interpellatum veneno et agnitione esse? Incredibile in eo poeta, qui omnium optime sciret aliud esse Theseida scribere, aliud Hecalen et Taurum. Alii cuipiam hoc fuerit primarium, quanti res momenti fuisset, agnosci a patre Theseum, quanto obnoxia discrimini; sed tandem agnitum esse, et agnitum esse illustrem recenti victoria Marathonia, et occasionem praebente ea victoria. Callimacho primarium hoc, gloria Thesei ex parta victoria Marathonia. Neque quicquam observationi isti in Diodorum tribuo: cuius testimonio id tantum probatur, dubitatum fuisse, et fortasse iam antiquitus, utrum taurum rex an victor filius regis immolavisset. Et ut dicam quod sentio, non multum tribuo Ovidio, qui, ut ex versu eius: *te, maxime Theseu, Mirata est Marathon Cretaei sanguine tauri,* intelligitur, totum illud, immolatum Athenis deo sive deae taurum, quae antiquioribus, Graecis, magni res momenti et pars fabulae minime contemnenda fuit, aut ignoraverit aut non curaverit. Ut alii, neglecto sacro, narrant breviter: — *ταῦρον, ὃν ἀνεῖλε Θησεύς.* Theseus *taurum occidit.*

Ad finem pervenimus disputationis huius quidem, quae ali-

quo fundamento nitilur. Fundamentum dico, quod quae adhuc Fragmenta in *Episodio* posui, quae fere omnia geographica sive topographica erant, facile se ad efficiendum probabilem quendam narrationis Theseae nexum praebuerunt. Supersunt Fragmenta nonnulla, quae et ipsa communi appellatione

g e o g r a p h i c a

appellaverim: unum, quod ex Hecale esse perhibuerunt viri docti, vestigiis freti codicis alicuius, vel codicum, admodum incertis; alia, quae ex Hecale esse coniicias, quoniam ad topographiam Atticae aut aliarum regionum cum historia coniunctarum Thesei spectant.

Quod primo loco dixi, apud Stephanum Byz. est:

Δίκτη, ὄρος Κρήτης. Καλλίμαχος, ε (?) τὸ ἐθνικὸν, Δικταῖος καὶ Δικταία.

omissum a Bentleio fragmentum. Si omissum recte dicitur, quod quis consulto omiserit. Censebat Bentleius, nisi fallor, locum respici a Stephano non carminis nunc deperditi, sed exstantem etiamnum in Hymnis, fortasse h. Dian. 197. sq. Quae est exornata ab Holstenio coniectura veri satis similis. Scilicet quum in Hymnis non semel *Δικταῖος* nomen legatur, ut in hymno Iovis v. 4. et 47. quem ad locum Schol. Apoll. Rhod. I. 509. spectat: vix credam Stephanum Callimachi auctoritate istud satis aliunde notum, Cretae montem *Dicten* esse, comprobare voluisse, sed excitaverat doctum poetam, ut aliquid singulare doceret: quale est illud a Strabone X. p. 479. (733. sq.) reprehensum in h. Dian. l. l. Igitur si hoc, nihil commune *Δίκτῃ* cum Hecale. Neque commemorassem Stephanum, nisi exstaret coniectura Berkelii, eademque Holstenio testante Salmasii: *Δίκτη — Καλλίμαχος Ἑκάλῃ.* Quam ego neque approbari posse nec refutari sine alio libro censeo. De quibus nunc constat, tantum ε vel ἑ vel ἐ habent. E cod. Rehd. Passovius: *Καλλ. ἐ ἐθν.* ἐ litteram Th. de Pinedo ita explicabat, fuisse olim a manu Stephani *ἐν Ὕμνοις*, vel *ἐν Ἰάμβοις*. Holstenius fuisse *ἔνθοθεν*, ex hymno in Dian. 196. Th. Aldobrandinus suppleverat *εἰς Ἄρτεμιν*.

Hecalae vindicari velim, sed ipse non satis firma argumenta habeo quibus vindicem, Fragm. CLXXXVI. et CX. ita coniungenda:

εἰς Ἀσίνην, Ἄλυκόν τε, καὶ ἀμπόλιν Ἑρμιονήων.

. . . .

τοὔνεκα καὶ νέκυες πορθμήϊον οὔτι φέρονται
μούνῃ ἐνὶ πτολίων, ὅγε τέθμιον οἰσέμεν ἄλλους
ἐν στομάτεσσι νεὼς Ἀχεροντείας ἐπίβαθρον
ἀνθρώπους, δανάκην.

Horum illud, *εἰς Ἀσίνην* etc. Fragm. CLXXXVI. satis per se expeditum est, sedemque facile inveniet in historia Thesei, quum tria oppida ac loca, *Asine*, *Alycus*, *Hermione*, in ipso fuerint natali solo Thesei sita, prope Troezenem. Duas, *Hermionen* et *Asinen*, coniungit Homerus in Catalogo Iliad. II. 560. *Ἑρμιόνην, Ἀσίνην τε, βαθὺν κατὰ κόλπον ἐχούσας, Τροιζῆν', Ἠϊόνας τε καὶ ἀμπελόεντ' Ἐπίδαυρον.* *Alycum* non habet, nisi, quae Mülleri coniectura, *Ἠϊόνες* vel *Ἠϊών*, eundem locum significet. Cf. Strabo VIII. p. 373. (572. sq.) Pausanias de *ὁμόρῳ τῆς Τροιζηνίων* Hermione II. 34. et 35. de Halice, ut ille Alycum Callimachi vocat, ibid. c. 36. Müller. Doriens. I. p. 155. 175. II. p. 436. sq. cf. si placet, Boeckhius ad Inscr. Hermionens. 1193. p. 593. sq. et de Halice Siebelis ad Pausan. II. 36, 1. Ab *Hermione* facilis atque expeditus transitus ad Callim. Fragmentum CX. Ubi quod traditur, *τοὔνεκα καὶ νέκυες πορθμήϊον οὔτι φέρονται μούνῃ ἐνὶ πτολίων*, id ipsum fuit apud *Hermionenses*. Strabo VIII. p. 373. (573. A.) et e Strabone Eustathius in Iliad. II. p. 286, 44. *παρ' Ἑρμιονεῦσι δὲ τεθρύλληται τὴν εἰς ᾅδου κατάβασιν σύντομον εἶναι· διόπερ οὐκ ἐντιθέασιν ἐνταῦθα τοῖς νεκροῖς ναῦλον.* Caussam quod attinet, aliquid nos sapere supra Strabonem audemus. Strabo propter brevitatem viae portorio non opus esse Hermionensibus scribit. Nos caussam immunitatis a raptu repetimus Proserpinae, Suidae auctoritate mox in medium proferendi. Ab *Hermionensibus* Cererem edoctam esse de raptu filiae suae, celebris fabula apud Apollodorum I. 5, 1. *Δήμητρα δὲ μετὰ λαμπάδων νυκτός τε καὶ ἡμέρας κατὰ πᾶσαν τὴν γῆν ζητοῦσα περιῄει· μαθοῦσα δὲ παρ' Ἑρμιονέων, ὅτι Πλούτων αὐτὴν ἥρπασεν, ὀργιζομένη θεοῖς ἀπέλιπεν οὐρανόν.* ubi v. Heynius Obss. p. 25. Unde sponte colligitur, raptam esse apud Hermionenses Proserpinam, et per illam Strabonis *κατά-*

βασιν. Etsi hoc quidem nemo, quod sciam, diserte tradit. At tamen Pausanias haud dubie illam ipsam Strabonis *κατάβασιν* significat, ubi postquam de celebratissimo Hermionensibus cultu Cereris Chthoniae disseruit, II. 35, 10. ita scribit: *ὄπισθεν δὲ τοῦ ναοῦ τῆς Χθονίας χωρία ἐστὶν ἃ καλοῦσιν Ἑρμιονεῖς τὸ μὲν Κλυμένου, τὸ δὲ Πλούτωνος, τὸ τρίτον δὲ αὐτῶν λίμνην Ἀχερουσίαν. περιείργεται μὲν δὴ πάντα θριγκοῖς λίθων, ἐν δὲ τῷ Κλυμένου καὶ γῆς χάσμα· διὰ τούτου δὲ Ἡρακλῆς ἀνῆγε τοῦ Ἅιδου τὸν κύνα κατὰ τὰ λεγόμενα ὑπὸ Ἑρμιονέων.* Ibi Proserpinam quoque raptam esse, sive per idem *χάσμα* sive per vicinum aliud, sed nulla caussa, cur non per idem: aut oblitus est dicere Pausanias, aut divinandum lectoribus reliquit. Quem idem paullo post, absoluta narratione quae est de Hermione, Halice, Asine, II. 36, 7. descensum commemorat, apud *Χείμαῤῥον* fluvium, prope Lernam, per quem Pluto descenderit cum Proserpina, nimis remotus ab Hermionensibus est, quam ut conciliari cum disputatione Strabonis queat. Ex his quod discimus gravissimum est, de una eademque *καταβάσει* agi apud Strabonem l. l. et in Callimachi Fragm. CX. Scilicet descensus fuere multi, et multi, per quos rapta descendisse Proserpina ferebatur: at immunitatem portorii istam uni tantum urbi concessam fuisse diserte docet doctus poeta ille, *μούνῃ ἐνὶ πτολίων:* quam urbem, quum Strabo immunitatem eam de *Hermione* praedicet, hanc ipsam esse *Hermionen*, si non certum atque exploratum, at quam maxime probabile est. Scripsi hoc maxime propter Casaubonum, qui immunitatem illam communem locis, ubi *καταβάσεις* esse *ᾅδου* dicebatur, omnibus fuisse significat, Lectt. Theocrit. cap. IV. ad Strabon. l. l. Etsi hoc ipse quoque in Lectt. Theocrit. diserte statuit, de Hermione loqui Callimachum. Nunc audiendus Suidas est, qui unum praeclare, atque ex ipso Callimacho docet, alterum difficile, suspectum: *Πορθμήϊον· ὁ μισθὸς τοῦ ναύτου. Καλλίμαχος· τοὔνεκα καὶ νέκυες πορθμήϊον οὔτι φέρονται. Ἐν Αἰγιαλῷ γὰρ καταβάσιόν ἐστιν ᾅδου* (vel *εἰς ᾅδου*: cf. Schaefer. ad Schol. Apoll. Rhod. p. 185.), *ἐς ὃ ἀπελθοῦσα ἡ Δημήτηρ ἔμαθε παρὰ τῶν περιοίκων περὶ τῆς Κόρης, καὶ ἐδωρήσατο αὐτοῖς, ὥς λέγει, ἄφεσιν τοῦ πορθμηΐου.* In his quod praeclarum dixi, postrema sunt, de caussa immunitatis.

Quae mirifice conspirant cum narratione Apollodori: *μαθοῦσα δὲ παρ' Ἑρμιονέων, ὅτι Πλούτων αὐτὴν ἥρπασεν*, ita ut ex Suida suppleri possit, quod ad alia properans omisit Apollodorus. Nam Apollodorus beneficium commemorare Hermionensium satis habuit; Suidas e Callimacho et beneficium commemorat, et quo Ceres modo illud remunerata sit, *ὥς λέγει*, scil. Callimachus. Obscurum atque suspectum illud, *ἐν Αἰγιαλῷ*. Quod et superiori demonstrationi nostrae, qua ad *Hermionen* retulimus locum Callimachi, repugnare videtur, et per se est ad explicandum difficile. Qui enim, vel quae *Aegialus? Αἰγιαλὸν* novimus, s. *Αἰγιάλειαν*, quae Achaia postea, ex Homero, Strabone, Pausania, aliis, atque ipso Callimacho h. in Del. 73. Addam unum de doctioribus, simulque de doctioribus interpretibus unum: Euphorionem Fr. LXXX. ibique Meinekium: coll. Anth. Palat. T. II. p. 166. 464. cum annot. Iacobs. Novimus alios *Αἰγιαλοὺς* ex Stephano Byz. v. *Αἰγιαλός*. At Suidas videtur, quum *ἐν Αἰγιαλῷ* scripsit, non magnum littoralem terrarum tractum indicare, sed certum quendam locum, oppidum, vicum. Iam est quidem *Aegiale* s. *Aegialea* antiquissimum Sicyonis urbis nomen: Pausan. II. 5, 6. 6, 5. 7, 7. cf. Strab. VIII. p. 382. (587. A.) At nomine ita antiquato ut potuerit uti Callimachus, Suidam, vel eum a quo sua habet Suidas, aliam substituturum fuisse magis usitatam appellationem veri simile est. Accedit quod nullum in regione illa *καταβάσιον* memini. Est in Ponto Strabone XII. p. 545. (820. C.) et Stephano l. l. testantibus longus *Αἰγιαλός*, et *κώμη ὁμώνυμος*, sed cui non facile commune quicquam cum disputatione nostra. Viri docti quomodo se hac ex difficultate expediverint, non dispicio. Hemsterhusius quidem ad Luciani Colloq. select. Not. p. 18. ex Suida refert simpliciter, Cereris benevolentia remissam *Aegiali incolis* fuisse vectigal mortuale, propterea quod illam edocuissent de raptu Proserpinae; Strabone ibi non utitur. Qui conciliandum esse cum Strabone Callimachum, et loqui Callimachum quoque de Hermione statuunt, Anna Fabri in Callim. p. 249. (p. 353. ed. Ern.) Heynius Obss. in Apollodor. p. 25. etsi id, me quidem iudice, rectissime statuunt, tamen ante expedire istam Suidae discrepantiam debuerant. At, puto, non memores fuerunt Suidae. Ut nec Casaubonus. Mihi Suidas,

sive antiquior Suida grammaticus, ex quo profecit Suidas, ut non liberandus ab obscuritatis crimine, ita excusandus videtur eo, quod fit obscurus, dum pressius accedit ad auctorem suum, Callimachum. Scilicet quum reputo, quam per se late pateat nominis appellativi *αἰγιαλός* potestas, nihil obstat, quominus *αἰγιαλὸν* poeta totum illud sinuosum littus, in quo sita Hermione, dixerit. De parte eius littoris, in qua *ἡ προτέρα πόλις* sita, aliquanto illa mari propior quam *ἡ ἐφ' ἡμῶν* Hermione, ipso vocabulo illo Pausanias II. 34, 9. utitur: *μετὰ ταύτην* (Hydream insulam) *αἰγιαλός τε παρήκει τῆς ἠπείρου μηνοειδής, καὶ ἀκτὴ μετὰ τὸν αἰγιαλὸν* etc. Iam Callimachus quid sibi voluisset, quum diceret *αἰγιαλὸν*, clarum erat legenti atque ante oculos habenti Callimachum: praecedebat enim mentio urbis, *καὶ ἄμπολιν Ἑρμιονήων*. Apud Suidam, ubi nulla ante urbis mentio, obscura atque ambigua appellatio est, *ἐν αἰγιαλῷ*, et hanc fallacem speciem habet, ut *Αἰγιαλός* dici, hoc est, certus quidam locus, oppidum s. vicus, videatur. Denique, si quis sit, cui nondum persuaserim, de Hermione loqui Callimachum, omnem scrupulum eximet imitator, hac quidem in re, Callimachi Orpheus, Argon. 1141. (1134. vulg.) *ἔνθα δέ οἱ χθαμαλή τε καὶ εὔβοτος* *Ἑ ρ μ ι ό ν ε ι α* *τείχεσιν ἠρήρειστται ἐϋκτιμέναις ἐπ' ἀγυιαῖς. ἐν δὲ γένη ζώουσι δικαιοτάτων ἀνθρώπων,* *ο ἷ σ ι ν ἀ π ο φ θ ι μ έ ν ο ι ς ἄ ν ε σ ι ς ν α ύ λ ο ι ο τ έ τ υ κ τ α ι.* *καί δ' αὐταὶ ψυχαὶ μετεκίαθον εἰς Ἀχέροντα πορθμίδος ἐκ γλαφυρῆς· σχεδόθεν δέ οἱ εἰσι πόληος ἄῤῥηκτοί τ' Ἀΐδαο πύλαι, καὶ δῆμος Ὀνείρων.* Dedi locum fere ut est ab Hermanno emendatus. Praeclarum inventum *ἄνεσις ναύλοιο*, pro vulg. *ἀποφθιμένοισιν ἅλις ναῦς ἴα τέτ.* Digna etiam Orpheo forma verbi non valde poetica *ἄνεσις*: est *ἄφεσις* apud Manethonem III. 415. 427. Inscr. Boeckh. n. 474. Welcker. Syll. p. 179. et *ἐπάφεσιν* Epigr. *ἀδεσπ.* CCVIII. *ἄνεσις* Sibyll. XIV. 247. *ξύνεσις* iam Homer. Od. X. 515. Igitur habet Orpheus *Hermionen*, habet assignatam Hermionensibus immunitatem. Haud dubie e Callimacho. Tantum enim honoris habebitur Orpheo, non ut e Strabone sapere, sed ex antiquiore auctore poeta existimetur. Differt a Callimacho, et cum Strabone facit eo, quod immunitatem a sola viciniitate repetit, non a Cerere. Quocum coniunctum est alterum huic poetae pro-

prium, quod pro sua sapientia geographica, ex notissima urbe graeca nescio quam remotissimam a Graecia, proximam inferis, Hermionen sive Hermioniam fecit. Ex parte similia, pervenisse Argonautas ad *ἄκραν Ἀχερουσίδα*, et *σπέος Ἀΐδαο*, et Acherontis *προχοάς*, pracivit Apollonius II. 353. sqq. 728. sqq. Cf. Nicand. Alex. 13. 4.

Locum Callimachi, qui plenissimus exstat in Etymologico M. v. *Δανάκης*, pars, quam vidimus, apud Suidam v. *Πορθμήϊον*, et rursus pars alia, *νεὼς Ἀχερουσίας ἐπίβαθρον*, apud eundem Suidam v. *Δανάκη*, ut nunc taceam eodem spectantes glossas alias, praeclara emendatione Casaubonus Lectt. Theocrit. cap. IV. p. 75. ed. Reisk. ad Strabon. l. l. p. 573. ed. Almel. et in Epistolis, editionis qua utor, 6. et 7. ad Theod. Canterum, restituit:

τοὔνεκα καὶ νέκυες πορθμήϊον οὔτι φέρονται
μούνῃ ἐνὶ πτολίων, ὅγε τέθμιον οἰσέμεν ἄλλους
ἐν στομάτεσσι νεὼς Ἀχεροντείας ἐπίβαθρον.

Atque sic satis emendatus visus Bentleio est, videreturque omnibus, nisi verissima esset Hemsterhusii in Lucian. Dial. mortuor. Vol. II. ed. Bip. p. 515. sq. observatio: *In eo solum a Casaubono dissentio, quod proferri hos versus* non quia in illis voce *δανάκης* usus sit poeta, sed ad confirmationem moris (verba Casauboni in Lectt. Theocr.) *existimarit, cum mihi satis apertum videatur, tribus, quos egregie refinxit, adiungi debere initium quarti versus Δανάκην.* Explicat mentem Hemsterhusii Ernestius ad Callimachum: *Certe Grammatici in glossariis non res, sed verba amplectuntur.* Recte. Atque quod vocem *δανάκης* inferendam in versum Callimachi quartum Hemsterhusius scribit, non coniectura est, sed ipse id indicat Etymologus, cuius hic locum integrum apponam: *Δανάκης, νομισματός ἐστιν ὄνομα βαρβαρικὸν, πλέον ὀβολοῦ· ὃ τοῖς νεκροῖς ἐν τοῖς στόμασιν ἐτίθεσαν. Καλλίμαχος· τοὔνεκα καὶ νέκυες πορθμήϊον οὔτι φέρονται μούνῃ ἐπιπτολίων ὅτε θυμιονησέμεν· ἀλλ' οὐσάνοις ἐκ στομάτεσσι νεὼς Ἀχερουσίας ἐπὶ βάθρον δανάκης. Ἀχερουσία δέ ἐστι λίμνη ἐν ᾅδου· ἣν διαπορθμεύονται οἱ τελευτῶντες, τὸ προειρημένον νόμισμα διδόντες τῷ πορθμεῖ. εἴρηται δὲ δανάκης ὁ τοῖς δαναοῖς* (*δανοῖς* coni. Sylburg.) *ἐμβαλλόμενος. δαναοὶ* (*δανοὶ* Sylb.) *γὰρ οἱ νεκροὶ, τουτέστι ξηροί. δανὰ γὰρ τὰ ξηρά. Ἡρακλείδης ἐν*

τῷ δευτέρῳ Περσικῶν. Igitur fuisse vocem illam in quarto versu, certum videtur; quo in loco fuerit, quomodo accommodanda sit versui, non item. Nam quod Hemsterhusio praeeunte edidit Ernestius, acceperuntque Ruhnkenius ad Timaei Lex. p. 134. Valckenarius in Callim. Eleg. Fragm. p. 10. δανάκην ut sit ipsum versus quarti initium, recte Blomfieldius et Boissonadius senserunt vix posse molossum esse δανάκην. Ab hac parte tutus est Salmasii de Usuris c. XV. p. 427. conatus, in caeteris infelix et multo Casauboniana emendatione deterior: — μούνῃ ἐνὶ πτολίων, ὅτε τέθμιον οἰσέμεν ἄλλοις ἀνδράσιν ἐν στομάτεσσι νεὼς Ἀχερουσίδος ἐστὶν ἔμβαθρον δανάκης. Blomfieldius articulum inferri iubet, τὸν δανάκην: specie tantum facilem, et sine arte factam emendationem. Quod ego dedi supra, ab omni parte satis facit, quum sic sua, quam exspectes, voci δανάκης mensura reddatur, et unum quod non explicatum a Casaubono restabat in scriptura Etymologi, explicetur. Non facile enim persuaderi mihi sinam, de nihilo esse, quod apud Etymologum legitur, ἀλλ' οὐσ ἀ ν ο ι ς, recteque Casaubonum in eo notum scripturae compendium, ἄνους = ἀνθρώπους, agnovisse arbitror. Verum Casaubonus hoc recte observato non invenerat quomodo uteretur, sed additum ἄνους, h. e. ἀνθρώπους, a librario censet. Ego illud a manu profectum Callimachi, sed male traiectum ab aliquo librario in locum non suum arbitror. Quare revocavi ab initio versus tertii ad quarti initium. Quo autem errore sedem mutaverit, quaerere supersedeo. Fortasse ἀνθρώπους quum omissum ab oscitante librario fuisset, et postea suppletum in margine, ab alio repositum est loco non suo, in vicinia vocabuli ἄλλους, quocum sensu coniunctum esset. Similis est a nobis observata verborum transpositio in Fragm. CXXIV. ἴδεος male remotum ab initio versus tertii, et versui additum primo. Et ἀείδει ab initio versus relegatum in finem versus eiusdem, Fragm. XLII*. Proximum est ut illustremus verba Callimachi, emendationesque Casauboni ut approbemus atque commendemus. Ac primum nobis, qui necti inter se Fragmenta CLXXXVI. et CX. iussimus, declarandum est, quomodo nexae sententiae fuerint, vel potius quomodo necti potuerint. Id meis faciam versibus, partim ante scripta de loco Suidae et αἰγιαλῷ illustratu-

rus, partim quo monstrem non magno eam in rem ambitu verborum opus fuisse. Multa potuerunt duobus versibus comprehendi. εἰς Ἀσίνην, Ἀλυκόν τε, καὶ ἀμπόλιν Ἑρμιονήων· Δημήτρα τόθι χάσμα δυσέκδρομον αἰγιαλοῖο ἔφρασαν, ἁρπακτὺν τε μελαγχαίταο ἄνακτος. τοὔνεκα καὶ νέκυες πορθμήϊον οὔτι φέρονται μούνῃ ἐνὶ πτολίων, etc. Quorum non mala videbitur, quippe facta ab eo, qui ipsum poetae locum manu teneret, paraphrasis esse: ἐν αἰγιαλῷ γὰρ καταβάσιόν ἐστιν ᾅδου, ἐς ὃ ἀπελθοῦσα ἡ Δημήτηρ ἔμαθε παρὰ τῶν περιοίκων περὶ τῆς Κόρης, καὶ ἐδωρήσατο αὐτοῖς, ὡς λέγει, ἄφεσιν τοῦ πορθμηΐου. Quod enim Grammaticus scripsit ὡς λέγει (Callimachus): non opus est ut diserte docuerit poeta a Cerere datam immunitatem esse. Id satis declarabat τοὔνεκα coniunctio. ὅγε neutrum, non valde usitatum, si recte memini: sed nihil excogites quod maiorem facilitatem habeat. Excidit γε propter similitudinem syllabae, quae sequebatur, τε. τέθμιον praeclare. Sic solet Callimachus: monstrat exempla Index, τέθμιαι-ὧραι h. Apoll. 87. τέθμια substantivum h. Dian. 174. Cer. 19. τεθμόν, vel τεθμοῦ, Fragm. CV. 1. Ac nescio an id primus Callimachus ausus sit a poetis Doriensibus assumere et frequentare. nam dorica forma recte vocabitur, cuius primarius auctor est Pindarus. Praeter Pindarum laudantur Lycophro v. 859. 1173. Oppianus is, qui Cynegetica scripsit, I. 450. Boethus Anal. Br. II. p. 127. Anth. Pal. II. p. 85. Cf. Valckenar. Epist. ad M. Roeverum, Opusc. I. p. 359. et 363. Addo Gregorium Carm. III. 8. XXXVIII. 20. 48. L. 166. οἰσέμεν significatione aoristi: quemadmodum ante Callimachum loquutum esse Homerum animadvertit iam Casaubonus. Idem discrepat a se ipso, dum ad Strabonem ἄλλους, in Lectionibus Theocrit. ἄλλοις legit, et in Epistolis illis ad Theod. Canterum primum sic: — ἄλλον Ἄνθρωπον στομάτεσσι νεὼς Ἀχεροντείας ἐπὶ βάθρον, versu hypermetro, postea sic: ἄλλους Ἐν στομάτεσσι etc. ut ad Strabonem. Et omnino praestat ἄλλους. Rursus atticissat Callimachus versu tertio: νεὼς Ἀχεροντείας. Etsi de Ἀχεροντεία id tantum certum est, exquisitiorem formam esse. Illustrat formam Ἀχερόντιος, Ἀχεροντία, vel Ἀχεροντεία, Monkius ad Eurip. Alcest. 455. Neque immodica videri debet audacia, Ἀχεροντείας restituere Callimacho pro eo, quod apud

Etymologum, Ἀχερουσίας: usitata haec permutatio est, ut in Euripidis loco Euripides λίμναν Ἀχεροντίαν, Scholiastes Ἀχερουσίαν λίμνην habet, non quod ita legerit, Ἀχερουσίαν, apud poetam, sed sponte se scribenti pro exquisitiore forma usitatior obtulerat Ἀχερουσία. Ubi ad Apollonii lib. II. 734. nunc in Scholiis Parisinis τὸ Ἀχερούσιον σπήλαιον legitur, ibi in Scholiis olim vulgatis τὸ Ἀχερόντειον σπήλαιον est. Non gravabor alia a me annotata exempla apponere. Et Apollonius quidem morem consuetum sequitur: Ἀχερουσιάς, Ἀχερουσίδος, II. 354. 728. 750. 806. 844. Ἀχερουσίδα λίμνην Meleager LXXVII. (Anth. Pal. T. I. p. 143.) 9. Ἀχερούσιον ὕδωρ Leonidas LXXVIII. (A. Pal. I. p. 528.) 9. Orac. ap. Suid. v. Τόνον, et Nonnus XI. 460. XVII. 301. λίμνης Ἀχερουσιάδος Sibyll. II. 245. At Paullus Silentiarius Epigr. XXXIII. et XXXIX. (A. Pal. I. p. 154. 156.) Ἀχερόντια πήματα et νύκτα-τὴν Ἀχεροντιάδα. Ἀχεροντίδα λίμνην: Welcker. Syll. Epigr. p. 104. Ἀχερόντιος: Cramer. A. Gr. II. p. 57, 4. Ἀχερωΐδες: Nicand. Alex. 13. ibiq. Schneid. Neque scriptum semel Ἀχεροντείας attentare volui. Etsi exempla neglecti ita ionismi rara sunt aut certe mihi non praesto. Est λαμπρά: Hermann. Opusc. Vol. VI. P. I. p. 153. 286. et in versu multum celebrato Iliados parvae, in quo fortasse pro dorico habitum λαμπρά originem aliis dorismis, μεσάτα et σελάνα dedit. Mirabar in Nonno ἀστραίαν, I. 461. praesertim postquam apud eundem alibi legissem ἀστραίῃ, ἀστραίῃ, ἀστραίην. postea intellexi correctum illud esse a Graefio Praef. Vol. II. p. X. ἐπίβαθρα apud Callimachum h. in Del. 22. utrum *ascensum* ipsum an *pretium ascensionis* significet, dubium est inter interpretes, Bentleium, alios. Illam rationem commendat imitator Nonnus binis locis, XIII. 457. XLI. 117. Hac, ut ἐπίβαθρον, s. num. plurali ἐπίβαθρα, sit pretium, maxime ναῦλον, ad quam Nonnus aliis locis IV. 258. XIII. 364. accedit, praeter Callimachum in Fragmento hoc nostro, usi sunt iam excitati ab aliis Homerus Od. XV. 449. (καταχρηστικῶς, ut ibi visum est Scholiastis), Apollonius I. 421. alii. Cf. si placet, Claudian. III. (Anth. Pal. T. II. p. 47.) 3. Iulian. Aeg. XXXVII. (A. Pal. II. p. 232.) 3. Diodorus Siculus, ubi Graecis communia cum Aegyptiis, λίμνην Ἀχερουσίαν, alia, recenset, I. 96. συμφωνεῖν δὲ καὶ τἄλλα τὰ

παρὰ τοῖς Ἕλλησι καθ' ᾅδου μυθολογούμενα τοῖς ἔτι νῦν γινομένοις κατ' Αἴγυπτον. τὸ μὲν γὰρ διακομίζον τὰ σώματα πλοῖον βᾶριν καλεῖσθαι, τὸ δ' ἐπίβαθρον [νόμισμα] τὸν ὀβολὸν τῷ πορθμεῖ δίδοσθαι, καλουμένῳ κατὰ τὴν ἐγχώριον διάλεκτον Χάρωνι, vel potius *χάρωνι.* ubi cf. de v. *ἐπίβαθρον* Wesselingius. De voce *δανάκης* quod docet Etymologus, *νομίσματός ἐστιν ὄνομα βαρβαρικόν, πλέον ὀβολοῦ,* haud dubie ex Heraclide docet. Hesychius: *Δανάκη· νομισμάτιόν τι βαρβαρικὸν δυνάμενον πλέον ὀβολοῦ ὀλίγῳ τινί. τινί,* ut puto: alius e Codice eruet *γίνεται.* Pollux IX. 6, 82. *Persicum* vocat: *καὶ μὴν καὶ τὸν δανάκην* (olim male *τὴν δανικήν*) *εἶναί τινές φασι νόμισμα Περσικόν.* Antiquissimus auctor Heraclides est. Sed quinam ille de multis Heraclidis? Odessensis *ἱστοριογράφος*? Putaverim Cumanum, cum Vossio in Historicis graecis, sed de cuius aetate non statim reperio quod certum sit. Is si posterior Callimacho fuit, quod nunc coniicio, non contendo, proximum est, ut suspiceris sua illa omnia Etymologum, etiam versus Callimachi, Heraclidi debere. Hoc pono tamquam exploratum, ubicumque *δανάκην* dictum esse istum mortuorum obolum traditur, ab Suida in *Ἀχερουσία*, et in *Δανάκη*, ab Hesychio in *Δανάκη*, ubi ad priora illa additur: *ἐλέγετο δὲ καὶ ὁ τοῖς νεκροῖς διδόμενος ὀβολός,* a Zonara p. 468. et ab ipso Etymologo: ubique id Callimacho tradi auctore. Qua de re non piget adscribere verba ex docta disputatione de obolo mortuorum, deque pertinentibus ad eam quaestionem vocabulis *καρκαδὼν* et *καττιτέριον* (*καττιτήριον*), Hemsterhusii in Lucian. l. l. p. 515. *Praeterea δανάκη, vel potius ὁ δανάκης, a veteribus vulgo nummus hicce mortualis fuerit appellatus, si verum est, quod viris eruditis Grammatici persuaserunt; id enim ex Hesychio, Etymologo et Suida in Δανάκης, Ἀχερουσία iure sibi colligere videbantur. Sed minime dubito, quin a Callimacho fluxerit ista glossa, qui auctor novandi vocabulorum usus haud infrequens forte solus antiquorum viaticum illud infernum δανάκην dixit, oboli vice eo nummi Persici genere posito, quod Graecis non ignotum pretio proxime respondebat.* Non dissimilis est, quam ante laudatus Diodorus in memoriam mihi revocavit, audacia fortasse Aeschyli, qui primus vocem, ut fertur, Aegyptiacam *βᾶρις* in sermonem Graecorum

poeticum intulerit. Conferantur, ut consistam in his quae proxima, *βαλήν*, *ἀγγάρου* *πυρός*. Quamquam maior Callimachi audacia videbitur, ut recentioris poetae. De origine vocis *δανάκης* persica quaestionem, quam Salmasius et laudati ad Hesych. et Pollucem agitant, iam seposueram, quum sensi piaculum esse, quod promptum paratumque auxilium habeas, eo non uti. Igitur rogatus a me vir harum linguarum peritissimus, gratus collega mihi, Christianus Lassenus, de origine vocis persica, et si quid sciri de genere vocis persicae et quantitate posset, haec respondit admodum benevole. Primo quae adhuc propositae explicationes vocis fuerint, incertas suspectasque esse, quippe petitas e recentiore lingua persica, in qua vetera vocabula persica prorsus transformata cernantur. In vetere sermone persico se nondum repperisse vocem illam: non mirari tamen, qui cogitet, quam sit notitia veteris sermonis persici imperfecta; ac minime negare persicam esse. Formam per se probam esse, et ex more vetere persico: masculinum *dānăkăs*, vel etiam *dhănăkăs*, a radice *dā*, dare. Quorum maxime postrema iucunda mihi fuerunt, et grata ad disputationem de graeca quidem voce iam absolutam accessio. Quamquam si demonstrari posset, longam Persis fuisse *να* syllabam, non sequeretur, eandem etiam Callimacho debuisse longam esse. Sunt apud Aeschylum in Persis nomina propria nonnulla, longa penultima, ubi ex more graeco exspectes brevem; atque ibi suspicio est quaedam, longam factam esse ab Aeschylo in imitationem insolentiae barbaricae. Callimachum puto, quum liberum esset, in voce *δανάκης* illud praetulisse, quod ori graeco facilius atque accommodatius. Syllabae autem *δα* correptio etiam eo se commendabat, quod pronuncianti hoc nomen homini graeco sponte se offerebat graeca originatio, *δάνος*, *δάνειον*, quo ipso vocabulo in eadem re utuntur Suidas et Photius in *Καριάδοντα* vel *Καρκαδόνα*: *τοῦτο λέγεται Χάροντος δάνειον, συνηγόμενον ἐκ τοῦ ὀβολοῦ τοῦ συγκηδευομένου τοῖς τελευτῶσιν.* Scilicet quod nobis accidit, id in Graecis quoque observatur, ut peregrinis et ignota radice vocabulis cogitando eam derivationem significationemque subiicerent, quae propria verbis simile sonantibus graecis esset. *τὸν δανάκην* fuisse, non *τὴν δανάκην*, credo Etymologo, Polluci, tum vi-

ris doctis, Iungermanno ad Pollucem, aliis. Sed maxime Etymologo, propter auctorem, quem laudat, Heraclidem. Atque sic δανάκην haud dubie accipiendum in versu Callimachi, a nominativo δανάκης. Verum δανάκην in versu Callimachi quum per se ambiguum esset, inde per errorem Hesychio, Suidae binis locis, Zonarae, Favorino quoque, natam formam puto, non approbandam aliunde, δανάκη. Cognatum ἡμιδανάκιον ap. Hesychium. et fortasse δανικόν Suidae, quod et ipsum Persicum Lasseno sonat.

Superest ut declarem, qua de caussa hic pertractandum, ubi de Hecale agitur, hoc Fragmentum CX. mihi sumpserim. Igitur est qui illud in Hecale fuisse diserte testatur, Natalis Comes Mythol. Lib. III. Cap. 4. p. 131. ed. Ven. 1581. ubi prolatis Luciani verbis, quae sunt in libro de Luctu c. 10. ὥστε ἐπειδάν τις ἀποθάνῃ — γενησόμενον, pergit: *is autem nummulus Danace a Graecis dicebatur, sicuti testatur Callimachus his carminibus in Hecale:* τοὔνεκα καὶ νέκυες πορθμήϊον οὔτι φέρονται, μοῦνοι ἐπιπτολίων ὅτι μὴ θυμιασέμεν αὐτοῖς. Ἀλλὰ κενοῖς στομάτεσσι νεὼς ἀχερουσιὰς ἴσαν βάθρον, καὶ δανάκης ἐπιδεύεται οὔτις ἀπιών. Haec ille. Omitto versus, quibus graecos ab se factos reddit atque explicat, nam sane opus erat explicatione, latinos. In versu 2. videtur sic voluisse, θυμιάσομεν. vertit enim: *nisi sacra feramus nos, et suffitus.* A Natale profectos esse versus istos non versus vel puer sentiat prosodiae graecae mediocriter gnarus. Ut nesciam quid Spanhemio acciderit, qui illis aliquid tribuere fidei videtur, in Fragm. Callim. p. 274. et 278. ed. Graev. (p. 384. 388. Ern.) Sciens autem, ni fallor, Natalis intulit vitia, Ἀχερουσίας brevi ultima, pro quo Sylburgius in Notis ad Natalis Mythologiam, contra mentem Natalis Comitis, Ἀχερουσίδος proponit; et ἴσαν, et ἀπιών. Ut sic conceptus locus e codice vetere, corrupto, descriptus videretur. Quos passim versus graecos ab se factos tamquam suos inserit, p. 119. sq. 184. 432. 543. sq. non ita imperitum prosodiae ostendunt. θυμιασέμεν, vel θυμιάσομεν, prima brevi, error non voluntarius: scilicet ita sibi emendasse visus est, quod legebat apud Etymologum, θυμιονησέμεν. At, inquies, non semper et per omnia mendacem esse oportet, qui uno in mendacio deprehensus fuerit. Condonanda erit Natali fraus facta in versibus; quod idem de carmine tradit, in

quo versus fuerint, vere tradidisse et ex fonte ingenuo credetur. Haec magni viri Hemsterhusii fuerit sententia, ad Lucianum: *quod autem undecunque investigatum Natalis Comes scripsit, versus esse ex Hecale depromtos, certissimum arbitror.* Et post Hemsterhusium, Ernestii. Et ante Fabricii in Bibl. graeca Vol. II. p. 484. Crederem, si ullo modo probabile esset, Natalem illud ex alio incognito nobis fonte, aut ex pleniore, quam nostrum est, Etymologico tradere. Ut nunc se res habet, quum Natalem versus istos suos interpolando atque corrumpendo effinxisse ex Etymologico appareat, et ex eo Etymologici exemplo, quod nostro nunc exemplo prorsus simile atque geminum, quis illud Natalis exemplum uno nomine *Hecales* locupletius nostro fuisse credat? Nempe credemus, quum illud in lucem prolatum fuerit. Interea cum viris doctis aliis fidem Natali hac quoque in re denegabimus. Qui sunt Sylburgius, Valckenarius, Ruhnkenius. Sylburgius ad Etymologicum ita: *Callimachi versus a Natale Comite paulo integrius citantur Mythologiae lib. 3. c. 4. — citantur autem ibi ex Callimachi Hecale: quae ubi ei visa sit et perlustrata, non addit.* Acumen Sylburgii ut percipias, recordandum est, quod idem vir doctus scribit in Notis ad Natalis Comitis Mythol. ed. Hanov. Wechel. 1619. *Haec sunt quae in Graecis autorum verbis recognoscendis animadverti, de quibus perlubenter cum ipso Natale per literas, lubentius coram si fieri potuisset, contulissem, oculosque meos et animum pavissem variorum autorum intuitu, quos Natali videre, nobis audire tantum contigit.* Valckenarius in Call. Eleg. Fr. p. 10. et Ruhnkenius ad Timaeum p. 134. breviter, sed ut intelligas nihil illos tribuisse testimonio Natalis de Hecale. Omnino quantum habeat Natalis Comes proprium, ex scriptoribus nunc deperditis, magis dubium mihi est, quam videtur Lobeckio esse in Diatr. antiq. de morte Bacchi p. 17. not. 10. coll. Aglaoph. I. p. 573. not. p. ac vellem plura protulisset reconditae huius in Natale doctrinae documenta: nam fortasse hanc quoque in quaestionem maiores meis sunt viri egregii copiae. Ut statim novum mihi erat, quod ex Pronapide profertur Natali commune cum Bocatio, Aglaoph. I. p. 600. not. Neque hoc superat fidem, penes Natalem fuisse aut Tzetzae Chiliadum codicem pleniorem, quamquam quibus aliis

locis Tzetzae (qui Zezes audit Natali) Chiliades laudat, sunt autem multi, hanc speciem habent, ut ex edito exemplo laudare videatur, non ex scripto atque inedito; aut fabulam Babrii (Fragm. XLIII. ed. noviss.) ex alio libro, praeter Tzetzen, notam, unde Mythol. IX. 5. duos ineditos versus protulerit. Alia suspensum per aliquantum temporis iudicium tenent, et laudem venerationemque Natalis Comitis propagant, sed evanescunt, ut nulla nisi industriae laus multaeque lectionis, haud raro cum fraude mixtae, remaneat, si verum ac primum auctorem reperire contigerit. Fraudis exemplum minime dubium est, simile ei, quod audentem Natalem in versibus Callimachi vidimus, in Mythol. lib. III. c. 17. p. 169. ed. Ven. versus Sosiphanis ex Scholiis Apollonii III. 533. sed, quum ibi duo sint, apud Natalem tres, ex fabrica Natalis haud dubie, non ex pleniore Scholiorum codice. Memini, quum in Nicandri fragmento, quod Stephanus Byz. v. Ἄθως conservavit, aliquando versarer, quaerere me, unde Natalis II. 8. p. 110. *Neptuni filium* habeat *Athon, a quo mons.* Sero incidi in Scholia Theocrit. VII. 76. quamquam ne hunc quidem verum esse Natalis fontem contenderim: deest enim apud Natalem matris nomen, Rhodopes. VII. 1. p. 451. *quem* (taurum Marathonium) *dicunt nonnulli* Dianae Marathoniae *fuisse postea a Theseo mactatum:* non dicit, qui sint *nonnulli*, sed falsum dicit haud dubie. Discat aliquis ex eo loco, quomodo agere in narrationibus componendis homo eodem temporis puncto laude dignissimus industriae et reprehendendus sua suaeque aetatis levitate soleat. De tauro illo priora fere ad verbum ex Pausania non nominato, adhibito Tzetze, quem nec ipsum nominat (sed nominaverat III. 7. p. 139. Chil. I. 19. cf. Chil. II. 36. v. 293. sq.), et fortasse etiam Apollodoro, sed inserens, de quo nihil neque apud Pausaniam, neque apud Apollodorum: — taurum hunc *ignem efflantem naribus:* puto ex epigrammate Quinti Smyrnaei, quod ipse p. 456. apponit. Quocum ea in re convenit vero Quinto Smyrnaeo VI. 237. Deinceps istud de Diana Marathonia. Denique hunc ipsum fuisse taurum Europae, Apollodori sententiam, omisso, quod memorabile est, Acusilao. Dimissurus eram hunc Mythologum, et finem facturus in admonitionibus Heynii ad Apollod. III. 8, 1. Obss. p. 263. Fragm. p. 458.

et aliquoties iteratis Lenzii ac Siebelisii ad Scriptores *Ἀτθίδων*, sed amplius morandum est: audio enim quaerentes, quid commovere Natalem potuerit, ut ex ingenio illud pusillum additamentum comminisceretur, *in Hecale*. Igitur Natalis non solum, quod notum artificium eius, tacere atque abscondere, quo divitior videatur, fontes divitiarum suarum solet, ut *Menaechmum* laudat simpliciter, ubi laudandus erat *Menaechmus apud Schol. Pindari; Theolytum Methymnaeum in Bacchicis carminib.* ubi addendum erat *apud Athenaeum*: sed etiam amore fraudis, non inaudito aetate illa et in illo hominum genere, vel nescio cuius gloriae cupiditate, magna nomina, et quae fallaci doctrinae specie delenirent animos legentium, ementitur. Exempla non multa annotavi, sed idonea. Quo enim alio nomine dicas, quam mendacium, quum II. 6. p. 99. *Hermesianacti* tribuit versus, qui nunc apud Lobeckium Aglaoph. I. p. 463. leguntur? At Natalem mirifice delectarunt: *Neque minus luculenter sane hoc explicavit praeclarus ille et suavis poeta Hermesianax, ubi ita cecinit: Πλούτων, περσεφόνη*, etc. *Aretadae Gnidii* nullam esse eo loco, quem Natalis III. 1. p. 125. laudat, mentionem, iam monuit Sylburgius: v. Schol. Apollonii II. 729. Mendaciumne dicam an inexplicabilem errorem ambigo, quod IV. 10. p. 237. primum recte nonnulla ex Homeri hymno in Apollinem laudantur, tum statim versus eiusdem hymni 340. 341. *Nicandro* dantur *Colophonio*. Eadem *Demarchi* res est V. 13. p. 315. ubi quam Lobeckius locis paullo ante laud. Natali, qui propter illatum pro Nonno *Demarchum* poenas C. Barthio (itemque G. Falkenburgio in Nonn. p. 1326.) dedisset, excusationem parat, errorem hunc esse, non fraudem, de ea excusatione ne nunc quidem, post iteratam viri celeberrimi demonstrationem, persuasum mihi esse fateor. Ut enim concedam, ex solo Etymologico M. in v. *Διώνυσος* eos versus (Nonn. IX. 11. 12.) afferre Natalem, non praesto habuisse Nonnum, quomodo qui, tacente nomen Etymologo, sciret, atque ead. pag. 315. dixisset, *Nonni* esse, et *in Dionysiacis*, illos quos statim subiicit tamquam eiusdem poetae versus Etymologus (Nonn. IX. 17. sqq.), nescire potuit eiusdem etiam Nonni esse eos qui praecedunt? Rursus V. 6. p. 299. epigramma quod *ἀδέσποτον* invenisset (Anal. Br. *ἀδέσπ.* CCXXX.),

ut haberet dominum atque auctorem, cumque magnum, *Ibyco* assignavit. V. 17. p. 352. *carminibus Saphicis a nobis olim in Latinam linguam translatis* an fraudem facere voluerit, quivis ipse iudicet. Quod VI. 7. p. 381. legitur: *Antimachus libro tertio Argonauticorum Iasonem cum Medea* etc. erratum dicerem, sive Natalis, sive operarum, reponique *Apollonium*, quem et alibi saepissime et hoc ipso in loco laudat Natalis, iuberem, nisi esset scholion in Apollon. Rh. IV. 156. unde nata *Argonautica* Antimachi. Eidem Antimacho aliud carmen, quod ille nunquam scripsit, attribuit, *Centauromachiam*, VII. 4. p. 473. *At Antimachus in centauromachia illos ab Hercule pulsos e Thessalia in insulas sirenum confugisse scripsit, ubi cantibus illarum delectati omnes in apertam perniciem fuerunt attracti.* Quod addit de Nesso, aliis, e Strabone, recte se habet. *Centauromachiam* Antimachi rectissime in dubitationem vocavit Schellenbergius in Antimach. p. 32. Neque aliud illa, ut puto, fundamentum habet, nisi Natalis ratiocinationem valde infirmam hanc: de Centauris victis ac fugatis aptissime in Centauromachia dici: ergo illud in Centauromachia dixisse Antimachum. Verum ego etiam de *Antimacho* addubito. Quis enim non iuret, Natali ante oculos fuisse auctoris eius, quo utitur saepissime, Tzetzae, vel, ut Natali appellatur, Isacil, in Lycophr. v. 670. haec: *Ἐπειδὴ οἱ Κένταυροι διωχθέντες ἀπὸ Θεσσαλίας ὑφ' Ἡρακλέους, εἰς τὴν τῶν Σειρήνων νῆσον* (ante Müllerum fuit *εἰς τὰς-νήσους*) *παρεγένοντο, καὶ τῇ ᾠδῇ ἐκείνων θελγόμενοι ἀπώλοντο.* De Antimacho nihil. At fortasse apud Natalem plenius exemplar fuit. Itane? Plenius Tzetzae exemplar apud illum, qui IV. 5. p. 199. eodem Tzetze ad Lyc. 355. praeeunte a *Simonide Caeo* Genealogo scriptos perhibet, qui sunt versus Apollonii? qui IV. 10. p. 240. cum eodem Tzetze nostro ad Lyc. 208. versus Apollonii alios *Heliodoro* tribuit? Pleniorem vitiis codicem habuerit. Certe illo loco qui est p. 199. *ὑψηλῶν ὀρέων* additur, quod apud Tzetzen ad Lyc. 355. additamentum, Müllero testante, Leopoldi Sebastiani est haud dubie ex aliquo codice. De *Sosicrate* in fabula Scironis VII. 9. p. 484. supra dubitationem movi. An Sosicratem intelligi voluit rerum Creticarum scriptorem, quem nosse Natalis ex Schol. Eurip. Hippol. 47. potuit? Vel aliunde: nam Scholia

Euripidea si ad manum fuissent de Scirone scribenti, non neglecturus erat tam memorabilia testudinem et Callimachum. Ibid. p. 485. *Theopompi* auctoritate narratur quam Cap. III. p. 81. ex Pausania atque Hygino fabulam commemoravimus. Apud Theopompum Chium, cuius fragmenta habemus diligenter ab Eyssonio Wichers collecta, frustra quaesiveris. Neque inter caeteros, qui Theopompi nomen gerunt, ullum video, de quo audeam coniecturam facere. Et omnino multum confido, maxime in fabula huiusmodi, doctae diligentiae Meziriaci, qui sponsorem eius narrationis (vne iolie histoire) nullum praeter Hyginum et Pausaniam habet, ad Epist. Hypsipyles T. II. p. 111. sq. An igitur e coniectura male natus *Theopompus* est? Versiculos hos: *Σειρήνων μετέπειτ' ἀφίξεαι* (*ἐσαφίξεαι* ed. Wechel.) *ἁλμυρὸν ὕδωρ, Σειρήνων γλυκερῇσιν ἀοιδαῖς δηλήσαντο καὶ πλείστους ναύτας, ὧν πίθεται ὀστέα λευκά*: non posse tales a *Lesche* profectos esse, ut VII. 13. p. 499. perhibetur, et a Lesche *in parva Iliade*, quivis viderit. Si tamen alicui antiqui videantur, sed corrupti, interpolati: ut mihi videtur, nec vola nec vestigium horum exstat, aut exstitit unquam, nisi apud Homerum, unde consuti sunt: maximam partem ex notissimo Circes sermone, quem et ipsum apposuit Natalis, Od. XII. 39. sqq. sed, ut aliquid differret Homerum inter et Leschen, *μὲν πρῶτον* callide mutato in *μετέπειτα*. cf. Od. I. 161. et *ἁλμυρὸν ὕδωρ* saepe. Denique de Musarum inventis epigramma *Καλλιόπη σοφίην* etc. merito illud *ἀδέσποτον* in Anthologia Graeca, Brunckii T. II. p. 513. Palatina T. II. p. 178. et apud Burmannum ad Anth. Lat. Lib. I. 74. unus quem sciam Natalis VII. 15. p. 507. obtrudit *Callimacho*. Scilicet acceperat doctissimum poetam fuisse Callimachum: igitur doctissimo poeta dignum tam doctum carmen. Reputandum est, aetati illi, pro sua indigentia, ea inprimis docta visa esse, quae didactica, et ex quibus statim compendiaria quaedam doctrina hauriri posset: ut epigramma hoc, et Hermesianactis, si diis placet, versus paullo ante commemorati. Post haec nemo mirabitur, quod *Hecales* appellatione, quo de poemate aliquid legerat, locum ab se prolatum Callimachi Natalis illustrare voluerit. Neque temeritatis crimen incurram, si eadem opera fragmentum *Hecales* alterum extorsero Natali Comiti. Id ille IX. 5. p. 635. ita profert, ubi

secundum Apollonium I. 1126. de *παρέδροις* Matris Idaeae, Titia Cyllenoque tradit: *Fuit autem Titias Heros indigena Cretensium, ut sensit Callistratus libro secundo Heracleae: quem fabulati sunt Iovis fuisse filium, cum tamen Callimachus in Hecale illum maiorem natu Cimmerii Mariandyni filiorum tradiderit, ob huius felicitatem cum gens illa maxime res suas auxisset, illum postea Heroem fatis urbium praefectum existimari lege sanxerunt, ut inquit Theophanes, et Promachidas in iis quae scripsit de Heraclea.* ἀπεθεώθη γὰρ ὁ τιτίας ἀπὸ Μαριανδύνων, δι' ὃν μάλιστα τὸ ἔθνος ἐκεῖνον ηὔξηταί τε καὶ προῆκται πρὸς εὐδαιμονίαν. *inter Deos relatus est Titias a Mariandynis, quoniam per illum gens illa maxime aucta est, et ad felicitatem est perducta.* Omnia ex Scholiis, praeter illud *Callimachus in Hecale,* quod ipse de suo inseruit, et praeter *Heroem fatis urbium praefectum*, quod ex verbis Apollonii. Comparetur Scholion: *Καλλίστρατος δὲ ἐν τῷ δευτέρῳ τοῦ καθ' Ἡράκλειαν περὶ Τιτίου φησί· Τιτίας, ἥρως ἐγχώριος, ὃν οἱ μὲν μυθεύονται παῖδα Διός, οἱ δὲ πρεσβύτερον τῶν Μαριανδυνοῦ τοῦ Κιμμερίου παίδων· δι' ὃν μάλιστα τὸ ἔθνος ηὔξηται, καὶ προάγεται ἔτι εἰς εὐδαιμονίαν. καὶ Προμαχίδας δὲ ἐν τοῖς περὶ Ἡρακλείας λέγει περὶ Τιτίου, ὅστις ἦν, καὶ Θεοφάνης. ἀπεθεώθη δὲ ἀπὸ Μαριανδυνῶν.* Observetur, quam celeriter Natalis novam *Heracleam* procuderit ex verbis *τοῦ* (vel *τῶν*) *καθ' Ἡράκλειαν.* Cf. eadem Scholia in Apollon. II. 723. et in II. 780. haec: *τὸν δὲ Τιτίαν οἱ μὲν φασὶ Διὸς παῖδα, ἕνα τῶν Ἰδαίων Δακτύλων, οἱ δὲ τὸν πρεσβύτατον τῶν Μαριανδυνοῦ παίδων.* Praeter illa, quae Natalis citat fragmenta Callimachi pauca sunt haec. Nisi unum alterumve me praeterierit, quod tamen non suspicor. Fragm. CXXIII. *Νηφάλιαι* etc. Natal. III. 10. p. 146. ubi conf. nota Fr. Sylburgii, et Natalis Comitis ad eam responsio in epistola ad Andr. Wechelium, ed. Hanov. 1619. Fragm. CCIX. *Φωκείων* etc. Natal. VI. 23. p. 438. Fragm. CCCLXXV. de Asopo, Natal. VIII. 16. p. 586. Callimachei libri titulum, *Κτίσεις νήσων καὶ πόλεων, καὶ μετονομασίαι*, quum legisset apud Suidam, id opus aliquoties laudat, sic: *de conditis insulis, de habitatis insulis, in conditis insulis et habitatis urbibus, et earum nominibus*, vel etiam graeco titulo: II. 1. p. 58. 64. 4. p. 88. VII. 5. p. 476. VIII. 23. p. 607.

bis. Quae omnia an sint vera fragmenta Callimachi, non vacat quaerere; ex illo libro esse, coniectura est Natalis Comitis, per se non inepta. Ex Hymnis locos apponere longum est; laudat autem omnes. Illud ridiculum, quod quum ante oculos haberet hymnum *in lavacra Palladis*, etiam alios ita nuncupat aliquoties, *in lavacrum Deli*, *in lavacrum Dianae, hymno in lavacrum Apollinis*. Haec de Natale, nimis multa, ut mihimet ipsi videtur, sed necessaria fortasse, ne iniuriam fecisse homini dicerer. At enimvero quoniam nec fraudulentum mendacemque sua defraudandum esse laude video, ut sit verissimum, nihil nisi hariolationem esse, impudenter venditam pro veritate, quod ille Fragmentum Callimachi CX. ad *Hecalen* retulit, quid si felix hariolatio sit? Equidem ut non assequor, quibus caussis Hemsterhusius permotus id *certissimum* esse, *versus esse ex Hecale depromtos*, scribat, ita ipse dignos esse eo loco fateor. Digni qui inferantur in Hecalen, in universum versus sunt ii, in quibus longitudinem atque gravitatem agnoscas carminis epici, et quibus aliud poema Callimachi, ad quod referantur, non invenias. Iam Aetiis hos fore argumento aptissimos recte senserant Valckenarius et Ruhnkenius l. l. sed obstat, quod Aetia fuerunt, ut constat nunc quidem, metro elegiaco scripta. Ab historia Thesei non alienam mentionem Hermiones esse supra monui. Verum ut ad Hecalen accommodetur hoc fragmentum, et alterum CLXXXVI. ponendum erit, Theseum in Episodio vel etiam ipsum poetam antea ea in parte carminis, quam nos circumscripsimus Capite tertio, satis multa narravisse de rebus Thesei, pueri, iis, quae non comprehendebantur ambitu, qualem supra designavimus, Episodii. Asine enim, Halice, Hermione non sunt in via ea, quae Troezene Athenas ducit. Nisi Theseus Callimacheus, quum Athenas proficisceretur, huc illuc excurrere, etiamsi nihil ibi magni peragendum esset, sed tantum visenda mira, memorabilia, quam recta via uti maluerit.

Nullum excogito idoneum locum Fragmento CLXXXV.

Βριλησσοῦ λαγόνεσσιν ὁμούριον ἐκτήσαντο.

Excogitaretur fortasse, si certius de situ Brilessi montis constaret. De eo monte testimonia veterum a me alibi et a Müllero in descript. Atticae p. 216. excitata sunt. Etymol. M. p. 214, 9.

Βριλησός, ὄνομα τόπου τῆς Ἀττικῆς: ubi nunc et Simonidis locus ille laudatur, et *τρεῖς χοῦς μέλιτος Βριλησσίου* ex codem Etymologico p. 149, 24. *Βριλησσός*, an ex nuper edito praecepto Theognosti (Cram. A. Gr. II. p. 73, 2.) *Βρίλησος*: nota vel ex Thucydide varietas. Ruhnkenius in Epistt. Tittm. p. 102. Libanii et Plutarchi exemplis usum vocis *λαγών*, *λαγόνες*, comprobat, de quo is cui fragmentum debetur Callimachi, Galenus T. IX. p. 368. ed. Lips. Ex Alciphrone III. 23. *αἱ Βριλήσιαι λαγόνες*, etiam ab Hemsterhusio admotum Callimacho. *ποταμοῦ λαγόνι* Antip. Sid. XXIII. (A. Pal. T. I. p. 280.) 6. *λαγόνες*, latera lapidis, urbis, sepulcri: Nonnus XXXVII. 108. XL. 318. Gregorius Epigr. 185. 188.: Graecus interpres Virgilii Ecl. IV. 30. *σκληρῶν - πεύκης λαγόνων*. Nonnus II. 390. *λαγὼν - γαίης*. nisi hoc magis ad aliam disputationem referendum, quum *λαγόνες* sunt ilia, viscera. Caeterum *λαγόνεσσιν ὁμούριον ἐκτ.* admodum felix Bentleii emendatio est ex vulg. apud Galenum *λαγόνες εἰσὶ νόμου ὃν ἐκτ.* Addatur vera, ut videtur, correctio Blomfieldii *ἐκτίσσαντο*. ut sententia sit, illos conterminum Brilesso monti oppidum, vicum, *δῆμον*, condidisse. Comparo Callimachum Fragm. CIV. *λᾶα παρὰ ξανθῆς Ἁρμονίης — ἄστυρον ἐκτίσσαντο.* Euphorio Fragm. L. 1. Apollonius III. 1094. 5. *Μινύην, ἔνθεν φάτις Ὀρχομενοῖο δή ποτε Καδμείοισιν ὁμούριον ἄστυ πολίσσαι.* Praeterea *ὁμούριοι* apud eundem Apollonium II. 379. cf. Dionys. P. 649. 686. 1132. Nonnus IV. 320. XIII. 254. XXI. 246. et *ὅμουρος* Dion. P. 435. Orph. Arg. 747. et cognata *μεσούριος*, *ἄγχουρος*, apud Dionysium, Lycophronem, Orpheum, Crinagoram. *ὁμούριον* coniectura Hermanni in Hermesianactis v. 55.

Est alia quaedam suspicio mea, levis illa, sed tamen suspicio, occasione quam Hecale offerebat multifariam dicendi de antiquitatibus Atticae, usum esse sive Theseum sive poëtam, ut insereret vetustum nomen *Mopsopiae*. Fragm. CCCLI. e Stephano Byzantio:

Μοψοπία, ἡ Ἀττική, ἀπὸ Μόψοπος· Καλλίμαχος.

Nam hoc tantum agere Stephanum existimo, *Mopsopiae* appellationem ut comprobet auctoritate Callimachi. Ea appellatione bis utitur Lycophro, fuitque Euphorionis, in quo similis doctrinae ostentatio, titulus carminis *Μοψοπία*. *τὰν κραναὰν Μοψοπίαν*

Agathias LXXXII. (A. Pal. T. I. p. 493.) 8. *Μοψοπίοις-ἐνναέταις* Paull. Sil. LX. (A. Pal. II. p. 660.) 8. Et apud amatores nominum exquisitorum poetas latinos haud raro. At de Fragmento CCCLXVII. quo qui aliis *δῆμος τῆς Λεοντίδος φυλῆς* fuit, *Ἁλιμοῦς*, Callimacho *πόλις* fuisse traditur quid sentiam, breviter indicatum est p. 187. Cur autem sentiam, hoc est, quod verba Stephani, *Καλλίμαχος δὲ πόλιν ἡγεῖται*, magis grammatici de re geographica disputationem quam mentionem carminis loqui videntur.

Non nego alia in Fragmentis Callimachi latere ad Hecalen pertinentia, et referenda aliquando ad Hecalen, si bona fortuna voluerit, certis testimoniis, mythologica, historica, geographica. Quis metiatur animo, quae data opportunitate obiter commemorare potuerit poeta omnia? Nobis in iis consistendum fuit, quae ex Hecale esse aut boni testes testantur, aut internum quoddam indicium persuadet. In quibus nullum ciusmodi indicium est, aut nullum imbecillitati oculorum nostrorum comparuit, excludenda erant. De his nunc loquor, quae sunt mythologica, historica, geographica. Nam alia dictione memorabilia, atque hac de caussa laudata grammaticis, saepius inserere ausus sum sola coniectura ductus, ubi apta argumento, quod mihi obversabatur, carminis, singulisque locis viderem. Etsi semper sensi, et satis significavi ubique, qui coniecturam ciusmodi faciat, similem esse tesseris ludenti, quo in ludo spem boni eventus fere aequat erroris damnique periculum. Quod si quis idem dicendum esse de fragmentis aliis, in quibus certa deprehendere indicia mihi visus sum, et quae confidenter suis assignavi locis, contenderit: veluti si quis *Glaucopium* fuisse quidem in Hecale, sed qua in parte fuerit, et in quo sententiarum nexu, dici non posse obiiciat: ego ne hoc quidem nego. Enimvero satis curavimus, ni fallor, tum insertis hic illic admonitionibus, tum colore atque habitu totius disputationis nostrae, ut significaremus hoc quicquid conati sumus in Hecale, magnam partem in probabilitate versari; probabilitatis autem quasi quosdam gradus esse: ut quod summum probabilitatis gradum habeat, id pro demonstrato atque explorato haberi possit, donec aliud etiam magis probabile inventum fuerit. E. g. de *Γλαυκωπίῳ* unum certum est idoneo testimonio,

Γλαυκωπίου mentionem in Hecale fuisse. Deinde pro certo habitum iri confido, fuisse verbis conceptam his: *ἥ τ' ἄκρης θῖνα Γλαυκώπιον ἵζει.* Etsi hoc iam ex iis est, quae non persuadeas ei, qui plane nolet credere: nullus enim antiquus auctor ea verba discrte tribuit Callimacho. Alterum, fuisse *Glaucopii* mentionem loco a nobis monstrato, ab eo, quod Episodium fuisse de rebus Thesei ante actis deque itinere Thesei monstravimus, summam probabilitatem habet. Rursus illud ipsum, fuisse tale quoddam Episodium, non solum in universum ex natura carminis epici, sed probabile est, ut quod maxime probabile, propter fragmenta nonnulla, e. g. illud: *ὅς ῥ' ἔφυγεν μὲν Ἀρκαδίην, ἡμῖν δὲ κακὸς παρενάσσατο γείτων*, de Cercyone: quod in Hecale fuisse tam veri similis coniectura est, ut pro vera certaque haberi debeat; si autem in Hecale, fuisse in narratione ante actorum, necessario sequitur ex eo, quod de argumento atque ambitu poematis constat. Sed in eo eram, ut ostenderem, quae excludenda fuerint. Eius generis maxime duo habeo, si non excludenda ac praetereunda silentio, at tamen hic tantum digna mentione inter ea, quae prorsus incerta: unum a Valckenario adhibitum ad Hecalen, a Blomfieldio alterum. Ammonii p. 103. verba sunt: *Ὀλίγον καὶ μικρὸν διαφέρει· τὸ μὲν γὰρ ὀλίγον ἐπ' ἀριθμοῦ, τὸ δὲ μικρὸν ἐπὶ μεγέθους τάσσεται. Ἀριστόνικος ἐν ὑπομνήματι, ἐκάλεσ' ἐπὶ στοιχείου, ὀλίγην νησῖδα Καλυψοῦς. φασὶ δὲ οὕτω, ὀλίγην μακρὰν* (vel *μικρὰν*) *ὑπαλλακτικῶς. τὸ μὲν γοῦν ὀλίγον ἐπ' ἀριθμοῦ, τὸ δὲ μικρὸν ἐπὶ μεγέθους τάσσεται. καὶ Ὅμηρος,* (Od. XX. 259.) *δίφρον ἀεικέλιον παραθεὶς ὀλίγην τε τράπεζαν. τὴν μικράν.* Mirum: inprimis illud bis positum *τὸ μὲν - ὀλίγον ἐπ' ἀριθμοῦ, τὸ δὲ μικρὸν ἐπὶ μεγέθους τάσσεται.* Et manifesto corruptum *ἐκάλεσ' ἐπὶ στοιχείου.* Tentavit Animadv. p. 181. Valckenarius: — *Ἀριστόνικος ἐν ὑπομνήματι Ἑκάλης, ἐπὶ στίχου·*

ὀλίγην νησῖδα Καλυψοῦς·

φησὶν οὕτως, ὀλίγην, μικράν, ὑπαλλακτικῶς. τὸ μὲν etc. Quo statim prior difficultas illa tollitur: nam prius *τὸ μὲν γὰρ — τάσσεται* Ammonius, alterum *τὸ μὲν γοῦν — τάσσεται* excitatus ab Ammonio Aristonicus dicit. Et quum vulgo legatur *φασὶ δὲ οὕτω*, aliquanto propius ad vulgatam accedemus distinguendo ita:

Ἀριστόνικος — ἐπὶ στίχου· ὀλίγην νησῖδα Καλυψοῦς. φησὶ δὲ οὕτω· ὀλίγην etc. Illud tantum dubium, utrum postrema, *καὶ Ὅμηρος — μικράν*, ex disputatione Aristonici, an addita sint ab Ammonio. Pars emendationis primaria — *Ἑκάλης, ἐπὶ στίχου· —* quam incerta sit, quum de Aristonici *ὑπομνήματι Ἑκάλης* nihil aliunde constet, et Valckenarius senserat, qui de sua ipse emendatione ita scribit: *Sed haec mera est et nullo argumento nixa hariolatio;* et acute nuper Lehrsius de Aristarchi studiis Hom. p. 6. collegit quae obstant speciosae coniecturae illi. Et Lehrsio ut unum alterumve opponi haud malo poterit, ita hoc facile omnes concedent, prorsus incertam rem esse Valckenarii. Unum tantum caveri velim, quod ad nostram nunc rem facit: ne quis haec, *ὀλίγην νησῖδα Καλυψοῦς*, quod aliena ab argumento Hecales videantur, plane non debuisse ad Callimachum et Hecalen referri dicat. Nam ut dixi, quis metiatur animo certisque circumscribat finibus, quas poeta res fabulasque obiter commemorare, data opportunitate, potuerit, quas non potuerit? Ac si vehementer urgear, ut locum Hecales, quem obtinere illa potuerint, ostendam, ego in Prooemio poematis fuisse coniecerim, inter alia contra adversarios scriptum, hoc fere modo: *νήϊδες, qui ignorant ὀλίγην νησῖδα Καλυψοῦς.* Coniecturam docte communiendam eo, quod, ut supra p. 197. sq. vidimus obiter, aliunde constat, Callimachum alicubi sententiam dixisse de Gaudo, parva et obscura insula, quam tamen ipse pro *insula Calypsus* habuit. Hoc tantum exempli caussa, et in honorem Valckenarii emendationisque speciosissimae.

Opinionem Valckenarii aliam, de Hecalo cogitantis in Fragmento Callimachi CCXXVI. tractavimus Prolegg. extr.

Non magis certa res est de Fragmento Blomfieldiano CCCCLXXV.

σὺν δ' ἡμῖν ὁ Πελαργὸς ἀμορβεύεσκεν ἀλήτης.

ex Etymol. M. in *Ἀμορμεύω*, Lexico Ms. Mosq. in Matthaei Lectt. Mosquens. V. II. p. 82. et Zonara Tittmanni. Et Callimacho ne tribuatur versus, qui apud grammaticos istos sine nomine fertur, non dissuadeo. Digna Callimacho vocabula *Πελαργός*, ad quod Blomfieldius Fragmentum CCLXXXIII. *Τυρσ. τείχισμα Πελαργικόν*, comparat; *ἀμορβεύεσκεν*, quod supra Cap. II. p. 60. atti-

gimus. Quamquam hoc quidem etiam alii de hac docta prosapia poetae usurparunt, ut Nicander Theriacorum versu eo, quem apponit Etymologus, et alibi. Sed placet in unum colligere testimonia. Igitur ἀμορβοί Callim. h. Dian. 45. Fragm. XLVI*. Nicand. Ther. 49. Cyneget. I. 132. ἀμορβῆες Cyneget. III. 295. ἀμορβάδες Apoll. Rhod. III. 881. (ἀμορβαίους Nicand. Ther. 28. 489.) ἀμορβεύοντο idem Ther. 349. ἀμορβεύουσιν idem Fragm. XXXV. Verum quod alterum scribit Blomfieldius: *Nihil dubium quin ex Callimachi Hecale sit*, nescio utrum recondito aliquo mihique inobservabili argumento an nullo scribat. Et omnino ὁ Πελαργὸς ἀλήτης, ut recte dedisse Blomfieldium pro Etymologi scriptura ἀλοίτης arbitror, quis est? Populum recordamur πλανήτην, vel gentem, Tyrrhenos Pelargos, e scriptoribus iis, quos ad Fragm. CCLXXXIII. indicavi. An ea ipsa gens significatur verbis ὁ Πελαργὸς ἀλήτης, ut sit collectivum, pro plurali? Ut Nonno, qui multum delectatur verbo ἀλήτης, XIII. 287. λαὸς βαλανηφάγος Ἀρκὰς ἀλήτης dicitur, et similiter XLV. 114. Τυρσηνὸς ἀλήτης. Periclitabor aliquid, sed longe incertissimum, et in quo opus erit, ut, cuius rei nullum usquam vestigium exstat, non natam in Attica esse Hecalen, sed immigravisse aliundo coniicias. Ut Hecale dicat, tempus significans adventus sui: σὺν δ' ἡμῖν ὁ Πελαργὸς ἀμορβεύεσκεν ἀλήτης. At magis unus quidam vir videtur esse ὁ Πελαργὸς ἀλήτης. Qualem vix invenias, quocum aliquid Hecalae commune fuerit. Neque Theseus, quod sciam, eo in itinere, de quo agebatur in Hecale, ullum aut laborum socium, aut comitem itineris, qualem alibi Pirithoum, et quales Hercules Iolaum, Telamonem, ipsum Theseum (Plutarch. Thes. 26. coll. 29.), Ἀρκάδας, habuit. Et tamen notum quendam hominem fuisse dixeris, de quo poeta ita simpliciter: ὁ Πελαργὸς ἀλήτης. Obiter moneo frustra futurum esse, si quis ex locis eiusmodi: τοῦτον (Sinin: Schol. Eurip. Hippol. 974.) ἐφόνευσεν ὁ Θησεὺς μόνος, colligat, in aliis facinoribus Theseum adiutum ab aliquo socio fuisse. Additum μόνος augendae admirationis caussa. Similiter Isocrates Encom. Hel. p. 236. *taurum, ὃν πάντες οὐκ ἐτόλμων ὑπομένειν, μόνος χειρωσάμενος* etc.

Inseram obiter meas quasdam subitarias, h. e. natas aliquando, et sepositas quum vix natae fuissent, de locis ad He-

calen referendis mythologicis, historicis, geographicis suspiciones. Nam in illis, quas supra p. 155. sqq. apposui, sententiis, ut dicebam, generalibus aliqua tamen veri similitudo inerat ex eo ipso, quod erant tam generales. In his fere nulla. Non ineptum videbatur aliquando de introitu Thesei in urbem, primo illo, acceptum Fragm. CXLI.

ἐγὼ δ' ἤντησα Λυκείου
καλὸν ἀεὶ λιπόωντα κατὰ δρόμον Ἀπόλλωνος.

Nunc unum teneo hoc, licuisse poetae Theseas illas Athenas etiam iis instruere monumentis institutisque, vel monumentorum institutorumque initiis, quorum incerta aetas nulloque idoneo documento temporibus vindicanda Thesei esset; vel quorum, quae tunc erat, conformatio ad posterius Theseo tempus certo referenda esset. Id quod de Lyceo constat. Fragmentum CCCCXL.

ἄνωγε δὲ πορθμέα νεκρῶν:

quo argumento Blomfieldius ad eum locum pertinere, unde Fragmentum CX. desumptum, coniiciat, non dicit. An hac solum de caussa, quod in utroque mentio Charontis est? Mihi aliud in mentem venit. Sed hoc melius differetur. Rursus in Epimerismis Hom. Anecd. Gr. Cramer. I. p. 264, 26. memorabile est fragmentum Callimachi: — ἄλλοι δὲ [λαός vocabulum] παρὰ τοὺς λάας ὠνομάσθαι·

λαοὶ Δευκαλίωνος ὅσοι γενόμεσθα (Cod. γενόμεθα)·

Καλλίμαχος. qui aut Thessali cuiusdam sermo est (non Hecales, nisi forte alicui, Fragmento CXXIV. in subsidium vocato, Thessalam facere Hecalen, atque inde advectam singulari casu in Atticam, placuerit): aut dictum a nescio quo poetica libertate vel negligentia, cuius quidem cum aliis Nonnus III. 211. VI. 367. coll. VII. 32. particeps est, de cunctis hominibus generatim. Quod deest ad versum, non uno modo supplebitur. fortasse γεγείου. sed praestat aliquid tale: λαοὶ Δευκαλίωνος ὅσοι γενόμεσθα γενέθλης: cf. Coluth. 269. vel Δευκαλίωνος-βολάων. Et apud Theognostum p. 38, 23.

ἵν' Ἀμαζόνες ἄνδρες ἐῶσιν.

vel ἔωσιν: habile fortasse ad locum de beneficentia Hecales, hac lege, ut ἀμαζόνες, *pauperes*, scribatur. Cf. Etymol. M. p. 75, 53.

Gud. p. 41, 3. Steph. Byz. in *Ἀμαζόνες*. omnes e Callimacho, ut puto. Sepono examinata quae reliqua annotaveram. Unum est ap. Choeroboscum B. A. Gr. III. p. 1188. (coll. Goettling. in Theodos. p. 241.) et Herodian. *π. μον. λ.* p. 12, 5. alienum haud dubie ab Hecale, sed de quo doceri me velim, qui sint homines fortasse satis noti, mihi nondum cogniti, Chellon et Comes:

δημεχθέα Χελλῶνα κακόκνημόν τε Κόμητα.

Χέλλωνα Dindorfius ad Herodian. *Χέλλων* quidem aeolicum illud saperet, de quo supra. An sunt nomina ficticia, fortasse adversariorum Callimachi? *Χελλών*, Labeo, ut est piscis nomen; et *Κόμης*, quod et ipsum suam explicationem in se habet. Fortasse ex Ibide. Sed abstineo.

Ut nulla non parte officio hospitis satis faceret Hecale, utque omnis explicaretur parvae domus opportunitas, etiam noctem transegisse Theseum in humili tugurio coniicio. Accedit caussa altera. Quod instabat Theseo iter, quae expeditio, ab Hecale in campum Marathonium, adversus taurum, quum per se non multum temporis posceret, siquidem neque iter longum, et cum tauro congressio ac pugna brevem habere debuisse eventum, sive cum felicem sive infelicem, videtur: tamen antiquitati, et qui ad opiniones fabulosae antiquitatis sese accommodaverunt, poetis aliter visum est. Visum est autem, quo magnam ac difficilem fuisse expeditionem appareret, etiam temporis quadam longitudine opus esse. Quo factum est, ut quasi extenderentur brevia per se spatia loci, et magnum ut videretur iter, quod re vera non magnum fuisset. Id me quidem maxime Molorchi historiae comparatio docuit. In qua si quaeratur, quo tandem opus fuerit intervallo *triginta* dierum, quum tamen Molorchi domicilium proximum fuisse regioni, in qua leo versaretur, omnia suadeant, duplex parata est responsio: una, tempore opus Herculi fuisse, ut leonem investigaret excuteretque e cubili, quod indicat Apollodorus verbo *μαστεύσας*, etsi Theocrito XXV. 216. 223. eam in rem paucae horae sufficiunt; altera, quae latius patet, tempore opus fuisse, et multo tempore, ut res fieret

gravior. Sic Theseum aliquot dies abfuisse, postquam reliquisset Hecalen, occupatum in tauro, ut eum investigaret, idoneamque aggrediendi opportunitatem captaret, Hecalen vero non statim primo die primave nocte, postquam abiisset Theseus, mortuam esse, sed paullatim consumptam cura, moerore, anxietate, et praeter hoc gravem annis, post aliquot dies decessisse statuo. Hinc aptissime nox una concedetur Theseo secure peragenda in domo hospitae. Et Herculis quoque apud Molorchum commoratio in noctem producta fuit, et per noctem, Probo testante, ut est Probi testimonium a me supra explicatum ac suppletum ex Pomponio Sabino. Fragmenta poetae quae huc referam nulla habeo. Suspicabar aliquid de versu, qui est apud Suidam in v. *Κλισία*: — *λέξομαι ἐν μυχάτῳ· κλισίη δέ μοί ἐστιν ἑτοίμη*. Sed praeter exquisitiorem vocis *κλισίη* significationem, non percipiebam ex eo illud Callimacho proprium. Et nunc probabiliter G. Bernhardy versum ad fabulam refert, cuius tres versus apud eundem Suidam v. *Ἑταιρεία*. Cf. Babrii Fabb. ed. Knoch. p. 203. Caeterum admonet locus iste, ubi Theseus cubuisse censendus sit. Scilicet in lecto, quem Hecale paraverat subitarium, in parte casae anteriore; ipsa suo consueto loco cubabat, *ἐν μυχάτῳ*, vel *μυχῷ*. Mos Homericus: Il. IX. 658. sq. et 663.

VII.

Si recte coniecimus etiam in noctem Theseum hospitio Hecales usum esse, splendidum huius septimi capitis, vel partis septimae, initium paratum est. Fragmentum est Callimachi CCVI. hac specie, ut illico cuivis ad longiorem narrationem et carmen pertinere epicum videatur. Nexum fingas huiusmodi, colores mutuans ex locis Homericis. Et illum quidem altus somnus tenuit; non item Hecalen, quam expertem somni, vel mature excitatam ex somno, nunc haec cogitatio, nunc subibat illa:

τόφρα δ' ἀνίσχουσα βλοσυρὸν λόφον ἔγρετο Τιτώ.

Apud Tzetzen in Lycoph. v. 941. quum vulgatum *τόφρα δ' ἀνίσχουσι βοσσὸς λόφον ἔγρετο Τιτώ*, in Codice autem MS. *ἀνίσχουσα Βοσσὸν* legeret, Bentleius hoc edendum proposuit: *τόφρα*

δ' ἀνίσχουσα (ed. Graev. ἀνισχούσῃ) *Βοσσὸν λόφον, ἔγρετο Τιτώ.* sed ille fatens *Βοσσόν* collem se nescire, et quaerens an *μέσσον* legendum sit; et rursus, an *Βοσσὸς λόφος* idem sit qui *Φηγίου πάγος* apud Lycophronem v. 16. Et hoc quidem qui concesserit, quod accipere videtur Bentleius, ut est ibi latine versum: *Interea autem ascendens Bossum clivum experrecta est dies: collem* esse *λόφον*, et *ἀνίσχειν ascendere*, non uno modo tentare *βοσσόν* poterit. Nam de ortu Aurorae qui scribunt, diversas rationes sequuntur, unam mythicam, alteram poeticam. Mythica est, quam proponit Lycophro: Cernen quandam esse, cubiculum Tithoni, unde assurgens Eos primum in *Φήγιον* collem conscendat. Hinc Cernen, ut alios taceam, Nonnus habet locis a Graefio Praef. Vol. II. p. XII. indicatis. Quibus addiderim XXII. 136. 7. *'Αλλ' ὅτε χιονόπεζα, χαραξαμένη ζόφον, 'Ηὼς — δροσερῇ πορφύρετο πέτρῃ.* Etsi enim alii in eo consistunt, ut montes collustrari ab oriente Aurora, sive Lucifero, sive sole dicant, nullo addito montium nomine, quemadmodum Quintus II. 1. 183. IX. 529. loquitur: tamen Nonni illud ita scriptum est, ut certam quandam *πέτρην* significari putes: fortasse illum ipsum *Φήγιον πάγον*. Contra quum *de Ida nasci* (Serv. in Virg. Ecl. VIII. 30. Aen. II. 801.) Luciferum dicunt, vel Auroram, ut Nonnus III. 55. sq. facit, id haud dubie ad communem rationem poeticam revocandum est. Saepe poetae suo iure eos primum in montes ascendere Auroram, atque hos collustrare recenti lumine scribunt, qui sunt in vicinia regionis eius, in qua res agitur poetae. Ut, si quis exempla desideret in re satis per se clara, Pelion nominat Apollonius I. 520. Caucasum idem III. 1224. cf. II. 164. Nonnus Evang. Io. VI. 22. *'Αλλ' ὅτε πορφύρων Τιβερήτιδα γείτονα πέτρην ἀκροφανὴς ἐχάραξε λιπόσκιον ὄρθρος ὁμίχλην.* cf. ibid. II. 1. Itaque ad eum modum licebat Callimacho ponere nomen montis, quem ascendisset *Τιτώ*, Attici cuiusdam. At neque montis nomen Attici aut vicini quisquam exsculpserit ex corrupto *βοσσόν*; neque *ἀνίσχειν ascendere* significat. Aliud est enim, quum intransitivum est, quod saepe fit, *ἀνίσχειν, ἀνέσχε.* Quare recte Ruhnkenius in verbo *ἀνίσχειν* non *ascendendi*, sed *in altum tollendi*, *efferendi* significationem esse sensit, et in corrupta voce *βοσσόν* epitheton latere ad *λόφον*

referendum, quod *nitidum, radians, splendens*, significet. Confert Ovidium Metam. VII. 663. *iubar aureus extulerat Sol.* et eandem rem Callimachum Fr. CCLVII. venuste sic expressisse: *φιαρὴ τῆμος ἀνέσχεν ἕως.* Inscr. Memnon. L. quam ego inscriptionem dum recordor, simul memoriam praeclarae demonstrationis multa cum voluptate revoco: igitur Inscr. Memnon. L. in illo Letronnii opere, ex probabili viri eruditissimi p. 224. restitutione: *εὖτ' ἂν* (ex *ΑΥΤΑΝ*) *δ' ἠέλιος φαέθων ἀκτῖνας ἀνίσχῃ.* Quod Ruhnkenius quaerebat epitheton, invenit Toupius, vix ut dubites, quin ipsam poetae manum assequutus sit: *βλοσυρόν*, Emendd. in Suid. P. III. Vol. II. p. 253. 4. (T. I. p. 481. Lips.) Idem quod coniectat Emendd. Hesych. P. III. Vol. IV. p. 141. *ἀνισχοίσῃ τε βοὸς λόφον*, coniectatum esse ante editas Emendationes Suidae tenendum est. *aureum iubar* esse *βλοσυρὸν λόφον* credimus cum Toupio, etsi non multum ad rem facit *βλοσυρώτατον ὄμμα* leaenae apud Callimachum, et *βλοσυρόν* idem significare quod *λαμπρόν*, paucorum grammaticorum magis coniectura esse quam certa doctrina videtur: Etymol. M. p. 201, 7. Schol. Apollon. Rh. II. 740. At recentiores poetas reperio; Manethonem et Nonnum, confirmare eum usum. Manethonem II. 6. ubi *αἴγλῃσι φαεινόμενοι βλοσυρῇσιν ἀστέρες* opponuntur iis, qui *σελάεσσιν ἀφαυροῖς.* Ambigua sunt apud eundem VI. 129. *βλοσυρὴ Κυθήρη*, et ibid. 202. *Μήνη βλοσυρῶπις.* et non ambiguum III. 14. *βλοσυρῷ Λέοντι*, qui haud dubie *truculentus* leo est: cf. V. 196. Deinde Nonnus quum saepissime et de multis rebus usurpet *βλοσυρόν*, semel ita usurpavit, ut manifesto *λαμπρόν*, *splendidum*, sive malis, quod fortius, *igneum* significet, utque is locus sive imitationem sive recordationem loci Callimachei haud obscure prodat. Ut enim Callimachus *βλοσυρὸν λόφον Τιτώ*, ita Nonnus *βλοσυρῆς Ἠοῦς* dixit II, 531. *καὶ δύσιν εἰσορόων βλοσυρῆς ἀντώπιον Ἠοῦς.* Alter locus est, quem fateor me non satis intelligere, XXVII. 148. *καὶ πισύρων ἀνέμων φλογερῆς ἀντώπιον Ἠοῦς, τέτραχα τεμνομένην στρατιὴν ἐστήσατο Βάκχων.* Verum hoc satis apparet, gemina esse, seque illustrare invicem, *βλοσυρῆς ἀντώπιον Ἠοῦς* et *φλογερῆς ἀντώπιον Ἠοῦς.* Vocabulo *ἀντώπιον* saepe, ut solet sua repetere, utitur Nonnus, ut his exemplis, quae prope accedunt ad illa: II.

500. V. 78. XXII. 150. XXIII. 256. (XXVI. 209. XXVII. 18.) XXXIII. 184. (XLII. 422.) Hemistichium hoc, *καὶ πισύρων ἀνέμων*, est etiam II. 273. et 524. Sunt et alii loci, in quibus *βλοσυρόν* coniicias *splendidum* esse: quum *currus* dicitur *βλοσυρός*, Cereris VI. 113. Bacchi XLII. 19. At plerumque ad notionem eam, quae manifesto subest apud Homerum Hesiodumque, *truculenti* revocandus est vocabuli huius usus. Ut quum *βλοσυροὺς* Nonnus dicit leones, pantheras, Titanes, Cyclopes; *βλοσυρῆς Ῥείης* I. 20. *Σφιγγὸς βλοσυροῖο* XVIII. 244. de Gorgone XXIV. 37. *βλοσυρὴ θεός* Minerva XXX. 254. *βλοσυρὴ Πανόπεια* XLIII. 264. et per translationem res alias non animatas: *σπινθῆρας* (XXXII. 123.), manus, ungues, *γένυας*, pedes, cornu, comas, aures, voces. Eodem fortasse sensu Ioannes Gaz. v. 641. (II. 283.) *βλοσυρὸν Φθινοπωρίδος ὄμμα*. Et Callimacho h. in Cer. 53. *βλοσυρώτατον ὄμμα* leacnae haud dubie est, ut ibi vertitur, *truculentum*. Atque sic adducor fere, ut ne illis quidem in locis, Manethonis, Nonni ipsiusque Callimachi, *splendoris* notionem, sed magis *vehementiae*, eiusque quod graviter percellit sensus, maxime oculos, tenendam putem. Illud *ἀνίσχουσα λόφον* Toupius collato Callimachi Fr. CCCCXXXVIII. de quo ego supra p. 178. sq. et Theocrito XVIII. 57. illustrat. Magis memorabilis fuerit productio *ἀνίσχουσα βλ.* paullo durior illa in longiore vocabulo, si bene novi artem Callimachi. Exempla habeo, huius quidem quae in vocabulo longiore, pauca, sed idonea: h. in Iov. 16. Apoll. 51. (82.) Cer. 31. et *θῖνα Γλαυκώπιον*. Post dactylum, quae aliquanto iucundior ad meum sensum: h. Del. 233. Cer. 101. Fr. CXXXI. 4. et CLXVI. Et tuetur quodammodo nostrum *ἀνίσχουσα*, quem novum testem adhibendum ad hoc Fragmentum coniicio, Suidas: *Ἀνίσχων. ἀνατέλλων. καὶ Ἀνίσχουσα, ἀναδύουσα*, vel *ἀναδύνουσα.* putaverim, ex hoc ipso loco Callimachi. Sed tamen ut dubitem faciunt Lexicon Seg. in Anecd. Bekk. I. p. 405. quod eas glossas sic conceptas exhibet: *Ἀνίσχουσαι· ἀναδύουσαι. Ἀ ίσχων· ἀνατέλλων.* et Hesychius, qui sic: *Ἀνίσχει· ἀνατέλλει. Ἀνίσχουσαν· ἀναδύουσαν, ἀνατέλλουσαν. Ἀνίσχων· ἀνατέλλων.* Qui retinuit istud vulgatum apud Tzetzen *ἀνίσχουσι*, Boissonadius, quum nihil incogitate facere soleat, fortasse aliquid cogitabat huiusmodi: *interea ascendentibus Bossum collem orta est*

dies. ad similitudinem Homeri: *καί νύ κ' ὀδυρομένοισι φάνη ῥοδοδάκτυλος Ἠώς*, et — — *ἔδυ φάος Ἠελίοιο*. Nonni XX. 23. *Τοῖσι δὲ τερπομένοισιν ἀνέδραμεν Ἕσπερος ἀστήρ, φέγγος ἀναστείλας χοροτερπέος Ἠριγενείης*. cf. XXV. 567. XXIX. 323. Non inepte. Sed insolenter dictum *ἀνίσχουσιν* **ascendentibus**. Et omnino praestat alterum. *Τιτώ* totum Callimacheum: ut qui eam vocem laudant grammatici, Etymologi, qui quidem *ὑποκοριστικόν* esse tradunt a *Τιτανίς*, Suidas, Hesychius in *Τί τῷ*, et cui prorsus conveniebat cum Etymologis, Choeroboscus Crameri in Anecd. Gr. II. p. 263, 30. (cf. ibid. p. 454, 29.), omnes e Callimacho laudare censendi sint. Unus habet practer Callimachum, sed a Callimacho haud dubie, Lycophro v. 941. *οὔπω τὸ Τιτοῦς λαμπρὸν αὐγάζων φάος*: ubi *λαμπρόν* respondere Callimacheo *βλοσυρόν* videtur. *ἔγρετο δ' Ἠώς* frequentatum Quinto IV. 75. VII. 1. IX. 1. 67.

Callimacho Ruhnkenius Epp. Tittm. p. 21. tribuit, nos autem non male in Theseum convenire, qui parat abitum, animadvertimus hoc, quod apud Suidam in v. *Πασσαγίην* sine nomine:

εἶλε δὲ πασσαγίην, τόδε δ' ἔννεπε.

Fragm. Blomf. CCCCLXXXVI.

Theseo, quum iam abiturus esset, sollemniter et multa cum anxietate vale dixisse Hecalen credibile est. Hic aptum locum inveniet Fragmentum Callim. CXLIV. quod totum apponam, una cum verbis Suidae, quibus opus est, ut percipiatur sententia. Suidas: *Μή. τὸ ἀπαγορευτικόν. ἀντὶ τοῦ Οὐ κεῖται παρὰ Καλλιμάχῳ.*

ἠρνεόμην θανάτοιο πάλαι καλέοντος ἀκοῦσαι,
μὴ μεταδήν.

τουτέστιν, οὐκ ἀπέθανον πρὸ τούτου, ἵνα οὐ μεταδὴν καὶ ἐπὶ σοὶ θρηνήσω ἀποθανόντος (vel *ἀποθανόντι* e coni. Bentleii, et Porti). *καὶ παρὰ Ἀριστοφάνει τὸ μὴ ἀντὶ τοῦ οὐ τάττεται.* Memorabilis licentia, qua Suidas verba poetae partim ipsa ponit, partim soluta atque circumscripta. Similis illa licentiae Olympiodori, quam Cap. I. in Fragm. LII*. observavimus. Quibus hic verbis Callimachus sententiam concluserit, dubium est; de sententia non videtur dubitari posse, quum perspicuam habeamus Suidae interpretationem. Senex quidam, vel potius, quae nostra

coniectura, anus illa fatum seque ipsam acerbe accusat, quod non prius mortua fuerit: *distuli mori, mortem pridem vocantem audire recusavi, ut non multo post tuam mortem lugerem.* Mirum vero, ἀντὶ τῆς οὐ ἀποφάσεως poni μή, nota est Etymologorum doctrina in exemplis huiusmodi: Homer. Il. XV. 41. IX. 698. At in exemplo Callimachi, ut verba ipse interpretatur Suidas, μή non pro οὐ, sed pro ἵνα οὐ erit: μὴ μετὰ δήν, *ut non multo post.* Inauditum, ni fallor. Haereo, quid scripsisse Callimachum coniiciam. Illud vix dubium, quin μετὰ δήν scripserit, ut nunc est ἐπὶ δήν apud Apollonium I. 516. IV. 740. Nonnum XXIII. 11. alios, et ἐπὶ δηρόν, μετὰ δηρόν, μετὰ δηθά, apud Apollonium, alios. Ad dictionem ἠρνεόμην — καλέοντος ἀκοῦσαι, similia ex Apollinare proposui Cap. II. p. 59. Gaisfordius hoc Fragm. CXLIV. videtur inter elegos referre velle. Fragmento CXLIV. non male praeponetur Fragm. CCCXXIII.

ἃ πάντως ἵνα γῆρας —,

si recte percipio sententiam. In scriptura non haesito, postquam accurate excussa sunt Scholia in Platonem: a Ruhnkenio Schol. in Plat. p. 134. a Bekkero Commentar. crit. in Plat. T. II: p. 393. Maledicit senectae. Nempe ὄλοιτο subiectum fuisse extremo versu, et ἵνα ea vi usurpatum a Callimacho existimo, quam alibi ὡς habet, ut apud ipsum Callimachum in Coma Berenices: [Ζεῦ πάτερ,] ὡς Χαλύβων πᾶν ἀπόλοιτο γένος, vel, quod Valckenario placebat, [ὦ Ζεῦ,] πᾶν Χαλύβων ὡς ἀπόλοιτο γένος. Idem Fragmentum CCCXXIII. volunt, qui alii ᾶ τὸ περισπασθὲν e *Callimacho* laudant: ut patebit conferenti illos cum Hesychio et Scholiasta Platonico. Sunt autem hi: Photius Lex. Ἆ τὸ ἄλφα περισπασθὲν δηλοῖ τὸ εἴθε· οὕτως γὰρ Καλλίμαχος κέχρηται. Cyrillus: Τὸ ᾶ περισπασθὲν δηλοῖ εἴθε· ὥσπερ παρὰ Καλλιμάχῳ. et fortasse alii. Ruhnkenii Epistt. Tittmann. p. 17. coniectura, qui hoc quod tum ipsi videbatur corruptissimum, ἃ πάντως ἵνα γῆρας, reficiendum ex Plutarchi Sympos. III. 6. p. 654. D. coniiciebat, ut in hymno (Callimachi, ut putat) fuerit: Ἆ βάλε ἄνω τὸ γῆρας, ὦ καλὰ Ἀφροδίτα, *Ah! differ senectutem*: ab ipso, puto, Ruhnkenio mature seposita fuit. Magis probabile, et magis etiam aptum ad metrum, quod idem ibidem: ἀβάλ' *(utinam)* ἄνω τὸ γῆρας, ὦ καλὰ Ἀφροδίτα. Verum ei hymno

nihil commune cum Callimacho. Deinde potuit Hecale, si quid nobis ludere licet, qua venia utimur, ut nobis videtur, non immodice, potuit hac opportunitate illud dicere, quod est apud Suidam v. *Μαλκίστατον* sine nomine poetae:

τόδε μοι μαλκίστατον ἦμαρ.

haec mihi crudelissima, mortifera dies, qua tibi vale dico, vel, quum audiero aliquid tibi accidisse. Etsi in hoc non solum de eo dubitatio est, an Callimachi fragmentum sit, sed etiam an sit ex Hecale, et si sit ex Hecale, an sit ex hac parte carminis. Talia enim etiam ad praecedentia Thesei et Hecales colloquia, vel ad lamentationem Hecales post abitum Thesei apta sunt. Caeterum recte Toupius diversa ab hoc fragmento, *τόδε μοι μαλκίστατον ἦμαρ*, illa esse statuit, quae apud Suidam in v. *Ἀλγίστατον* leguntur.

Vota pro reditu Thesei, unde postea Iovis cognomen *Ἑκαλείου*, et nova religio, utrum praesente Theseo Hecale, an post abitum eius nuncupaverit, incertum est. Praesente Theseo factum esse ex eo colligas, quod *βαδίζοντος* est apud Plutarchum: *ἐπεὶ δὲ ηὔξατο ὑπὲρ αὐτοῦ τῷ Διῒ βαδίζοντος ἐπὶ τὴν μάχην, εἰσῶς παραγένοιτο, θύσειν* etc. Et tum quidem similis quodammodo locus Homerico fuit, ubi Hecubae iussu Iovi libat proficiscens in castra Graecorum Priamus, Il. XXIV. 283. sqq. Conferatur Molorchi fabula.

Post abitum Thesei, illud quod Statius ait:

nec fudit canos anus hospita fletus.

Theb. XII. 582. Ad quem locum mire C. Barthius: *Fletus dicit, puto, decrepitae anus erga adolescentem blanditias, non fieri siccis oculis consuetas, de qua re vide Plutarchum.* Immo *fletus* proprie. Quod sospes victorque ex Marathone redierit Theseus, id Evadne *fletibus* metuentis Theseo, et vota facientis pro Theseo Hecales tribuit. Igitur fletus, preces, alternis sibi succedentes metus et spes, omina. Inprimis omina. Quae duo oblata esse Hecalae video, unum a noctua, alterum a *λύχνῳ*. Fragm. XLIII*. e Suida, et Zonara p. 97.

αἴθ' ὄφελες θανέειν, ἢ ὕστατον ὀρχήσασθαι.

Quod ita interpretor: noctua quum male ominatum gemitum edidisset, exsecratur eam semper metuens Theseo suo Hecale ver-

bis his: *utinam morereris, aut postremum saltares.* Suidas: *ἐπειδὴ τὴν γλαῦκα ὅταν λάβωσιν τὰ παιδία, περιάγουσιν· ἡ δὲ μὴ βλέπουσα δι' ἡμέρας, ὥσπερ ὀρχεῖται. ἢ ὅταν πληγῇ τελευτῶσα στρέφεται, ὥσπερ ὀρχουμένη.* Sive hanc sive illam explicationem amplectaris, semper aliquid tautologiae cernetur in versu Callimachi. Est enim fere idem, *θανεῖν* et *ὕστατον ὀρχήσασθαι.* Quod tamen non displicet. Solet in imprecando ira cumulare imprecationes varias, sed eodem redeuntes. Apud Suidam, itemque Zonaram, ita habetur: *θανεῖν* (Zonar. *θανέειν*) *ἢ πανύστατον ὁ.* Correctum a Bentleio. De *ἤ* particula, quando hiatum faciat in hac versus sede, quando corripiatur, minuta quaestio est, res in universum nota omnibus, observata obiter a multis, sed quam semel totam una disputatione complecti et ad finem perducere operae pretium fuerit. Et apte id ibi fiet, ubi Callimachi res agitur, hoc est eius poetae, cuius *artem* quum celebrent omnes, eam artem etiam in minutis rebus examinari atque explorari par est. Quod simul dictum esto de aliis digressionibus eiusmodi, quas alibi, venia usus exspatiandi, quam dare hoc genus libri videbatur, inserui. Et Homero quidem hiatus iste admodum familiaris est, ut *ἢ νῦν δηθύνοντ', ἢ ὕστερον αὖτις ἰόντα*, et *ἢ ὁδὸν ἐλθέμεναι, ἢ ἀνδράσιν ἶφι μάχεσθαι.* Et in his, ubi is hiatus cum praecedente ante *ἤ* vocali alia, aliquid confert ad observatam veteribus suavitatem et *ὑγρότητα*, Il. XXII. 135. 152. Ubi variant libri, ut eligas, hiatumne malis an correptionem, ego hiatum praefero: Il. XXIII. 382. *καί νύ κεν ἢ παρέλασσ', ἢ ἀμφήριστον ἔθηκεν.* qui magis masculi videntur esse numeri, quam *καί νύ κεν ἢ παρέλασσεν, ἢ ἀ. ἔ.* Omnino tantus est exemplorum huiusmodi numerus, ut magis attineat ea observare, in quibus non hiatus est, sed correptio: quae sunt Il. X. 451. XXI. 113. 576. Od. III. 94. IV. 324. 714. IX. 497. XI. 58. XVII. 252. 472. XXIV. 430. et in hymnis Merc. 519. Bacch. 19. 29. At ne haec quidem omnia prorsus certa exempla sunt. Nam in his, Il. X. 451. *ἠὲ διοπτεύσων, ἢ ἐναντίβιον πολεμίξων*, et Od. XI. 58. *ἔφθης πεζὸς ἐών, ἢ ἐγὼ σὺν νηῒ μελαίνῃ*, non inepte dubites, utrum vera sit correptio, an magis synizesis, ut in illo *δὴ ἔπειτα*: cf. *ἢ ἐγώ* Il. XXIII. 724. et *ἢ ἔπειτα* Hesiod. Opp. 173. Est ubi quaeras, an forte resti-

tuendus ille tam usitatus hiatus sit: ut in hoc versu, ὀφθαλμοῖσι τεοῖσιν, ἢ ἄλλου μῦθον ἀκούσας Od. III. 94. IV. 324. quum exstet varia scriptura ὀφθαλμοῖς τεοῖσι, non absurde aliquis coniecerit hunc certe librarium voluisse ὀφθαλμοῖσι τεοῖς, ἢ ἄλλου μ. ἀ. Cum hiatu in pede quarto: Od. VIII. 491. ὥστε που ἢ αὐτὸς παρεὼν, ἢ ἄλλου ἀκούσας. et cum hiatu in tertio et in quarto pede: Od. X. 574. ὀφθαλμοῖσιν ἴδοιτ', ἢ ἔνθ' ἢ ἔνθα κιόντα. Non appono omnia, sed ea tantum, ex quibus aliquid discas. Veluti horum locorum, qui sunt Od. X. 574. et Il. Il. 397. recordatione factum putem, quod Apollonius III. 771. hiatum in pede quarto admisit haud cunctanter: δειλὴ ἐγὼ, νῦν ἔνθα κακῶν ἢ ἔνθα γένωμαι. Facit etiam hiatum ἢ particula in pede secundo, e. g. Il. XV. 82. ἔνθ' εἴην, ἢ ἔνθα. Sic usitatus hiatus ἢ particulae, tum in tertio pede tum in quarto, ante vocabula ἄγριος, ἀγρότερος, ἄγραυλος: Il. III. 24. Hes. Scut. H. 407. Apoll. Rhod. II. 696. Dionys. P. 672. Orph. Arg. 645. (640.) Quint. Smyrn. VI. 396. Quamquam non ita haec disputo, acsi putem semper poetam recentiorem, antequam hiatum admitteret, aliud eiusdem hiatus eadem conditione admissi exemplum antiquius circumspexisse. Sed ut consistam in pede tertio, in universum poetae recentiores correptione uti quam hiatu maluerunt. Hesiodus quidem hiatu, Theog. 6. Scut. H. 407. Et hiatu Eumelus apud Ruhnken. Epist. crit. II. p. 222. Correptione Antimachus Fragm. XXI. (in tertio quidem pede, nam in secundo hiatus est) et Euphorio Fr. LIV. Correptione Aratus saepius quam hiatu. Et sic fere reliqui, Apollonius, Nicander, Oppianus, Orpheus Argonauticorum scriptor, Maximus: etsi difficile est ex tam paucis locis efficere, quid cuique poetae magis, quid minus placuerit. Dionysio Periegetae hiatum placuisse Homericum dixeris, ex v. 445. 672. et 937. in quo versu si mutanda est vulgata olim scriptura, certe non propter hiatum mutanda est. Placuit item hiatus Numenio, si certum sit iudicium ex versibus eius, qui sunt apud Athenaeum VII. p. 304. D. et 322. B. F. p. 306. C. p. 313. E. Contra Maximo v. 532. et maxime Manethoni III. 374. quod unicum hiatus eius apud Manethonem exemplum est, non dubium quin restituenda correptio sit: Maximo συμφορέωνται (e script. vulg. συμφορέοιντ'), et

Manethoni ἐξανύονται. Et apud Quintum hiatus illo tantum loco, quem dixi, ante voc. ἄγριος, et X. 68. 69. ex emend. Hermanni Orph. p. 715. correptio, si recte numeravi, septies. Nonnus, quod sponte quisque coniiciat, semper cum correptione, et quidem constanter ita, ut ἤ ultimam dactyli syllabam faciat, ut ἢ Θέτιν, ἢ Γαλάτειαν, ἢ εὐνέτιν Ἐννοσιγαίου, ἢ Χάριν, ἢ Κυθέρειαν, ἢ Ἄρτεμιν, ἢ γάμον Ἥβης, Φοίβου κῶμον ἄγοντος, ἢ ὑμετέροιο νομῆος. Theocritus nunc cum hiatu, XV. 129. XXV. 170. nunc cum correptione, XVIII. 30. XXII. 11. Et sic Callimachus: cum hiatu in Lavacro Pall. 61. altero modo in hymno Cer. 87. ita: ἢ ἔπεσ' ἐξ ἵππων, ἢ ἐν Ὄθρυϊ ποίμνι' ἀμιθρεῖ. Denique memorabilis est corripiens in eadem versus sede priorem syllabam suam ἠέ particula. De Nicandri versu Fragm. XVII. ex Athen. III. p. 82. A. αὐτίχ' ὅγ' ἢ Σιδόεντος ἠὲ Πλειστου ἀπὸ κήπων, fuit quum dubitabam, tentabamque haud male: αὐτίκα δ' ἢ Σιδόεντος ἢ ἐκ Πλειστου ὅγε κήπων: nunc tutam arbitror vulgatam comparatione Numenii Athen. VII. p. 295. B. et 328. A. Maximi v. 127. Tantum de ἤ particula eiusque usu metrico. Eo quidem, quem dixi: de hiatu eiusdem particulae in arsi, qui non est versus hiatus, novi Iacobsio observata Anthol. Palat. T. III. p. XXIII. Illud quidem, αἴθ' ὄφελες θανέειν, totum Homericum est. ὡς ὄφελον θανέειν Od. V. 308. XIV. 274. αἴθ' ὄφελες — ἦσθαι Il. I. 415. Novit tamen etiam alterum modum Callimachus, Epigr. XVIII. 1. ὤφελε μηδ' ἐγένοντο θοαὶ νέες. cui simile Fragm. CCCCLV. ἀβάλε μηδ' ἀβόλησαν. Sed illud quod dixi Homericum admonet, ut erutum a me dudum ex Heynii in Il. XXIV. 254. observatione versum Callimachi monstrem, qui nunc etiam apud Bekkerum exstat:

μὴ ὠφέλετ' ἀλλήλοισιν ἐπὶ πλέον ὄμματα δῦναι.

sic, μὴ ὠφέλετ', haud dubie, non μὴ ὀφέλετ'. ut est ὠφέλετ' in loco Homerico: αἴθ' ἅμα πάντες Ἕκτορος ὠφέλετ' ἀντὶ θοῇς ἐπὶ νηυσὶ πεφάσθαι. Synizesis, cuius si nullum aliud exemplum apud Callimachum (nam in h. Dian. 4. et in Fragm. CXIII. non ἀρχόμενοι ὡς cum synizesi, sed ἄρχμενοι legendum est), certo hoc est, μὴ οὐκ, in Lav. P. 52. Unde autem versus? An ex argumento amatorio? Comparabam Paullum Silentiarium Ep. VII. (Anth. Pal. I. p. 161.) 4. ἱέμενοι δὲ - ἀλλήλων δύμεναι ἐς κρα-

δίην. ἐπὶ πλέον usitatum his poetis, Arato, Manethoni III. 169. etiam Quinto IX. 16. 524. et cum genitivo, ἐπὶ πλέον λύσσας et sim. Theocrit. I. 20. III. 47. Oppian. H. IV. 147.

Haec scripseram, quum delatus in meas manus Suidas Gaisfordii ea docuit, per quae supervacanea atque inutilis, certe ad hunc Callimachi locum, videri debet illa ἤ particulae inquisitio. Codex apud Gaisfordium unus C. sed fidei minime suspectae, non πανύστατον, sed πανύχιον habet, unde haud dubie scribendum:

αἴθ' ὄφελες θανέειν, ἢ π ά ν ν υ χ ο ν ὀρχήσασθαι.

quo, ni fallor, melius quam e coniectura Bentleiana vulgati origo vitii, πανύστατον, declaratur, et simul tollitur, quae supra nobis excusanda fuit tautologia. Sic enim noctuae non bis mortem, sed aut *mortem* aut *longum cruciatum* imprecatur Hecale. Qua in re neminem hoc male habebit, quod ista non voluntaria noctuae saltatio, tum re suadente tum Suidae testimonio, magis in diem quam in noctem cadit. Nocturnam saltationem imprecatur Hecale, quoniam noctu, vel sub noctem, infaustum gemitum ediderat noctua. πάννυχον, sic adverbialiter positum, dignum hoc poeta, quia rarum. Certe Stephanus in Thesauro v. πάννυχον nullum certum exemplum habet; in cognata voce ἐννύχιον duo tantum exempla, unum Marci Evangelistae, alterum Parrhasii pictoris in epigrammate apud Athenaeum XII. p. 544. A. Anth. Pal. II. p. 779. nisi ibi ἐννύχιον nominis, quod vocant, substantivi loco sit, ad modum vocis Homericae ἐνύπνιον. πάννυχον ex Paullo Silent. Ep. XIII. (Anth. Pal. I. p. 172.) Schaeferus adscripserat: ego ἐννύχιον ex Nonni Evang. Io. XXI. 3. Vitium scripturae πανύστατον quod Zonarae commune cum vulgatis Suidae libris sit, non miramur post illud Cap. V. ad Call. Fr. CCLXXXIX. observatum.

De inauspicatis avibus nocturnis: interpretes Virgilii, etiam F. Ursinus, ad Aen. IV. 462. XII. 862. sq. Ovidius Metam. XV. 791. Ibidis v. 225. Statius Theb. III. 511. Quintus Smyrn. XII. 513. De bubone maxime Plinius X. 12. extr. Bulengerus (in Graevii Thes. Antiq. Rom. Vol. V.) De Auguriis et Auspiciis Lib. II. ubi de bubone Cap. 6. Cf. Iacobsius in Anthologiam Comment. Vol. II. P. III. p. 42. et unus alterque eorum, quos

Reiffius laudat ad Artemid. III. 65. T. II. p. 435. Menander p. 192. ed. Meinck. inter alia omina: ἂν γλαῦξ ἀνακράγῃ, δεδοίκαμεν. Quod autem Hecale ita: αἴθ' ὄφελες θανέειν, ἢ πάννυχον ὀρχήσασθαι, fortasse non exsecratio simpliciter, sed dictum est ominis avertendi caussa. Casaubonus ad Theophrast. π. δεισιδαιμονίας p. 291. *Putarunt illi* [veteres] *cum aliquod triste signum apparuisset, posse id facile eludi, et quod ostendebatur periculum effugi, si vel verbis, vel aliquo facto iudicarent se omen non accipere, sed abominari. Verbis quidem, cum dicerent, Εἰς κεφαλήν σοι, In caput tuum: omen nempe redeat.* et quae seq. ubi etiam de eo, quod aves eiusmodi, ubi capere contigisset, foribus affigere, ut nunc fit, solebant. Quo de more cf. quos Elmenhorstius ad Appulei. III. p. 185. (p. 218. Oudend.) laudat.

Sed ad illustrandum Callimachum, et ad commendandam de ominibus apud Callimachum coniecturam meam, nescio an nihil sit Propertii loco IV. 3, 59. aptius: *Sive in finitimo gemuit stans noctua tigno, Seu voluit tangi parca lucerna mero.* Vides omina duo, *noctuam* et *lucernam*. Quae eadem apud Callimachum: de noctua in Fragmento quod pertractavimus; de λύχνῳ in Fragm. XLVII*. Ac similis apud utrumque poetam conditio eius, cui offeruntur omina: apud Propertium Arethusae, quae metuit absenti Lycotae suo; apud Callimachum Hecales, quae Theseo. Fragmentum XLVII*. quod quidem non spoponderim recte hoc numero designari: nam fortasse alteri de noctua praeponendum est: ita se habet:

ὁππότε λύχνου
δαιομένου πυρόεντες ἄδην ἐγένοντο μύκητες.

Testibus a Bentleio excitatis addantur MS. Barocc. 159. ap. Gaisford. ad Archilochi Fr. XCII. Poet. Min. Vol. I. p. 319. Choeroboscus Bekkeri Anecd. Gr. Vol. III. p. 1399. tum Cod. Barocc. 76. in Museo Philolog. Cantabrig. No. V. Febr. 1833. p. 423. qui quidem laudato apud Bentleium Grammatico inedito Oxoniensi ita similis, ut eundem grammaticum codicemque esse dicas. Et caetera quidem recte exhibuerat Bentleius. Unum reliquum erat, pro ὥς ποτε ut restitueretur ὁππότε e Choerobosco. Ex eo, quod apud Scholiasten Arati, εὖτ' ἂν λύχνου δαιομένου, Valckenarius εὖθ', ἅμα λύχνῳ δαιομένῳ faciebat, eamque in rem

Theocritum XXIV. 51. afferebat: Epistt. Tittm. p. 49. Sed declarandum est, quomodo ego accipienda esse verba Callimachi putem. De testibus enim, qui ea laudant, duo, Scholiastes Arati ad v. 976. (244.) *ἢ λύχνοιο μύκητες ἀγείρωνται περὶ μύξαν νύκτα κατὰ σκοτίην*: et Scholiastes Aristophanis ad Vesp. 262. *ἔπεισι γοῦν τοῖσιν λύχνοις οὑτοιὶ μύκητες· φιλεῖ δ', ὅταν τοῦτ' ᾖ, ποιεῖν ὑετὸν μάλιστα*: ita laudant, ut comprobare velle testimonio Callimachi videantur hoc ab Arato traditum, et ab Aristophane, *μύκητας* illos *pluviam* portendere. Quod ad nostram nunc rem minus faceret. Scilicet prodigiorum, quae ex lucerna capiebant veteres, duo fuerunt genera. Primum, quod naturale dixeris, quo *μύκητες*, *fungi*, imbrem sive tempestatem portendere putabantur. De quo praeter Aristophanis et Arati locos illos, laudati P. Victorio Var. L. XXXIII. 21. Elmenhorstio ad Appulei. Emendd. p. 156. et Sept. Florenti Christiano ad Aristophanem, Theophrastus binis locis, Plinius, Virgilius Georg. I. 390. sq. Appuleius II. p. 119. (p. 116. 7. Oudend.) Festus Avienus, denique Agathias. Cf. si placet, Geopon. I. 3, 9. Agathias XVII. (Anth. Palat. I. p. 164.) ita: *Μήποτε λύχνε μύκητα φέροις, μηδ' ὄμβρον ἐγείροις, μὴ τὸν ἐμὸν παύσῃς νυμφίον ἐρχόμενον*. Arati etiam huc pertinent versus 1034. et 1039. Et 999. *φλόγες ἡσύχιαι λύχνων καὶ νυκτερίη γλαὺξ ἥσυχον ἀείδουσα μαραινομένου χειμῶνος — σῆμα*. Iam Callimachum ita acceperis, ex fungis Hecalen metum concepisse pluviae, molestae futurae Theseo in itinere. Verum iuxta doctrinam naturalem fuit superstitio, a Plinio H. N. XXX. 2. significata breviter, qua veteres ex lucerna recte observata intelligi, quae alia laeta aut tristia, maxime in amore, instarent homini, opinabantur. Atque eo referri Callimachum malim. Qui naturae perito nihil nisi pluviam significabant, *μύκητες*, explicandi illi ex humidi gravitate aeris, eos Hecales superstitio, semper de Theseo cogitantis, suam in rem interpretata est. Ut iam hoc tantum restet dubium, utrum *μύκητες* illi faustum Hecalae omen fuerint, an infaustum. Et narrationis quidem ordo, qualem excogites probabiliter, utramque rationem admittit. Licebat ita: laetata est Hecale, quoties frequentes in lucerna fungi apparuerunt, faustum omen; eadem pertimuit, quum noctua etc. Et licebat modo altero:

pertimuit Hecale, quoties apparuerunt fungi; eadem expavit, cohorruit, quum noctua etc. Et nunc fere persuasum est, infaustum omen fuisse, h. e. infaustum visum esse Hecalae, μύκητας illos. Faustum hoc tantum commemorari video, quum *sternuit* lucerna. Quo pertinent a Bulengero Lib. IV. de Prodigiis Cap. 12. indicati Ovidius Epist. XIX. 151. sq. Marcus Argentarius Anth. Pal. I. p. 295. (Epigr. ἀδεσπ. LXI.) Ut taceam proprium ac peculiare Tiberio maioribusque eius ostentum: Sueton. Tib. c. 19. De sternutatione autem nihil in verbis Callimachi. Etenim ut persequar inchoatam a Turnebo Advers. XXII. 18. disputationem, falli puto, vel obscure loqui, Scholiasten Arati, quum σπινθῆρας interpretatur μύκητας, atque ita scribit: ἀφίησί τινας σπινθῆρας; et maxime Scholiasten Aristophanis, qui ita: οἱ — σπινθῆρες ἀποπηδῶσιν, οὓς μύκητας νῦν λέγει. Sane fit hoc quoque, et est inter prognostica apud Theophrastum et Aratum v. 979. (247.), et hoc fere velle videntur, qui *sternuere* lucernam dicunt. At diversum id est a simplici μυκήτων mentione, qualis, ut alios nunc taceam, apud Aristophanem, Aratum, Callimachum: qui scriptores quae verba addunt, ἔπεισι μύκητες, μύκητες ἀγείρωνται, ἐγένοντο μύκητες, satis ostendunt fungos intelligi non prosilientes e lucerna, sed agglomerantes sese ellychnio, eique inhaerentes. πυρόεντες quod audiunt Callimacho, convenit cum Theophrasto Fr. VI. (π. σημείων ὑδάτων καὶ πνευμάτων etc.) 1. 14. cui λαμπροί. Contra altero loco ibid. 3, 5. μύκαι μέλαιναι dicuntur. Quae fortasse concilianda sunt. Certe, quae mea est huius rei observatio, fungi illi re vera fuligo et favilla sunt, sed candescunt per flammam lucernae. Iam, ut eo pergam, quo volebam, fungi eiusmodi quum inhaeserunt in ellychnio, languet neque laete assurgit flamma. Atque pro infausto hoc habitum esse, quum obscuraretur langueretque flamma, et coniicitur probabiliter, et discitur ex Propertii loco ante laudato. Cf. non certae auctoritatis locus Epist. Ovid. XXI. 159. Sic differet aliquid inter veterum superstitionem et hanc quam etiamnum obtinere audio. Namque nunc puellae, de plebe illae, quum occupatae in pensis nocturnis fungum conspiciunt in lucerna apparentem, laetantur atque litteras venturas esse amatoris longinqui dictitant. Agathiae in versibus paullo ante appo-

sitis obversatam esse superstitionem illam, quod in mentem non nemini venit, comprobari nequit.

Possis omen addere tertium, omissum a Bentleio fragmentum Callimachi, quod est inter Fragmenta a Spanhemio collecta p. 390. (p. 280. ed. Graev.) nunc Fr. Blomf. CCCCXCIX. e nobili Galeni loco de significationibus vocis πέμφιξ, T. XVII. P. I. p. 879. sq. ed. Lips. quem nuper ingeniosissime pertractavit Hermannus, de Aeschyli Prometheo soluto p. 24. sq. (Opusc. IV. p. 276. sq.)

μὴ διὰ πεμφίγων ἐναγίσματα.

Sic Hermannus: vulgo ἐνάγουσιν ἔα. Iustone videbor audacior, si quid ultra processero? Male me habet imperfecta sententia: non ita parcit verbis Galenus in caeteris poetarum Fragmentis. Conieci:

δείδια πεμφίγων ἐναγίσματα.

metuo istas guttarum inferias. hoc est, metuo guttas pluviae, mortuo, scil. Theseo, parentantes. Cf. ibid. Euphorio (Fr. LXXVI.): *ἠπεδαναὶ πέμφιγες ἐπιτρύζουσι θανόντα.* Verba sunt Galeni, ubi ea fragmenta producit: *διὸ καὶ τῶν προγνωστικῶν οἱ πλεῖστοι ἐπὶ τῶν κατὰ τοὺς ὄμβρους σταγόνων εἰρῆσθαί φασι τὰς πέμφιγας.* Simile est, sed magis portentosum, imber Iovis sanguineus, *ἐέρσαι αἵματι μυδαλέαι, ψιάδες αἱματόεσσαι*, Hom. Il. XI. 53. XVI. 459. Scut. H. 384. Unde guttas ambrosiae alium in usum fecit Quintus III. 697. Homericum inventum suo more amplificat Nonnus XXVII. 13. sqq. Et noti Romanis imbres cruenti: Intpp. Petronii CXXII. v. 139. Ad Iliad. XI. memorabile scholion A. non de sanguineo imbre accipiendum illud, si quid video, sed de portento ex imbre vulgari, de quo apud Callimachum et Euphorionem: *ἡ διπλῆ, ὅτι δοκεῖ σημεῖον εἶναι, ὅταν ἐπιψεκάσῃ, οὐχ ὅταν ὕσῃ. πέμφιγας ὑετοῖο* dixit etiam, sed alia in re, Nicander Ther. 273. Quod conieci obiter, quum primum haec posteriora capita edebam, coniunctum fortasse hoc de *πέμφιξι* Callimacheum cum Fragmento XLVII*. fuisse ita, ut Hecale ex fungis ellychnii imbrem eumque mortis indicem, metuerit, id nunc repudio. Videntur magis tria diversa fuisse omina, noctua, fungi, *πέμφιγες*. Si quidem hoc de guttis in Hecale fuit: quod sane non improbabile. Cumulare eadem in re

exemplum exemplo, usitatum huic poetae est: ut in hymno Cer. v. 75. sqq. cumulate se excipiunt excusationis exempla. Vocis *ἐναγίσματα* ex poetis unum testem habeo, monstratum a Schaefero in Steph. Thes. Synesium hymno VII. sed nobilitat vocem felicissima significationis insolentia. Ad formam similla sunt e Callimacho *ἄεισμα, τείχισμα, δίασμα, ἔδεσμα.*

Sunt alia Fragmenta, in quibus varias commotiones animi Hecales agnoscas. Eldikii quidem coniectura Suspicionum Spec. cap. IV. p. 23. de Fragmento Callim. CCXIX. infelix est. Scribit ille ita: *Miror ad Hecalen — non relatum fragm.* 219.

τεθναίην, ὅτ' ἐκεῖνον ἀποπνεύσαντα πυθοίμην.

Sunt enim, si quid video, ipsius verba Hecales, pro salute Thesei Iovi vota facientis; legatur Plutarchi locus, Meursio citatus Thes. cap. X. Ut hoc dicat Hecale, se morituram esse, si illum, Theseum, exspiravisse audierit. At verborum graecorum, quod intellecturus fuisset Eldikius, si scholia Aeschyli Choeph. 438. in quibus prostat hoc fragmentum, Aeschylumque ipsum inspexisset, prorsus contraria sententia est: *moriar*, h. e. mori volo, *quum illum exspiravisse audivero.* Eadem structura ac significatione Nonnus IV. 148. 9. *τεθναίην ὅτε μοῦνον ἀφειδέα χεῖρα χαλάσσας, ἀμφοτέρων θλίψειεν ἐλεύθερον ἄντυγα μαζῶν.* Estque hoc satis usitatum, et fere proverbii loco dicitur: *τεθναίην*, ubi illud mihi exoptatissimum contigerit. Cf. Aeschylus l. l. Euripides Elect. 281. Orest. 1100. Homer. h. Ven. 154. 5. ex quo loco Musaeum v. 79. illustrat Heinrichius; Nonnus XV. 320. Damaget. VII. (A. Pal. I. p. 438.) 4. Quint. Smyrn. VII. 291. Cato meus: *Istius atque utinam facti mea culpa magistra Prima foret: letum vita mihi dulcius esset.* Similiter Apollonius III. 788. *αὐτὰρ ἐγὼν αὐτῆμαρ, ὅτ' ἐξανύσειεν ἄεθλον, τεθναίην.* sed tantum similiter: nam alia eius loci ratio est eo, quod *τεθναίην* praecedenti oppositum *νέοιτο* est. *ille sospes abeat: at mihi eodem die, quum peregerit laborem, mors obtingat mea manu.* Illi locorum generi geminum est, contrarium in modum dictum hoc: *τεθναίην*, quum illud acciderit tristissimum. Mimnermus: *τεθναίην, ὅτε μοι μηκέτι ταῦτα μέλοι.* cf. Theognis v. 343. Homer. Il. XVIII. 98. Structura eadem: utrum felicitatis significetur notio, an infelicitatis, nexus declarat. Sic *τεθναίην ὅτ'*

ἐκεῖνον ἀποπνεύσαντα πυθοίμην potuisse graece eo sensu dici, quo volebat Eldikius, omnino concedo: sed dictum esse contrariam in sententiam locus evincit Aeschyli, ex quo derivatum esse hoc Callimacheum animadvertit Scholiastes. Haec si recte disputavi: disputavi autem nonnulla aliter quam Hermannus ad Vigerum p. 918. igitur ego si recte omnia, alius quispiam, alio in carmine, ut puto, dixit: τεθναίην, ὅτ' ἐκεῖνον ἀποπνεύσαντα πυθοίμην. non Hecale. Nisi quis ἐκεῖνον taurum dici Marathonium existimet, quod parum probabile. ἀποπνεύσαντας idem Callimachus h. in Del. 186. ubi Spanhemius fragmenti huius nostri recordatus est.

At Toupii Emendd. in Suid. P. III. Vol. II. p. 291. et P. V. Vol. III. p. 181. sq. (T. I. p. 507. T. II. p. 287. ed. Lips.) et Ruhnkenii Epistt. Tittm. p. 21. egregium inventum est, qui Callimachi esse, et ex Hecale desumptum intellexere versum apud Suidam v. Ὕδω:

Αἴθρην τὴν εὔτεκνον ἐπ' ἀγρομένῃς ὑδέοιμι.

Fragm. Blomf. CCCCLXXVII. τὴν e correctione Toupii, quam confirmant libri Gaisfordii. vulgo τε erat. Iam hoc quidem etiam sine libris tutum erat. Novum est, quod nunc Gaisfordio praeeunte e libris scriptis, in quibus ἐπαγρομένῃς, ἐπ' ἀγρομένῃς, edimus: ἐπ' ἀγρομένῃς. antea: ἐπ' ἀγρομένοις. Εὕρεσιν — μητέρα τὴν εὔτεκνον ex epigrammate apud Hagenbuchium Epist. Epigraph. p. 18. et 22. (Fabrett. p. 465. n. 100.) annotavit Toupius. Cf. si placet, τὸν εὔτεκνον — δόμον Callim. Epigr. XXI. 6. et Iacobs. in Anth. Pal. Not. crit. p. 345. Etsi pars horum ea, ubi *fecundum* significat εὔτεκνος, differt ab Aethrae epitheto εὔτεκνος, quod ἀριστοτόκειαν. Eiusdem Callimachi esse alterum, quod ibi Suidas profert, fragmentum, ὕδειν ἔοικε, observatum est ad Choeril. p. 183. et nunc versus ille, ὕδειν ἔοικε τὴν φερέζωον κόρην etiam in Etymologico Gud. p. 539, 59. prostat. Cf. de Εὐχολίῃ disputanda in Cap. X. Praeterea ὑδείομεν, ὑδέονται, ὑδεοῦσι, ὑδεῦσι dixerunt Callimachus h. Iov. 76. Aratus 257. Apollonius II. 528. IV. 264. Nicander Alexiph. 47. 525. *Αἴθρην τὴν εὔτεκνον ἐπ' ἀγρομένῃς ὑδέοιμι*: verba Hecales, fortasse ex ea oratione, qua vota faciebat Iovi, vel e loco proximo. Possit etiam dictum praesente Theseo videri. Praecipit animo

diem, quo coram tribulibus matrem victoris Aethram celebratura sit. Caeterum quod Aethram a se celebratum iri significat, frustra quaereretur, cur non patrem, Aegeum; omnium minime autem sequitur tum iam mortuum fuisse Aegeum. Coram mulieribus (ἐπ' ἀγρομένης), et a muliere convenit laudari matrem herois mulierem, etiam neglecto patre. Maxime si quid Hecale edocta fuerit, ut probabile est fuisse edoctam, de patre Thesei altero, deo. Apposite ad rem Theocritus carm. XXIV. ubi Tiresias: *θάρσει, ἀριστοτόκεια γύναι*, inquit: *πολλαὶ Ἀχαιϊάδων μαλακὸν περὶ γούνατι νῆμα χειρὶ κατατρίψοντι, ἀκρέσπερον ἀείδοισαι Ἀλκμήναν ὀνομαστί, σέβας δ' ἔσῃ Ἀργείαισι.* Apollonius I. 284. de matre Iasonis Alcimeda: *ἡ τοπάροιθεν Ἀχαιϊάδεσσιν ἀγητή.* Sed fortasse Aegei quoque mentio fuit in illo anticipato mente praeconio, ita: *Αἴθρην — υἱέοιμι, et magni Neptuni σύγγαμον (σύλλεκτρον, ξυνήονα*: Valcken. in Eur. Phoen. 431.) *Aegea.*

Incerta, sed apta tamen ad partem carminis eam, in qua versamur, annumeraveris haec. Fragm. CCCI. (Valck. Call. Elegiar. Fr. p. 299.)

ἀπ' οὔατος ἄγγελος ἔλθοι.

cum interpretatione, quae videtur unice vera esse, Toupii Emend. in Suid. P. IV. Vol. II. p. 457. (T. II. p. 36. ed. Lips.), *facessat ab auribus nostris iste nuntius.* Add. Homer. Il. XVIII. 272. Fragm. CCCII.

δύην ἀπόθεστον ἀλάλκοι.

e praeclara emendatione Porsoni Not. brev. ad Toupii Emendatt. in Suid. p. 489. Scilicet Bentleius quae apud Suidam in v. *Δύη* legeret: *δύην ἄποθέν τ' ἀλάλκοι, ἣν οὐδεὶς ποθεῖ*, pro Callimachi verbis habens omnia, ita constituerat: *δύην ἀπόθεν τ' ἀπαλάλκοι, ἣν οὐδεὶς ποθέει.* At Porsonus: *ἣν οὐδεὶς ποθεῖ verba sunt Grammatici pro interpretamento adiecta.* Idem quum hoc liberum relinquat, utrum *ἀπόθητον* an *ἀπόθεστον*, ego *ἀπόθεστον* malui, quod ad librorum vestigia, Oxoniensis apud Porsonum, et nunc apud Gaisfordium aliorum, *ἀπόθεσθ', ἀπόθ' ἐστ'*, accedit proxime. Deinde semel ab Homero Od. XVII. 296. usurpatum vocabulum *ἀπόθεστος* inprimis dignum doctioribus poetis est; atque ipsi illi, qui hoc quoque, *ἀπόθεστον*, improbabili

quadam ratione (meliorem Bentleius ad Callim. h. Cer. 48. Hemsterhusius ad Hesych. v. Ἀπόθεστος) a verbo ποθέω derivant, grammatici Homeristae, Etymologus, exquisitius esse ἀπόθεστον quam ἀπόθητον senserunt, idque indicant, quum ἀπόθεστον interpretantur hunc in modum: ἀπόθεστος· ἀπόθητος. ἀπόθεστος· ἀνεπιμέλητος, ἀτημέλητος, ἀπόθητος. Sed inprimis memorabile scholion ad Lycoph. 540. οἱ δεινὰ κἀπόθεστα πείσεσθαί ποτε μέλλοντες, Bachmanni est: οἵτινες χαλεπὰ καὶ ἅπερ οὐδεὶς ἂν ποθήσειε, πεισθῆναί ποτε. vide quam simile illis Suidae, ἣν οὐδεὶς ποθεῖ. De Apollinare Psalm. CIV. καὶ βροῦχος πολύθεστος ἀμετρήτοισιν ἐρωαῖς, nihil exploratum habeo. verbum est idem quod apud Callimachum h. Cer. 48. τέκνον πολύθεστε τοκεῦσι: significatio, ut apparet, alia. Igitur duo haec, CCCI. et CCCII. fortasse ex precibus sunt Hecales pro Theseo. Possis etiam huc retrahere illud, de quo ante dictum est, CXLIV. Denique quaerebam, an ad vigilias agitatae terroribus Hecales spectaret, quod Suidas binis locis, v. Ἀηδών, et Οὐδ' ὅσσον, (et Favorinus in Ἀηδόνων ἐργαστήριον, partim ex Hesychio, partim ex Suida,) proverbium esse ἐπὶ τῶν ἀγρυπνούντων dicit:

οὐδ' ὅσσον ἀηδόνες ὑπνώουσιν.

Ut si fuerit: ὑπνώσσειν [δ'] οὐδ' ὅσσον ἀηδόνες ὑπνώουσιν. Nonnus V. 411. ὄμμασιν ἁρπάξαντες ἀηδονίου πτερὸν ὕπνου. ubi cf. Graefius Vol. II. Praef. p. XI. Et ad luctum anticipatum Hecales illud quod a Ruhnkenio acceptum ex Orionis Etymologico (p. 113. ed. Sturz. quocum cf. Cod. Reg. Paris. 2630. in Append. Orionis ed. Sturz. et Etymol. Gud. p. 426, 19.) protulit Ernestius ad Callim. h. Dian. 77. fragmentum Callimachi:

ὠλόψατο χαίτας.

Nisi hoc, quae coniectura fuit Ernestii, ad Antipatrum Sidonium XCIX. 5. (Anth. Pal. I. p. 377.) ἐὰν ὠλόψατα χαίταν, referendum sit. Quamquam quid impedit, quominus pro fragmento habeatur Callimachi? quidni enim duo, Callimachus et Antipater, idem dixerint? Quod alterum in mentem venit Ernestio, respicere Orionem et memoriter laudare Callimachi ex hymno in Dianam locum, στήθεος ἐκ μεγάλου λασίης ἐδράξαο χαίτης ὤλοψας δὲ βίηφι, id mihi quidem minus probabile. ὀλόψαι dixerunt etiam Nicander Ther. 550. 595. Nonnus locis a Ruhn-

kenio Epist. crit. II. p. 145. indicatis. Sed talia dubitanter a me proferri meminerit lector, et monita tum alibi tum supra Cap. VI. p. 227. reputet. Sic Fragmenta CCCI. et CCCII. hac tantum de caussa ad Hecalen refero, quia nihil vetat, quominus eo referantur; et *ὠλόψατο χαίτας* merito dubites an sit iusto fortius in luctu non vero, sed tantum cogitatione anticipato. At in Fragmento CXLIV. aliquanto maior est probabilitas, ut quo senem loqui vel anum manifestum sit. Et illud *Αἴθρην τὴν εὔτεκνον ἐπ' ἀ. ὑδέοιμι*, Callimachi esse probatur dictione, monstrataque a nobis alterius fragmenti Callimachei vicinitate; ex Hecale autem esse docet sententia.

Quam diu anxietas Hecales perduraverit, et quae cognata quaestio altera, quam diu Theseus in itinere, quod fuit ab Hecale in campum Marathonium, tum in investigando debellandoque tauro occupatus fuerit, dictum est Cap. VI. extr. Ego Hecalae ad metuendum, lamentandum, precandum, sperandum, spatium concedo aliquot dierem. Id poeta aut diserte, definito dierum numero, declaraverat, veluti sic: At ubi quartus dies venit, is dies fatalis fuit Hecalae. aut non tam diserte, sed ut satis esset intelligenti, indicaverat. Veluti sic: Hecalen post abitum Thesei *noctes diesque* agitatam spe, metu, sollicitudine esse.

Moritur Hecale. Ac fortasse, si mihi quoque poetari licet, ita haec composuerat Callimachus: Contremuit Hecale, infaustum canentem audiens noctuam, et exsecrata est volucrem. Et hoc quidem consequuta est, ut averteret omen a Theseo. At vel sic vera cecinerat noctua: nam tibi ipsi, bona mulier, prope instabat dies fatalis, etc. Vel sic: At fallebaris: non Theseo enim, sed tibi etc. Cui loco fortasse habile Fragm. CCCXVIII.

κάρτ' ἀγαθὴ κικυμίς.

Deinde si Callimachi est, quod Ruhnkenius Epist. crit. II. p. 132. et Epistt. Tittm. p. 21. (itemque, testante Gaisfordio, Valckenarius) suspicatur, Fragmentum ap. Suid. v. *Ἀφραστύες* (Fragm. Blomf. CCCCLXXXIX.) non male transferetur ad hanc disputationem, sed inter ea, quae longe incertissima:

σχέτλιαι ἀνθρώπων ἀφραστύες:

misera hominum imprudentia, qui dum aliis metuunt, suum non vident periculum. Homer. h. Cer. 257. νήϊδες ἄνθρωποι καὶ ἀφράδμονες οὔτ' ἀγαθοῖο αἶσαν ἐπερχομένου προγνώμεναι, οὔτε κακοῖο. Tryphiodor. 310. σχέτλιον ἀφραδέων μερόπων γένος, οἷσιν ὁμίχλη ἄσκοπος ἐσσομένων. cf. si placet, Orph. Fragm. XXXI. 6. sq. Illud incertum, de caussa mortis, utrum plus poeta annis an desiderio ac sollicitudini tribuerit. Coniunxerat, ut puto, utrumque.

VIII.

Theseus interea debellabat taurum. Pergit istuc Theseus: descriptio itineris: speculatur loca, prorumpentem immanem beluam excipit; congreditur. Et itineri huic quidem quae assignentur fragmenta nulla sunt. Nisi forte ea, de quibus Cap. II. p. 60. et Cap. IV. p. 99. sq. disputatum, LVII*. et CCCL. *Τριvέμεια*, et ἐννότιον *Μαραθῶνα*. Non longum iter fuisse monitum Cap. IV. p. 99. Sed conferantur quae scripsimus Cap. VI. extr.

In principio pugnae ipsius colloco Fragmentum LI. b.*

ἄρκιος, ἦ χείρεσσιν ἑλὼν *Αἰδήψιον* ἄορ —.

Similis color loci Homerici, Il. I. 189. sqq. — μερμήριξεν, ἢ ὅγε φάσγανον ὀξὺ ἐρυσσάμενος παρὰ μηροῦ etc. et aliorum. Od. X. 438. sq. Quintus Smyrn. I. 601. sq. Deliberabat Theseus, utrum tantum valeret, ut manibus aggrederetur belluam, an arriperet ensem. ἄρκιος non *paratus*, sed *idoneus*, *qui aliquid potest*. Callimachus h. Cer. 35. πάντας δ' ἀνδρογίγαντας, ὅλαν πόλιν ἀρκίος ἆραι Cf. Arat. 460. Apoll. Rhod. II. 799. Nicand. Ther. 508. Nonnus XXXVI. 253. Infeliciter Berkelius ad Steph. Byz. tentat: *Ἀκρίσιος* χείρεσσιν ἑλὼν *Αἰδ.* ἄ. Alius ridicule ἄρκιος vertit *septentrionalis*, quasi ἄρκτιος. De *Aedepsio* ense, non esse epitheton commune: Cap. III. p. 75.

Ille vero confidens robori manuum, corripuit taurum, perdomuit. E Callimacheis huc pertinent Fragm. CCXLIX.

θηρὸς ἐρωήσας ὀλοὸν κέρας.

et CCLXXV.

ὁ μὲν εἷλκεν, ὁ δ' εἵπετο νωθρὸς ὁδίτης.

Id perbene Buttmannus demonstravit Lexilogi T. I. p. 71. sq. Sed facile crederet vir doctissimus me quoque dudum notata ac relata ad hunc locum haec fragmenta habuisse; idemque in mentem venerat Ruhnkenio Epist. crit. II. p. 187. ad Fragmentum CCXLIX. De Fr. CCLXXV. satis manifestum indicium fecerat, qui illud affert, Scholiastes Apollonii I. 1162. addens ille: *Καλλίμαχος ἐπὶ τοῦ ἡττηθέντος ταύρου.* Hoc persapienter monuit Buttmannus, noluisse Theseum occidere aut mutilare taurum: sed voluisse, quod maius inceptum, vivum atque incolumem perducere Athenas, ut spectaretur a populo, (Plutarchus: *καὶ χειρωσάμενος ἐπεδείξατο ζῶντα διὰ τοῦ ἄστεος ἐλάσας*:) et mactaretur sollemniter. Consulto haud dubie Isocrates in Encomio Hel. hoc tantum dicit: *τόν τε ταῦρον — χειρωσάμενος.* Eustath. in Odyss. VII. 80. *ἔνθα καὶ τὸν λεγόμενον Μαραθώνιον ταῦρον Θησεὺς κατεπάλαισεν.* Breviter atque obiter idem Eustathius in Iliad. II. p. 284, 17. et Strabo IX. p. 399. (611. B.) *ὃν ἀνεῖλε Θησεύς.* Nonnus is, qui scripsit *Συναγωγὴν ἱστοριῶν* in Gregorium Theologum, Tom. II. Opp. Greg. p. 523. (Montacutii editio nunc mihi non ad manum) *Taurus — — tandem a Theseo interemptus est.* Elias Cretensis ibid. p. 432. *Quem Theseus tandem interemit.* Eudocia p. 391. *— ἐπὶ τοῦτον ἐλθὼν ὁ Θησεὺς ἀνεῖλεν αὐτόν.* Ut Hyginus: *Taurum — occidit.* Intp. Statii Theb. V. 441. cum Mythographis Maii I. 47. II. 120. *interemit.* Et Mythographus Maii I. 48. *tauro interfecto.* At horum tamen recentissimorum scriptorum, et latinorum, singularis, ut puto, ratio est, non brevitas simpliciter. Certe Ovidius quum scribit: *te, maxime Theseu, Mirata est Marathon Cretaei sanguine tauri*, non cogitat de immolatione sollemni, sed interfectum esse taurum Marathone statuit. Nec mirum. Coniunctum cum religionibus Atheniensium sacrum obliti sunt recentiores scriptores latini, et fortasse graeci recentiores multi; rem primariam, devictum atque interfectum taurum, retinuerunt, totamque loco ei, cui perniciosus fuisset, assignaverunt. Buttmanni observatio illa etiam ad nostram explicationem Fragmenti LI. b. utilis est, a quo sic fortasse transitus ad sequentia factus: dubitanti autem hoc videbatur melius esse, *ὧδε δέ οἱ φρονέοντι*, vel *καί οἱ πορφύροντι, δοάσσατο κέρδιον εἶναι,*

manibus aggredi taurum, vivumque capere, ut rite fieret victima. In Fragm. CCXLIX. Suidae explicationem *μειώσας*, *κατεάξας*, recte reiecit Buttmannus: id enim neque per se pulchrum inventum esse, frangi cornu, neque licuisse ita, quum ad sacrificium tauro incolumi, non mutilato opus esset. Etymologi vero locus, v. *Ἐρωή*, quem perturbatum esse fatetur vir doctissimus, fortasse sic restituendus est atque supplendus: — *ἢ ἀπὸ τῆς ἐρώσεως· χύσις γάρ τις καὶ ἀπόκλυσίς ἐστιν. [ἢ ἀπὸ τοῦ ἔρα·] ὡς Καλλίμαχος, ἐρωήσας θηρὸς ὀλοὸν κέρας, τὸ [κέρας] εἰς τὴν ἔραν καταγαγών.* quae uncis inclusa, addidi e coniectura mea. *ἐρωῆσαι* et *ἔρα* copulat idem Etymologus v. *Ἐρᾶν*, p. 369, 29. Ego *ἐρωήσας* apud Callimachum nihil esse aliud censeo quam quod est apud eundem poetam *ἠρώησε*, h. in Del. 133. *εἶπε, καὶ ἠρώησε μέγαν ῥόον*: *inhibere.* Pro quo *ἔστησεν* Alcaeus Mess. XIX. (Anth. Pal. I. p. 428.) 5. *ῥόον δ' ἔστησεν ἀκούων Ἀσωπὸς γοερῶν ἦχον ἀπὸ στομάτων.* Tauri irruentis cornu Theseus arripuit atque inhibuit, ictumque avertit. Cf. Theocrit. XIII. 74. XXII. 174. Paullo aliter Hermannus in Scholis Theocrit. Opusc. Vol. V. p. 94. qui in *ἐρωήσας* notionem tenet *repellendi.* Sane proxime inter se coniuncta sunt *inhibere* et *repellere.* Fortasse omnium optime conveniet *reprimens.* Apud Nonnum XXXVI. 188. ubi de insiliente in elephantem, eiusque cervici inhaerente panthera: *καὶ δρόμον ᾐώρησε τανυκνήμων ἐλεφάντων*, quaeri poterit, an aptius sit *ἠρώησε*, *inhibuit cursum, repressit.* Sed tamen *ἠρώησε* an alibi sit apud Nonnum, nunc non memini, et *ᾐώρησε* tum alibi usurpatum a Nonno scio, tum *ἀνῃώρησε* ab Ioanne Gazaeo v. 570. (II. 212.) ita, ut possit similiter dictum illi *ᾐώρησε* videri. Deinde Theseus, quod Buttmannus colligit ex verbis paullo ante laudatis Etymologi, cui Etymologo locum Callimachi ipsum integrum ante oculos fuisse probabiliter statuit, cornu versus terram depressit, ita ut obtorqueretur collum tauri. Qui est modus optimus domandi taurum. Theocritus XXV. 145. *τοῦ μὲν ἄναξ προσιόντος ἐδράξατο χειρὶ παχείῃ σκαιοῦ ἄφαρ κέραος, κατὰ δ' αὐχένα νέρθ' ἐπὶ γαίης κλάσσε βαρύν περ ἐόντα*, etc. Quintus Smyrn. VI. 237. 8. *ταῦρος — ὅν ῥα καὶ αὐτὸν ἀμαιμάκετόν περ ἐόντα, γνάμπτε βίῃ, κρατεροῖο κεράατος.* Epigr. *ἀδεσπ.* CCXCII. (Anth. Pal II. p. 656.)

quod *εἰς ἀνδρίαντα Θησέως καὶ τοῦ Μαραθωνίου ταύρου* scriptum esse dicitur: *ἶνας δ' αὐχενίους γνάμπτων, παλάμῃσιν ἔμαρψεν, λαιῇ μυκτῆρας, δεξιτερῇ δὲ κέρας. ἀστραγάλους δ' ἐλέλιξε, καὶ αὐχένα θὴρ ὑπὸ χερσὶν δαμνάμενος κρατεραῖς ὤκλασεν εἰς ὀπίσω.* Apollonius III. 1306. *καί ῥ', ὅγε δεξιτεροῖο κέρας βοὸς ἄκρον ἐρύσσας εἷλκεν ἐπικρατέως παντὶ σθένει:* verum ibi de tauro sub iugum mittendo agitur. Latinos scriptores Ruhnkenius Epist. crit. II. p. 187. adhibuit. Ovidium IX. de Hercule et Acheloo: cuius hoc maxime ad nostram disputationem pertinet, v. 83. *deprensaque dura Cornua figit humo.* Suetonium Claud. 21. *Thessalos equites, qui feros tauros — — ad terram cornibus detrahunt* ubi cf. Intpp. Addatur is, quem Olympium Nemesianum appellavit Wernsdorfius Poet. Lat. min. T. I. Append. *cum taurum* (Alcides) *dira minantem Excipit, et saevum cornu, flammasque moventem Corripit,* et quae ibi aliena ab hac disputatione sequuntur. *Corripit* autem, haud dubie cornu. Et qui de comprehensis a Theseo cornibus famam fuisse ex narratione imaginibusque, vel ex natura rei, per antiquitatem longe propagatam probat, Cicero Disp. Tusc. IV. 22. *an etiam Theseus Marathonii tauri cornua comprehendit iratus?* Iam quaeritur de monumento a Marathoniis dedicato ap. Pausaniam I. 27, 9. 10. utrum illud pugnam an oblatum deae taurum repraesentaverit. Tenuit me aliquantisper codicis A. apud Gaisfordium scriptura *ἀλαὸν κέρας.* sed praestat *ὀλοὸν κέρας.*

Tum verbis comminatus Theseus, abstraxit renitentem bestiam. Fr. CCLXXV.

[*ὣς εἰπὼν*] *ὁ μὲν εἷλκεν, ὁ δ' εἵπετο νωθρὸς ὁδίτης.*

ὣς εἰπών ex ingeniosa Buttmanni restitutione: ut imitatio sit satis elegans versus Homerici: *ὣς εἰπὼν ὁ μὲν ἦρχ', ὁ δ' ἅμ' ἕσπετο ἰσόθεος φώς.* Il. XI. 472. XV. 559. XVI. 632. Propter Scholiastam Apollonii, qui *εἷλκεν* dici a Callimacho *πρὸς πλείονα ἔμφασιν* significat, adscripsi haec: Epigr. *ἀδεσπ.* CCLXXXVII. (A. Pal. II. p. 654.) *βοῦν ἀρότην ἕλκοντα,* Herculem. Aristocles Anal. II. p. 108. (A. Pal. Append. p. 749.) *τοῦτον* (taurum) *γραῦς στείχουσα μόνη μόνον οὔατος ἕλκει τόνδ' ἐπὶ βωμόν· ὁ δ', ὡς ματέρι παῖς, ἕπεται.* Pro *εἵπετο* apud Callimachum *ἕσπετο* malebat Spanhemius in sua Fragmentorum Callimachi

collectione p. 285. ed. Graev. p. 395. ed. Ernest. sed nihil opus. Cf. Callimachus h. Del. 77. ὁ δ' εἵπετο πολλὸν ὄπισθεν Ἀσωπὸς βαρύγουνος. et laudatus Ruhnkenius l. l. Epist. cr. II. p. 187. Nonnus III. 101. ἤιε φειδομένῳ γαμίῳ ποδί, νωθρὸς ὁδίτης. XVII. 27. Σειληνὸς βαρύγουνος ἐχάζετο, νωθρὸς ὁδίτης. Addo III. 106. τί, νυμφίε, νωθρὸς ὁδεύεις; et XLIII. 381 ὀκναλέοις δὲ πόδεσσι ἐχάζετο νωθρὸς ὁδίτης. cui geminum XXXII. 265. ὀκναλέοις δὲ πόδεσσιν ἐχάζετο νωθρὸς Ἐρεχθεύς. Item Ioannes Gazaeus v. 388. (II. 29.) de serpente: ἀλλὰ πάλιν βραδύγουνος ἐσύρετο νωθρὸς ὁδίτης, ubi magis usitatum, tum Nonni (e Callimacho) usu tum ipsius Ioannis Gazaei, quem vid. v. 570. (II. 212.), βαρύγουνος foret: sed fortasse semel βραδύγουνος placuit. cf. I. 252. βραδυπειθέα γούνατα σύρων. Verum hic semel observasse iuvabit, quam sit Nonni imitatio multiplex. Nam primo totum hoc, νωθρὸς ὁδίτης, mutuatus est a Callimacho. Deinde νωθρὸς vocabulum Callimacho atque inde Nicandro, Oppiano utrique, Manethoni, scriptoribus Epigrammatum, Gregorio Theologo, usitatum frequentavit tum his locis quos dixi, tum aliis, ut in hoc hemistichio: ἑὸν πόδα νωθρὸν ἑλίσσων XXV. 281. XLV. 60. ἐμὸν πόδα νωθρὸν ἐρέσσω Evang. Io. V. 7. Post Nonnum autem Ioannes Gaz. v. 254. et 515. (II. 157.) Cometas Scholasticus II. 1. A. Pal. II. p. 212. Denique ab eodem Callimacho Nonnus usum vocis ὁδίτης non proprium sive periphrasticum didicit et varie frequentavit multis locis, ut ὑγρὸς ὁδίτης, πεζὸν ὁδίτην, χερσαῖον ὁδίτην al. Etiam in Evangelio Ioannis, c. g. XII. 14. ταλαεργὸν ὁδίτην, de asino. Ut taceam Ioannem Gazaeum. Eum usum praeivisse his poetis et Callimacho videri potest Sophocles Philoct. 147. ὁπόταν δὲ μόλῃ δεινὸς ὁδίτης τῶνδ' ἐκ μελάθρων. Simile alterum est, quod et ipsum ad taedium usque frequentatur ab Nonno, ἀλήτης.

Non desideraretur hoc loco, si abesset, quem per opportunitatem vocis νωθρὸς in Programmate, quo primum et Prolegomena in Hecalen et capita posteriora quatuor edidi, lusum ingenii, sive malis industriae, inserueram. Sed dabitur hic quoque. Tironum in gratiam, si qui tirones incident in hunc librum: qui quidem etiam ex imitatione discere, quid sit elegantia scholae Alexandrinae, poterunt. Sic igitur aliquando quum in Coma

Berenices ex latino Catulli exemplo restituenda ludebam, versus qui apud Catullum sunt:

Vertor in occasum, tardum dux ante Booten,
Qui vix sero alto mergitur Oceano,

graece reddere me memini: *ἐς δυσμὴν νωθροῖο παροίτερος εἶμι Βοώτεω, ὃς μόλις ὀψὲ βαθὺν δύετ' ἐς Ὠκεανόν.* In quibus nihil, quod non scribere Battiades potuerit. *ἐς δυσμὴν*, vel *ἐς δυθμὴν*, ad exemplum Callimachi, Fragm. ap. Schol. Hom. Ven. A. Iliad. XI. 62. nunc CCCCLXV. Blomf.

[αὔλιος,] ὃς δυθμὴν εἶσι μετ' ἠελίου.

unde apparet, non ita eam formam, *δυθμή*, doricam fuisse, vel certe poetae huic non ita visam esse doricam, ut ea in nullo nisi dorico carmine (hymn. Cer. 10.) uti liceret. Cf. *τέθμιον* supra Cap. VI. p. 214. et laudata ibi disputatio Valckenarii in Opusc. I. p. 360. sq. Praeterea memorabile est *δυσμή* sive *δυθμή* singulari numero. Vid. citati multo numero scriptores apud Albert. in Hesych. *Δυσμαῖς βίου*, Blomfield. Gloss. Aesch. Pers. 237. Ast. Lex. Platon. in *δυσμαί*. Quibuscum convenit observatis a me poetis, Babrio fab. XVI. (fab. V. ed. nup.) 1. Cyneget. II. 124. Manethoni IV. 8. 112. Sibyllae multis locis, Apollinari. Verum illi fere omnes quum *δυσμὰς* dicunt, *occasum* in universum intelligunt; Callimachus *δυθμὴν* de uno sidere sive stella occidente, et quasi cubitum eunte. *παροίτερος* maxime ex Arato v. 306. *vix sero* haud facile altero exemplo latino comprobandum, inter ea putaverim esse, quae Catullus ad verbum expressit e graeco exemplo suo. Nam graeca haec sunt: *ὀψὲ καὶ μόλις, μόλις καὶ βραδέως, ὀψὲ καὶ βραδέως*: Dorvill. in Charit. III. 9. p. 409. ed. Lips. Add. Memnon Photii p. 222, 29. Lucianus Asino c. 2. Iosephus c. Apion. I. haud longe ab init. Aelianus V. H. XII. 1, 49. Sed magis huc faciunt poetae. Igitur Apollonius III. 1025. *ὀψὲ δὲ δὴ τοίοισι μόλις προσπτύξατο κούρη.* Nonnus XXXVIII. 227. *ἕως μόγις ὀψὲ τελέσσῃ.* Epigr. in *στήλας ἀθλητ.* IV. 2. (A. Pal. II. p. 728.) *ὀψὲ μόλις*: ubi Iacobsius Themistium laudat, et ex epigrammate quod praecedit II. 8. *ὄψιμον, ἀλλὰ μόλις.* Herodian. II. 3, 4. *ὀκνῶν καὶ μόλις.* Sophocles Ai. 306. *μόλις πως ξὺν χρόνῳ.* Latini usitate *vix tandem*, ut ipse Catullus alibi, et Virgilius III. 309. *et longo vix*

tandem tempore fatur. Contra suspiciones Ezrae de Clercq Obss. in Lucan. Specim. II. p. 89. si Catullo opus esset praesidio, uterer Boethio lib. IV. metr. 5. (32.) qui mihi ita similis Catullo videtur, ut de imitatione cogitem: *Cur legat* tardus *plaustra* Bootes, Mergatque seras *aequore flammas.* Quae sic nuper editus a C. F. Webero Maximus Planudes: *πῶς ποτ' ὀκναλέως εἶσι Βοώτης, ὅν τε σχολῇ φῶς νάμασι βάπτει.*

Ad finem perventum est huius capitis. Quod si cui breve videbitur, ea non mea culpa, sed temporis, per quod factum est, ut pauca tantum fragmenta huc pertinentia supersint. Nisi me aliquid praeterierit. Hoc omnino suadent omnia, insignem partem carminis fuisse *pugnae* descriptionem. Et fortasse, ut aliquid dicam, quae supra verbis complexus sum paucissimis, *pergit istuc Theseus: descriptio itineris: speculatur loca*, bonum numerum versuum implebant. Tum poeta haud dubie aliquantum operae posuerat in describenda specie tauri, eximia illa, de qua sunt in Cap. II. bina Apollodori testimonia. — taurus apparuit *nimio candore perfusus*: Intp. Statii Theb. V. 441. cum Mythographis Maii I. 47. II. 120. Verum tum magis terribilis, efferatus fuit. At *πυρπνόον*, qualem faciunt Quintus Smyrn. VII. 237. et Epigramma, quod tribuitur Quinto, Anal. II. p. 475. Anth. Pal. II. p. 651. coll. sup. Cap. VI. p. 220. et paullo ante laudatus Olympius Nemesianus v. 135. 137. Callimachus, ut puto, non fecerat. Pugna ipsa, si reputes, qui debuerint inter fragmenta quae posui tria versus medii esse, satis longa videbitur. Ac fortasse etiam longior fuit ac pertinacior, quam patefaciunt fragmenta illa. Quae re vera, ut sunt a nobis explicata, haec tantum duo docent: cornu correptum, et depressum in terram. Quaeritur, quid admisceri, et suppleri coniectando ex similibus descriptionibus, quales supra indicavi, aliisque, debeat. De fracto cornu, quod Ovidius IX. 85. sq. in historia Acheloi; quod idem huic ipsi tauro in Creta accidisse Nonnus XXV. 227. sqq. narrat: *ὅττι τινάσσων τεσσατίην κορύνην, ὀλίγην ἔτμηξε κεραίην*: alienum est. At potuit Theseus prosternere taurum: ut Acheloum taurum Hercules, Ovid. IX. 84. *Cornua figit humo, meque alta sternit arena.* aut deprimere in genua, ut illos Iason

apud Apollonium III. 1308. sqq. et Baccha apud Nonnum XXV. l. l. *θηγαλέην δ' ἐπίκυρτον ἀνειρύσσασα κεραίην, εἰς γόνυ ταῦρον ἔκαμψεν, ἀκοντιστῆρα λεόντων.*

De Fragmento, quo aliquis Thesei in pugna ista dexteritatem praedicari opinetur, CCCIII. *ἀεὶ περιδέξιος ἥρως*, nunc aliter iudicatum est Cap. III. extr.

IX.

Restant duae narrationes, quae locum sibi in Hecale poscunt. Primo introitus Thesei victoris in urbem Athenarum, et sacrificium, de quo quum consentiant auctores gravissimi, incredibile est tam aptam conclusionem carminis sui, et tam splendidum ornamentum, omissurum fuisse Callimachum. Altera: aditus Thesei ad exstinctam ipso absente Hecalen, de quo in universum carmen Priap. XII. et, Callimachum quod attinet, certissimum documentum habemus Fragm. CXXXI*. Illud quaeritur, utrum Theseum poeta statim a pugna ad Hecalen, an prius in urbem, atque inde ad Hecalen deduxerit. Mihi hoc placet, quoniam aptius est laudibus Hecales finiri carmen, quod ab Hecale nomen habet, quam in narratione de tauro immolato. Vel potius non placet, sed certa res est. Herculem decebat, vel etiam oportebat, leone interfecto, statim ad Molorchum devertere: propter pactum illud triginta dierum. Ac facile fuit id facere Herculi, qui mortuum secum portaret leonem. Theseo cum Hecale de die convenisse, quo ipse se ei incolumem sisteret, neque alius tradit, neque hoc inest in verbis Plutarchi: — *ηὔξατο μὲν ὑπὲρ αὐτοῦ τῷ Διῒ βαδίζοντος ἐπὶ τὴν μάχην, εἰ σῶς παραγένοιτο, θύσειν*: quae recte vertuntur *si sospes revertisset*: quam in rem satis erat, ut fama Hecalen celeriter disseminanda edoceret de reditu. Neque commode Theseus, quum traheret post se taurum, devertere ad Hecalen, si repperisset viventem, aut deflere mortuam, et illa, quae videbimus, ordinare omnia potuerat. Frustra opponas carmen Priapeium: *Aequalis tibi, quam domum revertens* etc. Is poeta breviter loquitur, et quum de Hecale anu cogitet unice, non curat Thesei in urbem reditum.

Igitur Theseus taurum ex agro Marathonio festinans eo, quo ille sistendus erat, devitans deverticula, via non prorsus ea, qua ipse antea ad pugnam profectus fuerat, sed alia, eaque, ut credere par est, breviori Athenas deduxit, et postquam triumphans ingressus in urbem esset, mactavit.

Praeponi huic narrationi Fragmentum CCLXXXVIII. posse opinabar: ὅστ' ὤκιστος ἐς ἄστυρον ἀγγελιώτης. Conieci:

ὅς δ' ὤκιστος ἐς ἄστυρον ἀγγελιώτης —.

sequebatur ἔδραμε, vel ἵκετο, ἤλυθε. ὅς δ', ut in Fragm. CCCCXXXVIII. de Scirone. Intelligetur autem aut missus a Theseo pro praecone, aut sponte excitatus homo, praecurrens lentius progredienti cum tauro Theseo. ὤκιστος necessaria emendatio, facta a Bentleio. Atque ὤκιστος nunc in Suida e cod. A. edidit Gaisfordius. Vulgatum ante ᾤκιστο quod defenditur a Toupio Emendd. in Suid. P. V. Vol. III. p. 40. sq. (T. II. p. 179. sq. Lips.), is ante excusare hiatum debuerat: quod fieri nequit. Idem antea Emendd. in Hesych. Vol. IV. p. 304. ὤκιστον conieceral, et fortasse fuisse ἤλυθεν ὅστ' ὤκιστον, *qui celerrime nuntius ibat.* atque eo fortasse respexisse Hesychium glossa hac: ὤκιστον· τάχιστον. Hemsterhusius ὅστ' ὤκ' ἵκτο proposuerat. Meae opinationi, de praecedente Theseum nuncio illud accipientis, quid tribuendum sit, iudicium esto apud alios. ἄστυρον quidem non inepte dicentur Athenae, sive consulto ἄστυρον dici, non ἄστυ, quoniam tum nondum aucta atque amplificata ad suam magnitudinem urbs Athenarum fuerit, sive ἄστυρον idem esse Callimacho atque ἄστυ statuas. Cf. ἄστυρον Callim. Fr. XIX. CIV. Nicand. Alexiph. 15. 131. Non plus tribuo alteri coniecturae meae, qua huc referebam Fragm. CCXLVIII. οὐδὲ βοὴ κήρυκος ἐλίνυσε. κήρυκος: sive eius, qui praecedebat Theseum, ἀγγελιώτης, non verus praeco; sive, quod malim, veri praeconis, qui accesserat, quum conspectus e longinquo appropinquans ad urbem Theseus esset. Is nunc, quae mea coniectura, per urbem nunciat Theseum, victoriamque Thesei. Obversabatur Plutarchus Thes. c. 22. κήρυκα δὲ ἀπέστειλε (e Creta redux Theseus, appulsus in portu Phalereo) τῆς σωτηρίας ἄγγελον εἰς ἄστυ. Quicquid huius rei sit, de verbis restat suspicio. Et *olim* quidem sine haesitatione corrigendum esse

locum pronunciavi, ita:

οὐδὲ βοὴ κήρυκος ἐλίννε,

vel ἐλίννεν, correpta νν syllaba. ut ἐλίννον apud Apollonium I. 862. Qui sane numeri erunt prorsus Callimachei. Nunc tamen, re iterum iterumque perpensa, concedo posse aliquid veri inesse in sententia Ernestii, qui ἐλίννσεν scribendum esse, et productam eam syllabam fuisse vi consonae alicuius sequentis monet. Veluti non malus versus:

οὐδὲ βοὴ κήρυκος ἐλίννσεν [κατὰ ἄστυ].

Eodem modo conformatos exitus versuum, ut μέλλεν δὲ μάλ' εὔϋδρος καλέεσθαι, ὅ Λέπρειον πεφάτισται, χολουραίη ὑπὸ πέτρῃ, monstravi Cap. VI. p. 157. et ab arte huius poetae non alienam esse productionem eam, quae efficitur per litteram paragogicam, ibid. p. 169. E. g. sic: ἐφοίβασεν δὲ παγέντα Lav. Pall. 11. κατήφησεν δὲ Κυρήνη Epigr. XXI. 5. Unum est, quod patrocinatur aliquantulum pristinae coniecturae meae: lex illa, de qua est alibi a me non male expositum, quam sequi in citandis poetarum fragmentis grammatici solent. Si haec scripta ante oculos habuisset Etymologus: οὐδὲ βοὴ κήρυκος ἐλίννσεν κατὰ ἄστυ, fortasse non neglecturus fuisset tam paucas litteras κατὰ ἄστυ adscribere, sed maluisset integram dare sententiam, plenum versum. At si haec ante oculos habuit, οὐδὲ βοὴ κήρυκος ἐλίννε: intelligitur, cur haec adscripserit, et nihil amplius. Saepe enim grammatici, ubi ex hexametris fragmenta laudant, in tetrapodia quae dicitur bucolica consistunt. De verbi ἐλινύειν scriptura ac mensura nonnulla Ernestius ad Callim. h. in Cer. 48. τέκνον, ἐλίννσον· τέκνον πολύθεστε τοκεῦσι. Theocritus X. 51. Agathias XII. (A. Pal. I. p. 154.) 2. ἐλινῦσαι. Apollonius I. 589. ἦματ' ἐλινύεσκον. Post Ernestium alii: Iacobs. in Anth. Pal. Not. cr. p. 107.

Porro Fragmentum est nunc apud Blomfieldium CCCCLXXVI. quod si est Callimachi, et ex Hecale, hic reponi debebit. Glossa est Suidae: Στόρθηξι. ζώναις. Αἱ δὲ γυναῖκες στόρθηξιν ἀνέστ(ρ)εφον. περὶ Θησέως. Hinc Toupius Emendd. in Suid. P. III. Vol. II. p. 197. (T. I. Lips. p. 441.) fragmentum sic a se emendatum (ἀνέστεφον, quam emendationem nunc confirmarunt codices), dispositumque:

αἱ δὲ γυναῖκες
[*αὐτὸν μὲν*] *στόρνῃσιν ἀνέστεφον.*

ad Hecalen retulit. *Est autem hoc fragmentum Callimachi, opinor, in Hecale: ubi de Theseo a Creta post occisum Minotaurum reduce, et ab Hecale hospitio excepto agebatur. de quo Plutarchus in Theseo. Confer etiam Suidam supra v. Περιαγειρόμενοι Tom. III. p. 80.* In his quid falsum sit, at longe falsissimum, apparet post ea quae de argumento ambituque Hecales carminis tam in Prolegomenis quam in Cap. II. p. 55. sq. docuimus. At idem fragmentum aptum erit in Hecalen, si victorem reducem eum devicto tauro Marathonio Theseum intelligas. Sane obstare videtur Suidas (itemque Photius Lex. p. 413. sq.) v. *Περιαγειρόμενοι*, ubi quum mos veterum, floribus foliisque, vel etiam coronis atque Zonis, victorem honorandi, ad aetatem referatur Thesei, qui e Creta reversus, occiso Minotauro, ita honoratus a popularibus fuerit, facile coniectura nascitur, ac nata est Toupio, ad idem tempus factumque pertinere, quod poeta apud Suidam altero loco dicit: *αἱ δὲ γυναῖκες στόρνῃσιν ἀνέστεφον Theseum.* Quod si est, nihil commune huic fragmento cum Hecale erit. Ut in Hecale poni queat, statuendum erit, quod cur statui posse negem nullam caussam video, cuius moris originem Suidas, alio teste, ad reditum e Creta retulerit, eius mentionem factam a Callimacho esse in facto priori, victoria Marathonia. Quid horum Ruhnkenius senserit in Epistt. Tittm. p. 21. incertum est. Nihil ille nisi fragmentum poetae, *αἱ δὲ γυναῖκες στόρνῃσιν ἀνέστεφον*, profert, monetque addere Suidam *περὶ Θησέως*: *ut nihil dubites, quin ex Hecale sumptum sit.* *στόρνην* Lycophro v. 1330. cingulum Hippolytes. *ἀνέστεφεν* annotavi ex Plutarcho Thes. c. 22. de caduceatore, qui missus in urbem, ut Thesei adventum e Creta redeuntis nunciaret, quum coronis exciperetur, iis coronis non se, sed *τὸ κηρύκειον ἀνέστεφεν.*

De tauro Marathonio Athenas adducto, ibique immolato, loci scriptorum hi sunt. Plutarchus: *Ὁ δὲ Θησεὺς — ἐξῆλθεν ἐπὶ τὸν Μαραθώνιον ταῦρον — καὶ χειρωσάμενος ἐπεδείξατο ζῶντα διὰ τοῦ ἄστεος ἐλάσας, εἶτα τῷ Ἀπόλλωνι τῷ Δελφινίῳ κατέθυσεν.* Pausanias loco supra Cap. II. p. 53. apposito, ubi absolvit historiam, quam ipsi in mentem revocaverat dedicatum

in arce monumentum, tauri Marathonii, I. 27. extr. τὸν δὲ ἐν τῷ Μαραθῶνι ταῦρον ὕστερον Θησεὺς ἐς τὴν ἀκρόπολιν ἐλάσαι καὶ θῦσαι λέγεται τῇ θεῷ, καὶ τὸ ἀνάθημά ἐστι τοῦ δήμου τοῦ Μαραθωνίων. Diodorus IV. 59. extr. μετὰ δὲ ταῦτα τὸν ἐν Μαραθῶνι ταῦρον, ὃν Ἡρακλῆς τελῶν ἆθλον ἐκ Κρήτης ἀπήγαγεν εἰς Πελοπόννησον, συμπλακεὶς καὶ κρατήσας τοῦ ζώου, κατήγαγεν εἰς τὰς Ἀθήνας. τοῦτον δ' Αἰγεὺς παραλαβὼν ἔθυσεν Ἀπόλλωνι. Non dicit Pausanias, quid fuerit in monumento: sed fortasse illi respondet conservatum nobis, Millin. Peint. de vases . . . . . . Theseus deorsum flectens coram Pallade taurum.

De Callimacho quod quaerendum restat, utram narrationem sequutus sit, Pausaniae, qui Minervae oblatum esse taurum in arce scribit, an eam, quae est apud Plutarchum et Diodorum: ego Apollini oblatum apud Callimachum esse, indicio, ut multi iudicabunt, levi, sed re vera, nisi me mea quaedam coniectura fallit, gravissimo demonstro. Scilicet diu multumque quaesiveram, quo referendum esset, et quo loco reponendum Fragmentum Hecales XLV.*

Νηπείης ἦτ' ἄργος, ἀοίδιμος Ἀδρήστεια.

ubi Nepeae campus, nobilis Adrastea. Tandem, dum fausta hora Fragmentum CCXC. inspicio, omnia mihi, nisi fallor, patefacta sunt. Verum illud non, ut ex Eustathio in Iliad. II. 825. Bentleius dedit, ἑλικώτατον ὕδωρ Αἰσήπου, sed ita scribendum est, una quantivis pretii vocula auctius, ut legitur in Scholiis ad eundem Homeri locum antiquioribus, Ven. B. Leidens. (Valcken. Opusc. T. II. p. 130.) et Lipsiens.

Αἴσηπον ἔχεις ἑλικώτατον ὕδωρ.

Ex Schol. Lips. Ernestius Αἰσήπου attulerat; nunc certum Αἴσηπον collatione Bachmanni. Add. Eustath. in Iliad. I. 98. ὅτι δὲ τὸ μέλαν ἑλικὸν λέγεται, δηλοῖ καὶ ὁ εἰπὼν τὸν Αἴσηπον ποταμὸν ἑλικώτατον ὕδωρ. et ibid. Schol. Ven. A. ἑλικώπιδα· μελανόφθαλμον, ἀφ' οὗ εὐπρεπῆ, ὡς Καλλίμαχος· ὕδωρ μέλαν Αἰσήπου. καὶ· Αἴσηπον ἔχεις ἑλικώτατον ὕδωρ. ubi aliquid erratum haud dubie: ὕδωρ μέλαν Αἰσήποιο Homeri est, II. 825. non Callimachi. Vidit iam Blomfieldius ad Call. Fr. CCXC. p. 280. (cf. p. 317.) et sic emendat: — ὡς καὶ ὕδωρ μέλαν Αἰ-

σήποιο. Καλλίμαχος· Αἰσήπου ἑ. ἑ. ὕ. Schol. B. et Lips. ibi haec tantum: τὴν μελανόφθαλμον, ὡς Καλλίμαχος. Epimerismi Homer. Crameri p. 155, 32. Ἑλικώπιδα: — ἡ μελανόφθαλμον· ἑλικὸν δὲ τὸ μέλαν κατὰ διάλεκτον. Partem Fragmenti, ἑλικώτατον ὕδωρ, etiam Schol. Sophoclis Aiac. 374. et ex eo Suidas habet, ut ibi monuit Lobeckius. Sic instauratum fragmentum iam exhibuerat Boissonadius, sed ille Αἰσήπου scribens. Quanto elegantius Αἴσηπον — ὕδωρ, per appositionem. Callimachus, ut unum exemplum ponam, h. Iov. 40. παλαιότατον δέ μιν (Nedam) ὕδωρ υἱωνοὶ πίνουσι Λυκαονίης ἄρκτοιο. Iam ego coniungo Fragm. XLV*. et CCXC.

Αἴσηπον ἔχεις, ἑλικώτατον ὕδωρ,
Νηπείης ἦτ' ἄργος, ἀοίδιμος Ἀδρήστεια.

ἄργος, i. e. πεδίον, vocabulum Callimacheum, feliciter vindicavit G. Bernhardy ad Eustath. in Dionys. Perieg. v. 419. Annot. p. 905. Cf. idem Eustathius in Odyss. XVIII. p. 1845, 15. (p. 667, 14. Bas.) et Strabo VIII. p. 372. (p. 571. A.) Scilicet in Schol. Apollon. Rhod. ita: Νηπείης ἦτ' ἄργος (Paris. ἠδ' Ἄργου) ἀ. Ἀ. unde Bentleius ἦτ' ἀγρὸς fecerat. Vicinum campo Adrasteae Aesepum etiam Apollonius facit eo loco, ad quem veteres interpretes graeci versum adscripserunt Callimachi, I. 1115. 6. ἐκ δ' ἑτέρης ποταμοῦ ῥόος Αἰσήποιο, ἄστυ τε καὶ πεδίον Νηπήϊον Ἀδρηστείης. ἑλικώτατον utrum Callimacho sit ἑλικοειδές, an διαυγές, an μέλαν, alius viderit. Ad διαυγές prope accedit, quod Orpheus Argon. 486. (490.) ἀργυρέαις Αἴσηπος ἐπικλύζει προχοῇσιν. Sed Orpheus iste fortasse securus de natura Aesepi fluvii epitheton qualecumque ponere satis habuit. Quintus II. 587. ubi de sepulchro Memnonis, πὰρ ποταμοῖο ῥέεθρα βαθυῤῥόου Αἰσήποιο. De Nepea, sive Nepeo πεδίῳ, praeter ea, quae sunt in scholiis ad Apollonium, nihil observatum habeo. Hoc quidem apparet, idem esse Callimacho Nepeum campum et Adrasteam. Ἀδρήστεια enim Callimacho non oppidi nomen, sed regionis et campi est: quem loquendi usum diserte confirmant Strabo XIII. p. 588. (p. 879. B. C.) ἐκαλεῖτο δ' ἡ χώρα αὕτη Ἀδράστεια, καὶ Ἀδραστείας πεδίον, etc. et Stephanus Byz. v. Ἀδράστεια: — ἐκαλεῖτο δὲ καὶ ἡ χώρα Ἀδράστεια, καὶ Ἀδραστείας πέδον (πεδίον Pined. et Holst.), καὶ

ἡ πόλις οὕτω. Itaque cumulavit doctus poeta varia eiusdem regionis nomina antiqua. Quae sit verborum Callimachi sententia, qui nexus, consideranti illud *ἔχεις* nemini, qui aliquem poetarum usum habeat, dubium erit. Alloquutio ac precatio est ad deum aliquem, et quidem, ut statim dicam sententiam, ad Apollinem. Ne quis enim, Antimachi maxime recordatione inductus, de Nemesi sermonem esse coniiciat, ille ipse locus Schol. Apoll. Rh. I. 1116. obstat. Noverat quidem Callimachus in campo Nepeo habitare Nemesin, idque ipse docuerat, verum alio loco, non in Hecale. Scholion illud: — *Μνημονεύει δὲ αὐτοῦ (πεδίου* Nepei) *καὶ Καλλίμαχος ἐν Ἑκάλῃ· Νηπείης* etc. deinde, post alia ex Dionysio Milesio, Apollodoro: *Ὁ δὲ Καλλίμαχός φησὶν ἐν Ὑπομνήμασι* (Callim. Fr. ed. Ern. p. 474.) *Νέμεσιν εἶναι τὴν τὸ πεδίον κατέχουσαν.* At Apollinem quum in tota ora illa et maxime apud Cyzicenos cultum esse monstrat Müllerus Doriens. P. I. p. 225. cf. Strab. XII. p. 551. (828. A.) tum in ipso campo Adrasteae fanum et *μαντεῖον* Apollinis *Ἀκταίου* fuisse testis est Strabo loco ante laudato, XIII. p. 588. Ergo Apollinem aliquis in Hecale precabatur his versibus: — *Αἴσηπον ἔχεις, ἑλικώτατον ὕδωρ, Νηπείης* etc. Ut est in Hymno Apollinis Homerico: *Ὦ ἄνα, καὶ Λυκίην, καὶ Μῃονίην ἐρατεινήν, καὶ Μίλητον ἔχεις.* Nossis, si est Nossis, Ep. III. A. Pal. I. p. 275. *Ἄρτεμι Δᾶλον ἔχουσα καὶ Ὀρτυγίαν ἐρόεσσαν.* et quae sunt innumera alia. Et quem ita precatum esse putem, facile intellectu est: nimirum Theseum, quum immolaturus erat taurum.

Apollinis, maxime Delphinii, mentionem etiam alibi immixtam rebus Thesei reperimus. Ut in narratione Pausaniae I. 19. 1. (sup. Cap. III. p. 85.) Cf. Plutarch. Theseo c. 5. (sup. Cap. VI. p. 159.) Idem ibid. c. 18. in expeditione Cretensi: *καὶ παρελθὼν εἰς Δελφίνιον ἔθηκεν ὑπὲρ αὐτῶν τῷ Ἀπόλλωνι τὴν ἱκετηρίαν.* et post reditum, cap. 22. *τῷ Ἀπόλλωνι τὴν εὐχὴν ἀπεδίδου* etc. Et de Delphinio, in quo iudicatus fuit Theseus, Pausanias I. 28, 10. Pollux VIII. 119. alii. Pherecydes *Ἀπόλλωνι Οὐλίῳ καὶ Ἀρτέμιδι Οὐλίᾳ* Theseum, quum in Cretam ad Minotaurum duceretur, vovisse pro salute atque reditu suo, retulerat: Pherecyd. Fragm. LIX. e Macrobio I. 17. cf. Müller. Doriens. I. p. 297.

Quam etiam Meursius in Theseo c. 10. et rursus de Regib. Athen. III. 3. annotavit de eo, qui immolaverit taurum, differentiam, iam tetigi Cap. VI. p. 205. sq. Ego a Theseo immolatum taurum esse Plutarcho Pausaniacque crcdam, non ab Aegeo, ut Diodorus. Mos quidem et ratio, quantum video, utrumque permittebant; vel etiam ut bipartitum munus sacrum inter patrem et filium esset. At Callimachum, ubi variaret fabula, quicquid posset honorificum videri, in Theseum contulisse putaverim.

De Diana Marathonia commentum Natalis Comitis vidimus Cap. VI. p. 220.

Dictionem quod attinet, praeter ἄστυρον, ἐλινύειν, et maxime ἄργος, observetur ἀγγελιώτης, quam vocem semel in Hymnis ab Homero usurpatam, neque multum, quod sciam, ab aliis, Callimachus et in Fragm. CCLXXXVIII. et in hymno Iov. 68. habet, et ἀγγελιῶτις h. in Del. 216. ἀγγελιώτης vocabulum quum tantum extremo hexametro aptum sit, Nonnus, qui exceptis nominibus propriis, iisque quae propriorum instar sunt, non multa numero, si longitudinem reputes carminis, πεντασύλλαβα eo in loco habet, sed ea quasi numerata, ut fere semper eadem recurrant: Nonnus igitur ἀγγελιώτην semel tantum habet, XIII. 36. Musaeus bis, v. 7. et 237. cf. Ioann. Gaz. 372. (II. 13.) Epigr. χριστιαν. Anth. Pal. 39, 1. Rursus ἀοίδιμος Homericum quidem est, sed rarum apud Homerum, ut coniicias, si multum frequentetur a recentioribus, Callimachi magis (h. I. Fragm. XLV*. et Lav. Pall 121.) auctoritate quam Homeri frequentari. Cuiusmodi vocabula, apud Homerum Hesiodumque rara, deinde quum frequentiora facta usu Callimachi essent, propter Callimachum maxime usurpata ab Nonno, eiusque sectatoribus, cum aliis, quae plane non Homerica, sed tota Callimachea viderentur, collegi in Prooemio quodam, quo Nonnum comparavi cum Callimacho. Et rursus in alio Prooemio, quo Gregorium Theologum comparavi cum Callimacho. Et ἀοίδιμος quidem, praeter Callimachum, Theocritum (XIII. 9.), Apollonium, et scriptores epigrammatum nonnullos, apud Gregorium Theologum habetur et in aliis epigrammatis χριστιανικοῖς, apud Sibyllas, Apollinarem, et Tryphiodorum. Verum devenit etiam in prosam orationem posterioris

aetatis. Apud Nonnum nusquam est, si recte memini: quod mireris, quum tam aptum versui sit vocabulum.

X.

Denique ad Hecalen, mortuam illam quidem, accedit Theseus. Quo loco de morte mentionem fecerit poeta, dixi Cap. VII. e coniectura. Alius hoc demum loco, in quo nunc versamur, narrationem factam de morte coniiciet. Sic: Haec ibi. At interea gravem annis, moerore exhaustam hospitam fatum abstulerat. Mihi illud placuit: ut, quod consentaneum naturae carminis epici, semel coepta de anxietate fletuque Hecales narratio usque ad mortem eius continuata fuerit uno tenore.

De nexu varia excogitaveris. Veluti apparuisse Thesco dormienti *εἴδωλον* Hecales, et similia pronunciasse illis, quae mater Ulixis apud Homerum: *ἀλλά με σός τε πόθος, — σή τ' ἀγανοφροσύνη μελιηδέα θυμὸν ἀπηύρα.* vel *εὕδεις, αὐτὰρ ἐμεῖο λελασμένος ἔπλευ —.* Simplicissimum videbitur hoc. Postquam narratum de facto sacrificio: Ac tum recordatio subiit Theseum bonae hospitae suae. Vel sic: *ἔνθ' αὖτ' ἀλλ' ἐνόησε (αὐτὰρ — ἄλλ' ἐνόησεν)* – , de itinere cogitavit, memor hospitae. Ut est apud Nonnum in fabula Staphyli XVIII. 334. sqq. *Ὀψὲ δὲ δὴ παλίνορσος — Διόνυσος ἐδύσατο Βότρυος αὐλήν, μνῆστιν ἔχων Σταφύλοιο φιλοστόργοιο τραπέζης.* Cf. sup. Cap. V. p. 121. *μνῆστιν ἔχειν* Nonnus non hoc tantum in loco, sed saepe dixit, imitatus de poetis, quos nunc habemus, Apollonium III. 290. Nicandrum Alexiph. extr. et Ther. extr. Proficiscitur eo Theseus, et Hecalen

— repperit in rogo iacentem.

Sed tamen a Callimacho non plane hoc ipsum scriptum fuisse arbitror. Theseus Callimachi colonos reperiebat in tumulo occupatos. Hic enim insero feliciter, nisi me sensus fallit, Fragmentum CCLI. Id Etymologus p. 437, 11. profert ita: *Ἥρια, καὶ ἠρία· — παροξυτόνως δὲ τοὺς τάφους, παρὰ τὴν ἔραν· τὸ γὰρ παλαιὸν ἐν τοῖς κοιλώμασι τῆς γῆς ἔθαπτον, μήτε σιδήρῳ μήτε χαλκῷ κεχρημένοι. ἢ παρὰ τὸν ἀέρα, ἤγουν τὸν ἐπικείμενον σκότον τοῖς τεθνεῶσι. Θεόκριτος· καὶ ἠρία κεμηώτων. καὶ*

Καλλίμαχος· τίνος ἠρίον ἔσται τοῦτο; Quorum haec, *καὶ ἠρία κεκμηώτων*, aut ex deperdito Theocriti carmine, aut sunt, quod praefero cum Dorvillio, e carmine Theocriti II. 13. memoriae vitio non satis accurate exscripta. Callimachi locus, in quo *ἔστακε* coniecerat, idque tueri adhibita glossa Hesychii, *ἔστακε· κεῖται*, conabatur Sylburgius, recepta Bentleii correctione, quam ille prius dubitanter, Animadv. ad Callim. hymnum in Iov. v. 87. postea in Fragmentorum collectione fecit confidentius, *ἔστατε*, nullam difficultatem habet.

τίνος ἠρίον ἔστατε τοῦτο;

Thesei interrogatio. Iam hoc quidem, *τίνος ἠρίον ἔστατε τοῦτο;* omnino certum videtur. Ut nihil nisi erroris speciem non facile explicandi prae se ferat, qui alter testis eundem locum laudat, ab Etymologo mirum quantum discrepans. Is est Herodianus Hermanni p. 309. Apparebit autem, quod non inutile observatu, re vera testes esse duo, hunc et Etymologum: non, ut alibi factum est saepissime, unum ex altero, vel ex eodem utrumque grammatico sua hausisse. Namque ita grammaticus ille: *'Αμαρτάνουσιν οἱ λέγοντες ἐπὶ τῶν τάφων ἡρῷον, δέον λέγειν ἠρίον, ὡς ὁ Καλλίμαχος, παρὰ τινός. ἠρίον. τὰ γὰρ τούτων. ἡρῷον δὲ λέγεται ἡ τοῦ ἥρωος εἰκών, ἢ τὸ τέμενος, ὡς Εὔπολις* (Aristophanes, Vesp. 819.)*, ἡρῷον εἴπως μοι κομίσαιο τοῦ Λύκου. Λύκος γὰρ ἥρως 'Αθηναῖος.* Annotavi hoc testimonium, quum primum de Hecale scripsi, sed breviter; pertractavi paullo post in Praefatione Indicis Scholar. Bonnens. hibern. 1829. Unde hic apponam potiora, omissis iis, quae ibi ad monstrandam ab omni parte difficultatem loci scripta sunt iuvenum in gratiam. Sic recte est a me monitum, audaciorem coniecturam fore, si quis transpositione adiuvare locum velit hunc in modum: *ὡς παρὰ Καλλιμάχῳ· τίνος* etc. Quam coniecturam, quod postmodo intellexi, ausus est facere Blomfieldius ad Call. Fr. CCLI. Et omnino constiti, et vero consisto in sententia Hermanni, qui illa sic emendata ex Etymologico M. et Fragm. Call. CCLI. edidit: — *ὡς ὁ Καλλίμαχος,*

παρὰ τίνος ἠρίον ἔστατε τοῦτο.

ἡρῷον δὲ λέγεται etc. ut *παρά* pars sit fragmenti Callimachei. Sed *παρά*, addit, — *equidem non intelligo qua ratione corri-*

gendum sit. Ego ab hac non inepta argumentatione exorsus, videri Grammaticum non lacera diversarum sententiarum membra, sed unam atque continuam sententiam apposuisse e Callimacho, interiectionem quaerebam, vel exclamationem, vel alloquutionem aliquam; eamque talem, quae conveniret in argumentum Hecales. *πατέρες, τίνος ἠρίον ἔστατε τοῦτο;* aptam Theseo iuveni appellationem colonorum vicinorum Hecales. vel *ἑταροι* (ut dicitur *ξένοι*), *τίνος* etc. Vel sic, liberiore lusu: *ἄττα γέρον* (Callim. Epigr. 1. 3.), *τίνος* etc. Exempli caussa omnia, et cum admonitione hac: *Cumulavi varia commenta, quo apertius monstrarem nihil me habere, quod satis faciat.* Eandem ante me viam iniit, sed ille de argumento cogitans epigrammatico, Iacobsius in Anth. Palat. Not. crit. p. 325. ubi cum Antipatro Sidonio (XCI. 1. A. Pal. I. p. 434.) a se ita emendato: *τίνος τάφον ἀμφιβέβηκας,* hoc Callimacheum confert, in quo scribendum esse coniicit: *στᾶλαι, τίνος ἠρίον ἔστατε.* Habeo etiam G. Diodorfii, viri amicissimi, litteras, quibus hanc mecum communicat e codice grammatici illius Hermanniani Parisino 3027. variam scripturam: *ὡς ὁ καλλίμαχος παρὰ τινὸς ἠρίον. ἠρῷον δὲ* etc. Noveram eum codicem ex quibusdam Bastii observationibus; hoc mihi novum erat. Ipsi Dindorfio in mentem venerat: *κατὰ γὰρ τίνος ἠρίον ἔστατε τοῦτο.* Sed exspectabat collationem codicis multo melioris Florentini. *ἠρίον*, Homero *ἅπαξ εἰρημένον* Il. XXIII. 126. usurpant etiam Apollonius, Nicander Fr. XXI. 1. Oppianus H. IV. 260. Lycophro, Alexander Aet. V. 33. Anal. I. p. 420. et poetae in Anthologia multi.

Perfunditur dolore Theseus, quum illud inexspectatum accipit, obiisse Hecalen. Tum, convocatis accolis, appellationem Iovis *Hecalei*, et sacra Iovis *Hecalesia*, cum honorifica Hecales mentione, instituit, *ἀμοιβὰς τῆς φιλοξενίας.* Omnia ut Plutarchus tradit ex Philochoro, quocum convenisse Callimacho his maxime in rebus, quae ad antiquitates pertinent, probabile est.

Atque hic bene insereretur Fragm. LXII. *χαῖρ' Εὐκολίνη.* Si vera esset Bentleii Ruhnkeniique Epist. crit. II. p. 181. opinio, ad Hecalen poema hoc fragmentum referendum esse, et *Εὐκολίνην* dictam fuisse Hecalen. Nempe coniectura virorum summorum emendatione nititur unice, quam in Etymologico

Magno (*Εὐκολίνη, ἡ Ἑκάτη λέγεται παρὰ Καλλιμάχῳ, κατὰ ἀντίφρασιν, ἡ μὴ οὖσα εὔκολος*) Bentleius tacite, et in Etymologico Ms. Bibl. Ultraicct. voc. eadem Ruhnkenius faciunt, *Ἑκάλη* pro *Ἑκάτη*. Facilis sane emendatio, si reliqua concinerent. Non morarer enim illud quantumvis recte a me observatum Prolegg. p. 24. inusitatam graecis quidem librariis hanc confusionem, *Ἑκάλη* et *Ἑκάτη*, esse. Verum rectissime Hemsterhusius apte *Εὐκολίνην* dici Hecalen negat. Sive enim ita dicta fuerit ab ea significatione vocis *εὔκολος*, quae est *facilis*, *comis*, *officiosus*, illud, quod ait Etymologus, *Εὐκολίνην* dictam esse *κατ' ἀντίφρασιν*, falsum erit, quum Hecalen quam maxime facilem officiosamque fuisse constet; sive, quod vult Ruhnkenius, ab altera significatione, *habilis*, *agilis pedibus*, verum quidem est, non magnam fuisse pedum agilitatem in Hecale, quam baculo utentem in eundo vidimus: sed tum *Εὐκολίνη* appellatio in ludibrium facta atque invidiosa, non, qualem exspectes, honorifica erit. Itaque ego prorsus omittendum istud *κατ' ἀντίφρασιν*, qua sane figura saepe abutuntur grammatici, et *Εὐκολίνην* proprie vereque dictam Hecalen a comitate atque obsequendi, opitulandi studio dicerem, nisi alia obstarent. Nam profecto ne per se quidem probabilis res est, Hecalae praeter illud, de quo constat, *Εκαλίνη*, datum etiam tertium hac forma, *Εὐκολίνη*, fuisse. Praeterea, quod a nemine observatum, cum rationibus metricis pugnat coniectura illa. Scriptum est, Ruhnkenio teste, in Etymologico Ultraicct. ita: *Εὐκολίνη, ἡ Ἑκάτη, κατ' ἀντίφρασιν, οἱονεὶ μὴ οὖσα εὐχερής. ἔχω δὲ τὴν χρῆσιν παρὰ Καλλιμάχῳ· Χαῖρ' Εὐκολίνη. διὰ τοῦ ι τῷ λόγῳ τοῦ Εὐηνίνη.* Hinc, nisi imperitus fuit Etymologus iste, necessario sequitur, quod quidem etiam absque hoc testimonio crederemus, longam fuisse apud Callimachum syllabam vocis *Εὐκολίνη* penultimam: ut in *Εὐηνίνη*, et patronymicis aliis, de quibus dictum in Cap. I. p. 43. sq. et in aliis, quae collegi Prolegg. p. 16. sq. Quod si est, non erit ex Hecale fragmentum illud. Ut taceam, si brevis esset ea syllaba, vel sic dubitari posse, an non apta hexametro, Callimacheo quidem, verba *χαῖρ' Εὐκολίνη* forent. Quare servandam scripturam in Etymologicis, Magno et Ultraiectino, vulgatam *Ἑκάτη*, et fragmentum

χαῖρ' Εὐκολίνη

ad Iambos referendum Callimachi censeo, ut sit Hecates deae appellatio *κατ' ἀντίφρασιν*, sive ab eo, quod Hecate re vera *δύσκολος*, h. e. tristis atque intractabilis, quae Hemsterhusii sententia, *Εὐμενίδας* conferentis; sive ab eo, quod *δύσκολος πόδας* fuit. Posteriorem explicationem Suidas commendat v. *Εὐκολίνη*, si ibi tam vera est, quam est elegans, emendatio Ruhnkenii quam ille quidem de Hecate cogitans fecit: *Εὐκολίνη· ἡ εὔκολος πόδας.* vulgo *ἡ εὔκολος πόλις.* Cod. Suidae Leidensis, quod didici a Geelio meo, nihil differt a vulgata; neque Gaisfordii libri quicquam. Quae plerumque ab Empusa distinguitur, Hecate, a nonnullis, et fortasse ab ipso Aristophane, confundebatur cum Empusa: Schol. Aristoph. Ran. 295. Schol Apoll. Rhod. III. 861. Unde credibile est, quae vulgo de Empusa praedicabantur, quod *μονόπους*, vel *ὀνόκωλος*, vel etiam *χαλκόπους* esset, translata etiam in Hecaten fuisse: *χαλκόπους* Hecate Tzetzae audit, ad Lycophr. 1030. Quae autem *χαλκόπους*, vel *ὀνόκωλος*, vel *μονόπους*, ea profecto *δύσκολος* fuit, et *κατ' ἀντίφρασιν*, vel *κατ' εὐφημισμόν*, *εὔκολος*, *Εὐκολίνη*, dici potuit. Potuit, inquam. Nam, ut verum fatear, nondum persuasi mihi neque de Ruhnkenii in Suida emendatione *εὔκολος πόδας*, neque de hoc toto *κατ' ἀντίφρασιν*. Ac nescio an *Εὐκολίνη* Hecate dicta sit sine antiphrasi, propter *εὐκολίαν*, quam nonnunquam habet. Ut *Εὐμενίδων* nomen, si recte perpendatur, non *κατ' ἀντίφρασιν*, eo sensu quo volunt grammatici, dictum esse, sed semel, vel nonnullis, vel certa conditione benevolentes significare videtur. In Suidae loco *Εὐκολίνη* fortasse urbis nomen est. Quam in rem aliquis Theognostum adhibuerit, qui *Εὐκολίνην* habet cum aliis urbium nominibus prope coniunctam: Cramer. Anecd. Gr. Vol. II. p. 113. sq. *Τὰ διὰ τοῦ ινη μονογενῆ ὑπὲρ δύο συλλαβὰς βαρύτονα τὸ ι παραλήγεται· οἷον, Ἀσίνη ἡ Ἑρμιόνη· σατίνη· εἰλαπίνη· μυρσίνη· Μαλυβδίνη ἡ πόλις· Ματίνη· κηρυκίνη· θριδακίνη· φίνη· ἀριγίνη· ἐριγίνη· ἡρωΐνη· δωτίνη· Αἰητίνη· Ἀδρηστίνη· Εὐηνίνη· Μεινεκίνη ἡ πόλις· μελίνη κέγχρος· χοιρίνη ἡ δικαστικὴ ψῆφος· Καρίνη ἡ πόλις· Ὑρμίνη· ὑσμίνη· Εὐκολίνη· Λογίνη· τὸ ἐχινῆ ἀπὸ τοῦ ἐχινέα συναιρεθὲν περισπᾶται.* Adscripsi locum, ut appareret incertum esse, utrum *Εὐκολίνη*

Theognosto deae sit, vel mulieris, an urbis nomen. Illud certum puto, sicubi mulieris nomen est *Εὐκολίνη*, ut est in laudatis a me Prolegg. p. 17. Inscriptionibus apud Boeckhium, cum nominis usum faciliorem explicationem habere ex nostra ratione, qui illud deae cognomen, Hecates, fuisse primitus, statuimus, quam ex illorum, quibus *Εὐκολίνη* cognomen fuit Hecates.

Nunc etiam carmen, in quo fuerit *χαῖρ' Εὐκολίνη*, non sine probabilitate monstravi. Scilicet versum hunc, *ὕδειν ἔοικε τὴν φερέζωον κόρην*, quem primus integrum Bastius ad Greg. C. p. 241. (cf. Addend. p. 885.) ex Etymologico MS. Paris. (v. nunc Etymol. Gud. p. 539, 59.) protulit, quum antea particula tantum versus, *ὕδειν ἔοικε*, apud Suidam exstaret, iam composueram alibi cum Fragmento Callimachi LXXVI. *τὴν ὠγαμέμνων, ὡς ὁ μῦθος, εἵσατο, τῇ καὶ λίπουρα καὶ μόνωπα θύεται.* Nunc vide, an his ita compositis subiungendum sit Callim. Fragmentum LXII. Quo et initium praeclarum carminis iambici et conclusionem, h. e. versum conclusioni proximum, vel ipsum, qui conclusionem faciebat, versum repraesentabimus:

> *Ὕδειν ἔοικε τὴν φερέζωον κόρην,*
> *τὴν ὠγαμέμνων, ὡς ὁ μῦθος, εἵσατο,*
> *τῇ καὶ λίπουρα καὶ μόνωπα θύεται.*
>
> — — —
>
> *χαῖρ' Εὐκολίνη* . . . .

φερέζωον (non habeo enim, cur prolatum a Bastio Addend. p. 885. *φυσίζωον* praeferam), rarum vocabulum, quod ego ex Nonno XII. 6. Evang. Ioann. c. V. 25. XVI. 27. ex Ioanne Gaz. v. 392. (II. 33.) et Apollinaris Psalmis annotavi, aut Dianae Lucinae epitheton, aut Dianae Hecates erit, comparandum fortasse cum respondens Hesiodeo *κουροτρόφος*. Eadem conclusio est, nam conclusio est utique, Fragmenti Call. CXX.

> *Χαῖρε βαρυσκίπων, ἐπιτακτὰ μὲν ἔξακι δοιά,*
> *ἐκ δ' αὐταγρεσίης πολλάκι πολλὰ καμών.*

Id ex Hymno in Herculem petitum esse non crediderim cum Hemsterhusio. Fortasse ita concludebatur *Αἴτιον* aliquod. Quid si illud de Hercule et Molorcho? Cui haec conclusio videbitur accommodatissima, si quis recordetur, leonem Nemeaeum haud

dubie Callimacho, ut aliis, primum fuisse Herculis laborem. Non quod labores deinceps omnes pertractaverit: sed pertractato primo, monstrat e longinquo caeteros. Sic in fine carminis, et fortasse in fine alius cuiusdam *Αἰτίου* fuerit, quod A. Maius et Buttmannus publicaverunt fragmentum Callimachi, in Schol. Homer. Od. III. 380.

ἵλαθί μοι φάλαρί τε πυληmάχε.

Ex hymno Callimachi in Martem, ut statuit Buttmannus: unde *φαλαρῖτα* coniicit, collato simili Callimachi loco hymn. in Cererem extr. *ἵλαθί μοι τρίλλιστε, μέγα κρείουσα θεάων.* cf. Schneidewin. Exercit. crit. C. IV. p. 16. Ex Aetiis esse, et scribendum esse *ἵλαθί μοι Φαλάρι τε Πυλημάχε*, coniecit Theod. Bergkius: Zeitschrift f. d. Alterthumswiss. 1836. Nr. 67. Ego nunc unum teneo hoc, quod recte coniicere mihi videor, potuisse talem esse unius alteriusque *Αἰτίου* conclusionem.

Haec ad Aetia obiter. Sed quum de Iambis dicere Callimachi coeperim, aliud obiter inseretur, si vera est ante multos annos facta coniectura mea, iambicum. Fragmentum est Callimachi CCCCXXXII. e Lactantio, qui dicitur, ad Statii Theb. II. 258. Ea sic concepta leguntur in edit. Parisina Lindebrogii:

> — *Unde proverbium apud illos* (Argivos), *cum alicuius ignaviam irriderent, ut Callimachus ait.* *ωςεν ΑCπΙΟΑΛΤΟΝελΘΝ.*

Eodem modo scripta Spanhemius ad Callim. Lav. Pall. 35. p. 648. (p. 571. ed. Graev.) exhibet, praeterquam quod *ὥςεν*. In his quae sententia lateat, non amplius dubium. Diu est enim, quum viri docti, Spanhemius l. l. et ante Spanhemium alii, quos laudat Ruhnkenius, proverbium admoverunt hac maxime conformatione notum: *ὡς τὴν ἐν Ἄργει ἀσπίδα καθελών.* Verum hoc ipsum latere apud Interpretem Statii, quod sibi cum aliis persuaserat Ruhnkenius, ea iusto audacior coniectura est. Favet aliquantulum coniecturae istud quod commemoravi *ὥ ςεν*. Reliqua repugnant. Itaque in coniecturis caeteroquin infelicissimis, C. Barthii ad Stat. Animadv. T. II. p. 419. *ὥστις ἐν ἀσπίδι Ἀργόθεν ἐλθών*; I. Gronovii, si ipse, quod crediderim, Gronovius coniector est, ad Stephani Byz. Fragm. Thes. Antiqq. Gr. Vol. VII. p. 289. *ὡσεὶ ἀσπίδ' ἄλαιον ἑλών*: unum laudo hoc, quod

coniectores speciem affectant metri. At mihi semper ad aures accidit numerus iambicus:

. . . ὡς ἂν ἀσπίδ' Ἀργείων ἑλών.

Quam in rem teste utor, non male in partes vocato, quod sciam, qui proverbium illud ita conformatum exhibet: Ὡς τῶν Ἀργείων ἀσπίδα καθελὼν σεμνύνεται. Is est Plutarchus, sed personatus, in Proverbiis Alexandrinorum, Thes. Gronov. Vol. X. . . . . Plutarch. ed. Hutten. Vol. XIV. p. 603. Prov. 126. Quid? quod ulterius progredi et ex Plutarcho isto et e Zenobio, apud quem ita: Ὡς τὴν ἐν Ἄργει ἀσπίδα καθελὼν σεμνύνεται, versum Callimachi restituere integrum licebit.

σεμνύνεθ', ὡς ἂν ἀσπίδ' Ἀργείων ἑλών.

De variis explicationibus proverbii nulla est quae non ad eandem sententiam redeat. Dictum est non tam in *ignavum*, quod vult Interpres Statii, quam in *superbientem*, ἐπὶ τῶν μεγαλοφρόνων, ut alii. Verissimum haud dubie illud est, quod Hyginus Fab. 170. et 273. tradit, de clypeo ludorum praemio. Quo quidem etiam revocari poterunt Lactantii explicatio ista, et proverbium Zenobii, Diogeniani, Proverb. Alexandr. 44. Mich. Apostolii III. 70. Ἄξιος εἶ τῆς ἐν Ἄργει ἀσπίδος. Cf. nunc Interpretes Pindari Olymp. VII. 152. (83.) et rursus Inscript. Boeckh. Vol. II. 2810. — τὴν ἐξ Ἄργους ἀσπίδα δίς.

De Εὐκολίνῃ ut absolvatur, commemorabitur etiam Wyttenbachii in Callim. Fr. LXII. coniectura: Animadv. in Plutarch. Conviv. Sept. Sap. p. 922. χαῖρ' Ἑκαλίνη. vel, quod ipsi placebat, Ἑκαλήνη. Quae nisi esset supra modum audax, ad sententiam minime inepta foret. Nam recte, post ea quae supra Prolegg. p. 15. sq. et Cap. IV. p. 103. sq. disputata sunt, ad hanc extremam Hecales partem referemus primum, ut videtur, prolatam a δημόταις, sed fortasse etiam sollemniter introductam a Theseo appellationem Ἑκαλίνης. Qua conditione Fragmentum CCCCXXXIX*. hoc in loco poni possit, monstravi Cap. IV. p. 107. sed dubitanter, et ut plus tribuam emendationi Hermanni, per quam illud proprium Capiti IV. manebit.

Porro in promptu est, Theseum hac opportunitate cultum instituisse Iovis Ἑκαλείου. De eo Plutarchum audivimus in Prolegomenis, et Stephanum Byzantium Cap. IV. init. Tum Hesy-

chius, itemque Favorinus, ita: *Ἑκάλειος Ζεύς· ὃν Ἑκάλη ἱδρύσατο.* Etsi Callimachum respici ab Hesychio non dixerim. Fortasse Hesychius, ut Plutarchus, ad Philochorum spectat, qui etiam de origine religionum imaginumque consecratione disputabat in opere suo: v. Hesych. *Ἀγοραῖος Ἑρμῆς.* Utut sit, non ab omni parte verum esse puto, quod tradit Hesychius. Ab Hecale positum esse Iovem Hecaleum, plane non probabile est. Hoc probabile, positum esse post obitum Hecales a Theseo, vel iussu Thesei; et ex voto Hecales. Vota Iovi fecerat Hecale pro reditu Thesei. Legatur Plutarchus. Atque conferatur Molorchi fabula. Non magnus autem error Hesychii est: quod enim tuo ex voto alius dedicaverit, id ipse dedicasse videberis.

Et dicam hoc in loco, cur in Prolegomenis p. 2. et p. 18. ubi de Petronio agitur, Etymologis fidem denegaverim in eo, quod ipsi sacrificatum esse Hecalae tradunt. Dicam autem maxime propter Welckerum, virum doctissimum et amicissimum, quem memini, quum Prolegomena et Capita posteriora quatuor primum a me edita fuissent, ex me quaerere, cur non potuerit Hecalae sacrificari. Concedo potuisse fieri. Neque hoc negaveram: praesto enim erat ex Plutarchi Theseo Connidas, *ᾧ μέχρι νῦν Ἀθηναῖοι μιᾷ πρότερον ἡμέρᾳ τῶν Θησείων κριὸν ἐναγίζουσι μεμνημένοι καὶ τιμῶντες πολὺ δικαιότερον, ἢ Σιλανίωνα τιμῶσι καὶ Παῤῥάσιον, εἰκόνων Θησέως γραφεῖς καὶ πλάστας γενομένους.* Qui *ἐπιστάτῃ* Thesei et *παιδαγωγῷ* concessus honor, quidni idem hospitae bene merenti fuerit? Verum quum duas viderem narrationes esse, unam Plutarchi: *ἔθυον γὰρ Ἑκαλήσια οἱ πέριξ δῆμοι συνιόντες Ἑκαλείῳ Διΐ, καὶ τὴν Ἑκάλην ἐτίμων, Ἑκαλίνην ὑποκοριζόμενοι, διὰ τὸ κἀκείνην νέον ὄντα κομιδῇ τὸν Θησέα ξενίζουσαν* etc. alteram Etymologorum: *ἔθυον δὲ αὐτῇ διὰ τὸ ξενίσαι Θησέα*: mihi potior auctoritas Plutarchi, Etymologorum vero narratio derivata atque contracta ex illa pleniore atque accuratiore narratione, cuius testem Plutarchum habemus, videbatur. In ea autem nihil diserte de oblato Hecalae sacrificio, ac suadent opposita inter se *ἔθυον — ἐτίμων* alio modo honoratam esse Hecalen.

Ut nihil omittam eorum, quae Hecales in honorem facta esse a Theseo videri possint, coniectura quaedam mea est, Cap.

IV. init. proposita, quod a muliere nomen translatum in pagum sit, id Theseo iubente factum esse.

Ad honorem post mortem habitum Hecalae pertinet ἡρωΐδος apud Etymologos Suidamque appellatio.

At hanc felicem coniecturam esse fatebuntur omnes, superesse versus, quibus Hecalae mortuae ultimum vale dicebat Theseus. Fragm. CXXXI.*

ἴθι, πρηεῖα γυναικῶν,
τὴν ὁδὸν, ἣν ἀνίαι θυμαλγέες οὐ περόωσιν.
πολλάκι σεῖ', ὦ μαῖα, φιλοξείνοιο καλιῆς
μνησόμεθα· ξυνὸν γὰρ ἐπαύλιον ἔσκεν ἅπασιν.

Exstant apud Suidam v. Ἐπαύλια, sine nomine Callimachi, sed diserte addit: περὶ Ἑκάλης θανούσης. Quem locum protulit monstravitque Ernestio Ruhnkenius: Epistt. Tittmann. p. 101. Nos primi nexum declaravimus sedemque assignavimus suam versibus elegantissimis. Quamquam prope ad verum accesserat, quod sero animadverti, Iacobsius in Crinagorae Epigr. XV. Animadv. Vol. II. P. I. p. 391. cf. id. ad Herod. Att. Vol. II. P. II. p. 374. Scripsi *prope accesserat*, quia verba, quibus utitur: *Theseus, hospitale Hecales tugurium relinquens, haec dixisse videtur*, incertum relinquunt, utrum de mortua Hecale an de viva cogitaverit. Si de mortua, inventi honor omnis apud Iacobsium esto. Non agnoverat Hecalen Bentleius, qui primum tantum hemistichium et versum alterum, cum nomine poetae, nosset ex Etymol. M. v. Θάνατος. Addantur a me primum reperti testes, Meletius (ex Petreii interpr. latina: nam in libris graecis, etiam Crameri Anecd. Gr. Vol. III. p. 138. deest fragmentum Callimachi) apud I. G. Schneiderum Analect. crit. in Script. vet. fasc. I. p. 74. nunc apud L. Bachmannum, virum eruditissimum, in Prolusione de Meletio eiusque interprete latino Nic. Petreio, Rostoch. 1833. p. 13. et Orion Etymol. v. Θάνατος p. 72.

Habeo aliud, de quo non tam certa res est. Vel potius prorsus incerta: nubecula pro Iunone, ut ipse vereor. Fragmentum est CCCCXL. (coll. Valckenar. Diatr. Eurip. p. 281. A. et Schol. Homer. Bekker. Il. X. 67.)

ἄνωγε δὲ πορθμέα νεκρῶν.

De quo Cap. VI. p. 231. contra Blomfieldium dixi breviter. Ego

si accommodare hoc ad Hecalen iuberer, verba esse Thesei coniicerem collocanda in vicinia Fragmenti CXXXI. ἄιωγε δὲ πορθμέα νεκρῶν: preces deo, ut placidum traiectum Hecale habeat. Obversatur mihi ex tragoedia Chorus apprecans deos pro sereno Oedipi exitu, utque non impeditum a Cerbero descensum habeat. Neque obstat, quod Hecale fuit iam mortua, ubi accessit Theseus. Certe illud elegantissimum, quo fingitur etiamnum in via esse: ἴθι, πρηεῖα γυναικῶν, τὴν ὁδὸν etc.

Sed propius accedendum est ad Fragm. CXXXI. Nam hoc quoque propositum mihi hoc in libro habui, ut verba Callimachi accurate explicarem, eoque aliquid conferrem ad cognoscendum sermonem tum graecum in universum, tum maxime poetae huius, et scholae huius. V. 1. πρηεῖα γυναικῶν, satis notus dicendi modus, qui etiam poetae huic nostro placuit: h. Dian. 255. ἆ δειλὸς βασιλέων, ὅσον ἤλιτεν. cf. si placet, Theocritus XV. 74. XXIV. 40. Moschus Megara v. 62. Porsonus Suppl. Praef. ad E. H. p. LV. Blomfield. ad Callim. h. Dian. l. l. et monstrata ab Iacobsio Anth. Palat. T. III. p. 889. maxime Schaefer. ad L. Bos. Proximum Callimacho est δῖα γυναικῶν Homericum. At πότνια γυναικῶν Antip. Sid. XXIII. (A. Pal. I. p. 280.) 1. ut certatim monuerunt Hermannus, Schaeferus, Iacobsius, aliud est. πρηεῖα, de feminino loquor, non multum legisse mihi videbar apud hos, qui Callimacho admoventur aptissime: sed sunt loci, quantum satis: in Anthologia apud Crinagoram, Phaedimum, Dioscoridem, alios. πρηεῖαι mulieres Manethonis III. 381. Nonnus XI. 71. Tryphiodor. 659. γυνὴ πρηεῖα Θεανώ, ubi de hospitali Antenoris, φιλοξείνοιο γέροντος, et Theanus mensa agitur. Versu 2. apud Suidam θυμαλγέες, apud Etymologum θυμοφθόροι legitur. Meletium equidem et Orionem non magni facio, qui ex Etymologico sive hoc nostro sive alio simili descripsisse locum Callimachi videntur. Certe sic Orion. Verum etiam Meletio communionem quandam fontium cum Orione et Etymologico, maxime Gudiano, esse Bachmannus statuit. Quam in rem mihi statim ad manum est versus communis Meletio p. 118, 11. cum Orione, Orphei: χειρῶν ὀλλυμένων ἔῤῥει πολυεργὸς Ἀθήνη. v. Orphei Fragm. p. 510. ed. Herm. Praetuli Suidae auctoritate θυμαλγέες, ut suavius sonans. Qui ab omni licentia metrica

vehementer abhorret, Callimachus, nonnulla etiam eorum, quae cuivis licent, evitat, et concursum vocalium non solum istum, a quo bonus quisque poeta cavet, sed etiam usitatum, idonea excusatione munitum, legitimum, modice usurpat, et praeoptat, ubi fieri potest commode, aliud. Quo artificio hoc consequutus est, ut et alibi versus rotundissimos, et hos quatuor fecerit longe suavissimos. Ex Homero, Hesiodo, Apollonio, qui usurpant utrumque, non efficias, utrum praeferendum sit. *θυμαλγής* Oppianus quoque Hal. V. 664. et Sibylla XIV. 227. dixerunt. *μέρμηραι θυμαλγέες* Epigr. DCCXVIII. A. Pal. II. p. 867. *ἀνίαι* autem hic corripit penultimam, ut *ἀνιηρόν* Epigr. XV. 4. XLIV. (XLV.) 1. et *ἀνιᾶν* Epigr. XLVIII. (XLIX.) 1. secundum coniecturam saltem hac ex parte inexpugnabilem Iacobsii. producit Lav. P. 83. Fragm. LXVII. 1. Epigr. XIII. 3. Cf. si opus sit, Ruhnken. Epist. crit. II. p. 276. Porson. Eurip. Phoen. 1334. Versu 3. noluit poeta, quod alicui in mentem veniat, atque in mentem Wernickio ad Tryphiod. p. 399. venit, *σεῦ* scribere, sed scripsit, quod suavius ipsi, ut correxit apud Kusterum ad Suid. v. *Ἐπαύλια* Bentleius correctione longe facillima: *σεῖ' ὦ μαῖα.* Iacobsium miror, qui hoc a se impetraverit, ut Anth. Palat. T. III. p. 1043. vulgatam apud Suidam scripturam *πολλάκι σεῖο* (cod. Gaisfordii E. *σεῖς*) *μαῖα* defenderet. Neque perspicio cur ille hoc, *σεῖ' ὦ μαῖα*, ferri posse neget. Noverat tamen haud dubio Homericum *σεῖ'* Il. VI. 454. hymn. Bacch. min. 19. et *ἐμεῖ'* Il. XXIII. 789. Od. VIII. 462. An igitur ea, quae est Hermanni Orph. p. 723. et Bekkeri in censura Homeri Wolfiani Ephem. litt. Ienens. Octob. 1809. N. 244. 131. doctrina, pro vitiosis habebat? Non reprehendo doctrinam. At tamen antiqua sunt ista et Callimacho haud dubie fuerunt ante oculos. Aliquanto melius idem Iacobsius ad Herod. Att. (sive Marcell.) v. 5. Comment. Vol. II. P. II. p. 373. *πολλάκι σοι* coniecerat, quod ipsum recte scripturum fuisse Callimachum monet eruditissimus censor Homeri Wolf. N. 247. p. 156. extr. Toupio ap. Gaisford. in Suid. placet: *πολλάκι καὶ σέο μ.* Usum hunc pronominum, *σέο*, *σεῖο*, *ἐμεῖο*, pro possessivis, attigit idem Censor ille l. l. p. 158. illustravitque exemplis Callimachi, Apollonii, facile illis augendis: ut Callim. h. in Del. 119. *ἐν οὔρεσι πολλάκι σεῖο*, et 227. *σεῖο* —

ἐφετμῇ. Et sic Nonnus σέο, σεῖο, saepissime, sed etiam σέθεν, ut IX. 62. 70. et ἕο χεῖρας, ἕο νύμφην, ἕο νύμφης, ἕο χεῖρα, IV. 353. VII. 351. VIII. 369. XXV. 15. alibi. Et Apollinaris in Psalmis. μαῖα quum multis locis legatur, nullum habeo, in quo sic scriptum sit non propric, ex iis quidem poetis, qui ad illustrandum sermonem Callimachi plurimum faciunt. Aliud est enim, et ad significationem vocis propriam ac primariam redit, quum μαῖα dicitur terra patria, de quo ad Apollonid. Ep. XIII. Brunckius et Iacobsius Animadv. Vol. II. P. I. p. 361. sq. vel quum talia: μαῖά τ' ἐριχλαύστων πολέμων Ἔρις Oppian. H. II. 668. Nonn. V. 104. VIII. 396. IX. 6. alibi. Iulian. Aeg. Ep. XXXII. A. Pal. II. p. 680. Hic ὦ μαῖα blandientis est, et honorificum, et in universum *matrem* significat. Cf. Monk. in Eurip. Alc. 403. Respondet appellationibus, quibus usa cum Theseo Hecale fuerat, τέκος, τέκνον. [Cap. VI. p. 155.] Nam quae commoda ad Callimachum explicandum videri possit, glossa Hesychii: *Μαῖα* — προσφώνησις πρὸς πρεσβῦτιν τιμητική, ἀντὶ τοῦ, ὦ τροφέ, re vera non commoda est, quum vix bene propter semel nutritum in hospitali tugurio Theseum τροφός dicatur Hecale. μαῖαι Maximi, in contemptum, ut nos: alte weiber, basen: Gregorius Theol. Carm. iamb. p. 250. C. v. 49. Postrema, φιλοξείνοιο καλιῆς, expressit manifesta imitatione, vel potius assumpsit e Callimacho Crinagoras: Ἑκάλης τε φιλοξείνοιο καλιήν. ubi Iacobsius Vol. II. P. I. p. 392. vocis etiam ante Callimachum Crinagoramque usitatae φιλόξεινος exempla nonnulla ex imitatore Callimachi Nonno habet. ut φιλοξείνῳ νομῆϊ, Broncho XVII, 59. φιλοξείνῳ γεραιῷ, Icario XLVII. 56. Add. φιλοξείνους δὲ γυναῖκας Evang. Io. XI. 5. φιλοξείνοιο γέροντος, Antenoris, Tryphiod. 657. φιλοξείνοιο γυναικός, viduae Sarcptanae, Gregor. Theol. prooem. p. VIII. φιλοξείνῳ πυλεῶνι Nonnus XXXII. 291. XLI. 98. φιλοξείνων θαλάμων Coluth. 252. 323. Herodes Atticus, vel Marcellus, v. 5. δῆμον Δηώοιο φιλόξεινον Τριόπαο. Et versus supra in Prolegomenis excitatus: μέλπω δὲ γραὸς τῆς φιλοξένου τρόπους. Callimachus ipse: φιλοξεινωτάτη h. in Del. 156. φιλοξενίης Fragm. XLI*. De voce καλιή, *tugurium*, aliquid Iacobsius ad Apollonidae Ep. IX. Comment Vol. II. P. I. p. 358. et in Anth. Palat. Not. crit. p. 868. Ea primi-

tus Hesiodea fuit: post Hesiodum, et maxime post Callimachum, usitata Apollonio I. 170. IV. 1095. Nonno (de Broncho) XVII. 39. Synesio hymn. I. 41. καλιάδα dicit Philodemus Paralip. Iacobs. p. 692. Anth. Pal. II. p. 332. Ut mittam eos, quibus nidus avium, latibulum ferarum, etiam piscium, est καλιά: Callimachum h. in Dian. 96. Nicandrum Ther. 451. Antipatrum LXIII. (A. Pal. I. p. 367.) 3. Oppianos (ubi semel Hal. I. 718. cavea significatur), alios, etiam Nonnum. Significatione mixta, ut germanice *nest* de avibus proprie, de hominibus dicitur non proprie: Theocrit. XXIX. 12. brevi ι littera, propter dialectum fortasse: quae excusatio non convenit in Pseudophocylidem v. 79. Versu 4. ἐπαύλιον Suidas ipse μονὴν interpretatur. Vid. qui laudantur in Stephani Thesauro edit. Angl. Aeschines, Plutarchus, Polybius, et poetae, Leonidas, alii, in Anthologia. Interpretantur autem ibi *villulam*, vel etiam *casam*. Neque repugno aliis in locis. Ut apud Antipatrum Sid. XCV. (A. Pal. II. p. 50. 149.) ubi ἐπαύλιον vocem illustrat posita eodem in argumento eademque in sententia sive ab Antipatro sive a Philippo vox gemina καλύβη: Antip. S. XCIV. (A. Pal. II. p. 50. 150.) Philipp. A. Pal. II. p. 87. 255. At Callimachus quum καλιὴν dicit *commune omnibus* ἐπαύλιον fuisse, manifesto ἐπαύλιον non casa est, sed μονή, ut recte Suidas: *mansio*, sive malis *deversorium*. Haud aliena est vocis ἔπαυλις explicatio una apud Etymologum p. 169, 52. καὶ ἐπαύλεις, τὰς μετὰ τὰς κελεύθους ἀναπαύσεις. Igitur rem quod attinet, idem est καλιή — ξυνὸν ἅπασιν ἐπαύλιον, et supra τέγος ἀκλήϊστον.

Iam ego dum delibero, quem finem fuisse carminis Callimachei dicam, nihil inveni, neque nunc invenio, quum haec secundis expolita curis edo, quod ad rem aptius elegantiusque ad concludendum carmen fuerit, quam illos ipsos versus:

ἴθι, πρηεῖα γυναικῶν etc.

Quibus verbis, quum dicantur a Theseo, simul poetae alloquutio ad Hecalen continetur: eum fere in modum, quo utuntur hymnorum scriptores: αὐτὰρ ἐγὼ καὶ σεῖο καὶ ἄλλης μνήσομ' ἀοιδῆς. Et nos quoque nostro, et si quid in his sit quod

lectoribus placuerit, lectorum nomine ita vale dicimus bonae feminae:

> *πολλάκι σεῖ', ὦ μαῖα, φιλοξείνοιο καλιῆς*
> *μνησόμεθα.*

Bonnae, typis Caroli Georgii.

Bei **Eduard Weber** in **Bonn** ist erschienen:

Rheinisches Museum für Philologie, Geschichte und Griechische Philosophie. Herausgegeben von ***B. G. Niebuhr*** und ***Ch. A. Brandis.*** Drei Jahrgänge (oder Bände). 1827—1832. gr. 8. Zum herabgesetzten Preise von . . . . 6 Thlr.

In Jahrgang III Heft 3 ist enthalten:
A. F. NAEKII dissertatio de allitteratione sermonis latini.
Dieses Heft ist auch einzeln zu 16 Ggr zu haben.

Rheinisches Museum für Philologie. Herausgegeben von ***F. G. Welcker*** und ***A. F. Näke.*** Sechs Jahrgänge, jeder zu 4 Heften, 1832—1839. gr. 8.

Statt des bisherigen Ladenpreises von 24 Thalern jetzt, alle 6 Jahrgänge zusammengenommen, zum herabgesetzten Preise von . . . . . . 12 Thlr. — —
einzelne Jahrgänge, jeder do. do. 2 „ 16 Ggr.
einzelne Hefte, jedes do. do. . — „ 16 „

Niebuhr, B. G., kleine historische und philologische Schriften. Erste Sammlung. gr. 8. 1828. 2 Thlr. 20 Ggr.
Auf feinem Velinpap. 3 — 20 —

— — Zweite Sammlung (herausgeg. von M. Niebuhr). gr. 8. 1843. 1 Thlr. 16 Ggr.
Auf feinem Velinpap. 2 — 8 —

Inhalt der letztern Sammlung:

Einleitung zu den Vorlesungen über römische Alterthümer. 1811 — Abhandlungen in der Akademie der Wissenschaften zu Berlin gelesen. Antrittsrede 1810 — — Einige Anmerkungen zu den Fragmenten der Rede des Kaisers Claudius. Den 5. December 1811. — Vorlesung am 18. Juni 1812. — Einige Anmerkungen zu den neuentdeckten Fragmenten Tullianischer Reden. 1815. — Ueber die zu Mailand entdeckten Schriften des M. Cornelius Fronto. Den 24. Janoar 1816. — Ueber das Alter des Dialogs Philopatris. — Vermischte Aufsätze. Ueber die Agrimensoren. 1812. — Recensionen über „Ideen über die Politik, den Verkehr und den Handel der vornehmsten Völker der alten Welt," von A. H. L. Heeren. Dritter Theil. Europäische Völker. Erste Abtheilung. Griechen. 1812. 1813 — Zusatz zur vorigen Abhandlung. Bemerkungen über den Amphyctionenbund. 1810. — Inscriptiones Nubienses. Commentatio lecta in conventu academiae archaeologicae a. d. VI. kal. Aug. MDCCCXX. — Ueber das Aegyptisch-Griechische. 1821. — Zur Erklärung und Berichtigung ciceronischer Stellen. 1827. — Die Sikeler in der Odyssee. 1827. — Eine Bedenklichkeit über die Bedeutung eines Worts 1827. — Ueber den Unterschied zwischen Annalen und Historie. 1827. — Ergänzung des Inhalts eines wichtigen Fragments von Dio Cassius. 1828. — Ueber das Alter des Lieds Lydia bella puella. An Herrn Prof. Näke. 1828. — Bruchstücke vom Senatusconsult über Germanicus Ehren. 1827. — Ueber eine Stelle im Persius. 1827.

Merobaudis, F., carminum panegyricique reliquiae ex membranis Sangallensibus editae a B. G. Niebuhrio C. F. Editio altera, emendatior. 8 mai. 1824. 6 Ggr.

Ciceronis, M. T., oratio pro A. Cluentio Habito. Ad fidem codicum Florentinorum et Monacensium, nunc primum collatorum,

addita aliorum manuscriptorum aliunde notorum et veterum editionum varietate, recensuit et critica adnotatione instruxit Ioannes Classen. 8 mai. 1831. 1 Thlr. 4 Ggr.

Deycks, Ferd., de Megaricorum doctrina eiusdem apud Platonem et Aristotelem vestigiis. 8 mai. 1827. 12 Ggr.

Solonis Atheniensis carminum quae supersunt. Praemissa commentatione de Solone poeta disposuit, emendavit atque annotationibus instruxit N. Bachius. 8 mai. 1825. 16 Ggr.

Aristoteles Metaphysik, übersetzt von E. W. Hengstenberg; mit Anmerkungen und erläuternden Abhandlungen von Ch. A. Brandis, 1r Theil, welcher die Uebersetzung vollständig enthält. gr. 8. 1824. 1 Thlr. 14 Ggr.

Brandis, Ch. A., diatribe academica de perditis Aristotelis libris de ideis et de bono sive philosophia. 8 mai. 1823. 10 Ggr.

Ruhnkenii, Dav., in Terentii comoedias dictata. Brunsiano exemplo emendatius multisque partibus integrius ex apographo Hamburgensi edita. Cura L. Schopeni. 8 mai. 1825. 16 Ggr.

Platonis Dialogi VI. Euthyphro, Apologia Socratis, Crito, Charmides, Laches, Menexenus. In usum scholarum edidit E. Dronke. 8. 1834. geh. 10 Ggr.

Dictys Cretensis sive Lucii Septimii ephemerides belli Troiani. Ad librorum fidem recensuit, glossarium et observationes historicas, item Iac. Perizonii de Dictye Cretensi dissertationem addidit Andreas Dederich. Accedit Daretis Phrygii de excidio Troiae historia. Editio pretio minori. 8 mai 1837. 2 Thlr.

Schorn, Wilh., Geschichte Griechenlands von der Entstehung des ätolischen und achäischen Bundes bis auf die Zerstörung Korinths. gr. 8. 1833. geh. 2 Thlr. 6 Ggr.

Simonidis Amorgini iambi qui supersunt. Collegit et recensuit Fr. Th. Welcker. Ex museo Rhenano philologico. 8 mai. 1835. 10 Ggr.

Diez, Fr., Grammatik der romanischen Sprachen. In drei Bänden. gr. 8. 1836—1844. 6 Thlr.

Welcker, F. G., Der epische Cyclus oder die Homerischen Dichter. gr. 8. 1835. 2 Thlr. 16 Ggr.

— —, die Griechischen Tragödien mit Rücksicht auf den epischen Cyclus. In drei Bänden. gr. 8. 1839—1841. 9 Thlr. 16 Ggr.

— —, über die Gruppirung der Niobe und ihrer Kinder. Mit einer Steindrucktafel. gr. 8. geh. 14 Ggr.

— —, kleine Schriften zur Griechischen Litteraturgeschichte. gr. 8. 1844. 2 Thlr. 16 Ggr.

Schlegel, A. W. de, Essais littéraires et historiques. gr. in 8. 1842. 3 Thlr.

Walter, Ferd., Geschichte des römischen Rechts bis auf Justinian. Zweite ganz umgearbeitete Auflage. gr. 8. 1844.